PAPISMI,

HOC EST:

ERRORVM PONTIFICIORVM METHODICAE ENVMERATIONIS, ET brevis, piæ, atque modeſtæ Refutationis

PARS TERTIA, ET ULTIMA.

AVTHORE

JOHANNE GISENIO, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, ET IN INCLYTA Academiâ Gieſſenâ ordinario Profeſſore.

GIESSÆ,

Typis exſcribebat CASPARUS CHEMLINUS.

ANNO cIↃ IↃ cXIX.

Universitäts- Bibliothek
Gießen

INCLYTAE
ACADEMIÆ ARGENTINENSIS
VIRIS MAGNIFICIS, REVERENDIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, & ACUTISSIMIS,

Dnn. SCHOLARCHIS, Dn. PETRO Storck Dn. FRANCISCO RUDOLPHO INGOLT, Dn. CHRISTOPHORO Colöffel Dn. RECTORI, DECANO spectabili, Visitatoribus solertissimis, & Professoribus reliquis Excellentissimis,

Dnn. Fautoribus & amicis suis suspiciendis
S. P. P.

SALUTIS nostræ quod sit fundamentum, *viri Magnifici, Reverendi, Amplissimi, Consultiss. Experientissimi, & acutissimi, Domini, fautores, & amici honorandi,* docet Apostolus, 1. *Cor.* 3. *v.* 11. Fundamentum aliud, inquiens, nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Cum enim homo legem sibi præscriptam impulsu Diaboli transgressus esset, & de arbore vetitâ tulisset, comedisset; & se, atq; totum genus humanũ in æternum damnationis baratrum præcipitavit, *Gen.* 3. *v.* 17. 18. *Rom.* 5. *v.* 12. Peccatum in hunc mundum introduxit, ut inde omnes in peccatis concipiamur, *Psal.* 51. *v.* 7. Omnes natura filii iræ simus, *Eph.* 2. *v.* 3. Morti, damnationi, & tyrannidi Diaboli obnoxii redditi, *Deut.* 17. *v.* 27. *Gal.* 3. *v.* 13.

Ex his malis eripi non poteramus, nisi nos Deo reconciliaremur, ipsiusq; justitiæ satisfieret. Deus enim sic summè est misericors, ut etiam summè sit justus, adeóq; ipsa justitia. Itaque non amat, sed odit peccata, *Psal.* 5. *v.* 5. juxta comminationem, *Gen.* 2. *v.* 17. Requirebat igitur justitia, & veritas Dei, ut quia homo legem transgressus erat, ipsi satisfieret, Quare filius Dei, qui ejusdem voluit esse ἀνάπλασις, cujus fuerat πλάσις, dedit sese ἀντίλυτρον, pretium redemtionis pro omnibus, 1. *Tim.* 2. *v.* 6. Cum esset Dominus legis, *Matt.* 12. *v.* 8. propter nos factus est sub lege, ut nos, qui sub lege eramus, redimeret, & nos adoptionem filiorum reciperemus, *Gal.* 4. *v.* 4,5. Legem igitur vitâ suâ sanctâ perfectissimè implevit, *Matt.* 5. *v.* 17. 18. Atque inde dicitur finis, & perfectio legis, *Rom.* 10. *v.* 4. Mortuus est propter peccata nostra, & excitatus est propter justificationẽ nostram, *Rom.* 4. *v.* 25. Sanguis igitut Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato, *Ioh.* 1. v. 7. Non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, *Act.* 4. *v.* 12. Quare fundatur dilectio Dei in intercessione, obedientiâ, & satisfactione filii : Hunc, ejusq; meritum, qui verâ & perseveranti apprehendit fide, non dubitet se salutis æternæ participem fore, *Ioh.* 1. v. 12.

Cum autem fundamentum hoc homines fanatici, obcæcati, & hæretici viribus omnibus evertere studeant, suis tetris figmentis ex cæcis, & deliris hominum mentibus natis fœdè commaculent, & obscurent, inter quos, ut alios taceam, non postremi sunt Pontificii ; Ideò oportet verbi Doctores memores esse adhortationis Apostolicæ, *Tit.* 1. *v.* 9. & non tantum παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ; Sed etiam ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν τοὺς ἀντιλέγοντας.

Hinc salutari plane consilio in Academiis Christia-

nis piè rectèque constitutis, jampridem duo illa distincta docendi genere usu fuere recepta, ἐξηγητικὸν, nimirum, & ἐλεγκτικὸν, quorum illud in scripturæ interpretatione; hoc verò in disputando, & refutandis adversariorum strophis est occupatum.

Videntur quidem posterius genus improbare nonnulli politici, ut Bodinus lib. 4. de Repub. c. 7. scribens: *Cum semel constituta, & omnium consensu firmata religio fuerit, ne posthac in disputationem deducatur, cavendum esset, ut omnes seditionum viæ, omnes aditus intercludantur, & præsidia pacis muniantur, &c.* Et Durus de Pascolo Aphor. 289. *Aulicus*, inquit, *auctor sit Principi ne disputationes frequentes publicas, & altercationes in causa religionis permittat.* Sed hæc si simpliciter, & non comparatè, de usu, & non de abusu, de legitimis disputationibus, & non de rixis, & altercationibus intelligantur, omninò improbamus. Annon enim omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum? Docet id Apostolus, 2. *Tim.* 3. *v.* 16. Num igitur quando hostes veritatis scripturam hanc depravant, detorquent, & eludunt ad simpliciores seducendos, illi, quorum id postulat vocatio, & commissum officium, debent fugere, & obmutescere? Absit. Non sint canes muti, haud valentes latrare, *Esai.* 56. *v.* 10. Non sint mercenarii, qui videntes venire lupum (cujusmodi sunt Pseudoprophetæ, *Matt.* 7. *v.* 15.) fugiunt, *Ioh.* 10. *v.* 12. Clamare, & velut tubam exaltare debent vocem suam, *Esa.* 58. *v.* 1. Vigilare debent ut custodes, nec tacere totâ die, & nocte, *Esai.* 62. *v.* 6. Proinde cum contradicentibus congredi non tantum eminus, sed etiam cominus, eos durè refutare *Tit.* 1. *v.* 9. 13. Instare oportunè, & importunè, arguere, & increpare, 2. *Tim.* 4. *v.* 2. Annón enim ipsis dormientibus

Zizania spargit inimicus homo, & hæresis lõgè, latèq; dis-
seminatur? Parabolicè illud innuit Salvator, *Matt.* 13. *v.* 25.

Quid dicam de utilitatibus, quæ ex legitimis Disputa-
tionibus, tanquam ex profundissimo gurgite ad ipsos op-
ponentes, auditores, & quoslibet, qui Disputationibus in-
tersunt, promanant? Quosdam δοξοσοφίας morbo, quo in-
veniles animi sæpe laborant, liberant: Quibusdam re-
rum cognitionem instillant, in quorundam cordibus non
mediocriter πληροφορίαν confirmant. Rectè dicit Nazian-
zenus, veritatem crebris disputationibus tritam in lucem
proferri, & ut lapidum attritu ignis, ita argumentis inven-
tis, oppositis, explicatis, & refutatis, veritatẽ elici, & qua-
si exprimi. Quemadmodum igitur populus Israëliticus ur-
bem ac templum Hierosolymitanum reparans jussu Ne-
hemiæ, una manu opus faciebat, altera gladium adversus
incursiones hostium vicinorum strictum tenebat: Ita ver-
bi Doctores, qui spiritualem Hierosolymam, Ecclesiæ ni-
mirum ædificium extruere laborant, semper secundum
illud Propheticum in acie stantes, ab una parte debent ve-
ritatem docere; ab altera verò destruere, demoliri, veri-
tatis hostes gladio spiritus repellere, castella eorum admo
tis verbi divini arietibus evertere.

Inde omnibus fermè temporibus Disputationes in u-
su fuerunt: Magnum earum apud Judæos fuisse usum tum
Christi, tum Apostolorum testantur historiæ, Christus eas
consecrans sese, cum esset annorum duodecim, ad tem-
plum contulit, disputantes audivit, eosq; cum omnium ad-
miratione interrogavit, *Luc.* 2. *v.* 46. Posteà tempore Mi-
nisterii sui cum Sadducæis, & Pharisæis sæpius contulit,
Mar. 8. *v.* 11. *cap.* 12. *v.* 28. In prima Apostolica Synodo *Act.* 15.
factum est decretum, sed πολλῆς συζητήσεως præmissa, & magna

inqui-

inquisitione factâ. Horum vestigiis insistentes pii patres, uti prælectiones, ita disputationes de rebus sacris religiosè, & magna cum reverentia habere sunt soliti, idque testatur Augustinus Epist. 119. ad Januarium.

Quod si verò ullo unquam tempore, certè omnium maximè hisce novissimis, in quæ nos incidimus, temporibus, hujusmodi Theologicorum exercitiorum institutio videtur maximè necessaria. Hæc enim sunt tempora, de quibus prædixit Christus, *Luc.* 18. *v.* 8. Veruntamen Filius hominis cùm venerit, num reperturus est fidem in terra? Satanas enim per suos satellites modò veterum hæresium carbones jam pridem orthodoxorum Patrum piis laboribus extinctos, novis flabellis excitare satagit, modò novas, absurdas, monstrosas, & blasphemas opiniones indagat, & Ecclesiæ Christi obtrudere conatur, *Debet igitur*, dicit Augustinus lib. 4. Ort. fid. c. 4. *divinarum scripturarum tractator, & doctor, defensor rectæ fidei ac debellator erroris & bona docere, & mala dedocere: Atq; in hoc opere sermonis conciliare aversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant intimare. Ubi autem benevolos, intentos, dociles, aut invenerit, aut ipse fecerit cætera peragenda sunt, sicut causa postulat.*

Intelligo autem antiquum Theologicè disputandi modum, & non eum novum à Scholasticis imprudenter introductum, à B. Luthero improbatum, & feliciter ex Collegiis disputantium ejectum; Sed à Jesuitis inauspicatò reductum: Disputabant illi de otiosis, & vanis, de curiosis, & superstitiosis, utebantur verbis obscuris, confundebant Philosophica cum Theologicis. His igitur opponimus illud Apostoli, 2. *Tim.* 2. *v.* 23. *Stultas & ineruditas quæstiones devita, sciens, quia generant lites. Et* 1. *Tim.* 1. *v.* 4. *Ne intendas fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstăt magis, quàm ædificationem Dei, quæ est in fide.* No-

Noſtrarum verò Diſputationum fundamentum, & norma debet eſſe illud Chriſti, *Ioh.* 17. *v.* 17. *Sermo meus eſt veritas. Et Matt.* 11. *v* 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde Ioh.* 14. *v.* 6. *Ego ſum via, veritas, & vita, Vita* eſt ratione meriti obedientiâ & ſatisfactione acquiſiti, & verâ fide apprehendendi: *Veritas eſt* ratione doctrinæ, in quâ ſolâ nos oportet acquieſcere: *Via eſt* ratione vitæ, quam ſerio ſtudio debemus imitari, ut in actionibus noſtris omnibus, ita etiam in Diſputationibus inſtituendis.

Hæc ſingula ut ſibi omnes orthodoxi Theologi, quibus publica officia ſunt cõmiſſa, ita & mihi dicta ſtatuo. Quare errores Pontificiorum ordine ratione propoſiti enumeravi, eos examinavi, & de iis cum literatiſſimis Theologiæ ſtudioſis in Auditorio publico Theologico collationes inſtitui.

Vobis verò, Viri Magnifici, Reverẽdi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſs. Acutiſſimi, Patres conſcripti, laboris mei hujus, ut partem tertiam inſcriberem cauſas habui prægnantes. Vos enim me planè inſcium in numerum veſtrum expetitis, ex Haſſiâ, & quidem ex inclytâ Academiâ Giſſena, in Alſatiam ad profeſſionẽ in inclytâ Academiâ Argentinenſi capeſſendam vocatis. Quare ut reciprociamoris monumentum aliquod publicum, & amicitiæ nunquam intermorituræ σύμβολον, ἢ τεκμήριον certiſſimum vobis erigerem, utq; ſimul meam promptitudinem, atq; obſervantiam declararem, quod pro tempore aliter fieri, quàm hac ratione non potuit, hanc partem vobis inſcribendam duxi: Ut eam eo animo, quo ego offero accipiatis, magnopere peto, & divinæ protectioni vos committo. Dabam Gieſſæ 11. Martii, Anno 1619.

V. V. D. D.

Studioſiſs.

Johannes Giſenius D.

DISPUTATIO XLII.

QUÆ EST

DE IMAGINE DEI AD QVAM HOMO primus fuit conditus, tertia.

Resp. Theodoro Berghavvero Nortgarmerſclebio Mag.

THESIS I.

IUSTITIAM originalem non fuiſſe donum ſupernaturale, ſed naturale, & concreatam hominis proprietatem, oſtendimus, κατασκευαστικῶς in Diſput. præcedenti, idem ἀνασκευαστικῶς oſtenſuri præſupponimus primò vocabulum *naturæ*, uſurpari, vel *conſtitutivè*; pro cauſis eſſentialibus naturam conſtituentibus: vel *conſecutivè*; pro adjunctis propriis à forma eſſentiali fluentibus: vel *ſubjectivè* pro eo, quod naturæ firmiſſimè eſt infixum, ipſique inhæret; vel *perfectivè* pro iis, quæ naturam exornant, eamque perficiunt; vel *tranſitivè* pro eo, quod naturaliter propagatur in poſteros: Juſtitia originalis erat connaturalis homini primo, non in primâ, & ſecundâ acceptione, quia nec pars ejus fuit conſtitutiva, nec animæ facultas; Sed reliquis tribus modis, quia naturæ ex creatione per ſe, intrinſecus, & arctiſſimè inhæſit, eam perfecit, exornavit, & ad ejus complementum naturale concurrit, atq; per generationem in poſteros fuiſſet propagata, & derivata.

2. Secundò, Naturalia igitur alia ſunt naturæ integræ, & corruptæ communia: & alia utriuſque propria: *Communia* ſunt eſſentialia conſtitutiva, & conſecutiva, cujuſmodi ſunt animæ facultates, & conſimiles affectiones, quæ in homine primo fuerunt per creationem; In poſteris ſunt per generationem; *Propria* naturæ integræ erant animæ & corporis perfectiones, ut ſapientia mentis, ſanctitas voluntatis, immortalitas corporis, felicitas totius hominis. *Propria* naturæ corruptæ ſunt imperfectiones animæ, & corporis, cæcitas mentis, pravitas voluntatis, rebellio carnis languores, mors, & dam-

natio. Nam *naturâ sumus filii iræ*, Ephes. 2. vers. 3. *Et naturalis malitia impiorum*, Sap. 12. v. 10.

3. Tertiò rectitudo, cum quâ Adamus fuit creatus erat donum naturale naturæ integræ: supernaturale potest nominari ratione naturæ corruptæ.

4. *Oppugnat sententiam hanc strenuè Bellarminus.* Quare sit quæstio prima: *Num justitia originalis homini integro fuerit supernaturalis? Affirmat Bellarminus, cujus objectio, seu argumentum primum, hæc est: Qui sua natura est pulvis, ei rectitudo originalis non potuit esse naturalis, cum hæc sunt contraria. Atqui homo naturâ est pulvis, Gen. 3. ver. 19. Pulvis es, & in pulverem reverteris. Ergo.*

5. Resp. 1. Phrasis illa, *pulvis es*, non est intelligenda de conditione animæ, quæ est principaliter sedes imaginis Dei, & de qua hoc loco agitur, sed de prima corporis humani origine, à quâ ad animæ conditionem argumentari est Disparatorum naturam confundere. 2. Quamvis corpus ex limo terræ formatum δυνάμει fuerit corruptibile, animæ tamen unitum factum est actu incorruptibile. Animæ enim immortali debebatur corpus immortale: Et cum omnis forma actum suum communicet cum materia, communicasset & anima immortalitatem suam cum corpore, nisi homo mandatum Dei transgressus fuisset. 3. mors in statu corruptionis est peccati pœna, *Gen. 2. v. 17. Rom. 6. v. 23.* Ergo immortalitas in statu innocentiæ erat debitum naturæ, quia natura Adami justa, & sancta exempta erat mortis periculo. 4. Committitur fallacia causæ: Minatur enim Deus homini reversionem in pulverem, hoc est, mortem & corruptionem, non quia per comestionem de arbore vetita in statum suum naturalem reciderat, sed quia à statu perfectionis in statum imperfectionis à statu naturali in statum præternaturalem peccando desciverat: Nam dicit *Gen. 3. v. 17. Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, &c.* Addit verò argumentum *v. 19. à facili & congruo* cur per mortem corpus in pulverem resolvi debeat, *quia ex pulvere factum est.*

6. *Objectionem seu argumentum secundum petit Bellarminus ex Psal. 8. v. 5. Quid est homo, quia memor es ejus, aut filius hominis, quia visitas eum? Minuisti eum paulò minus ab Angelis: gloriâ, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Quibus inquit Bellarminus duobus modis judicatur, fuisse primum hominem donis supernaturalibus ornatum*

Primum quoniam miratur Propheta, hominem ferè Angelis æquatum. Quid est homo (inquit) quod memor es ejus, quasi dicere vellet, mirum esse hominem naturâ sua corporatum, affectionibus obnoxium; ad eam gloriam evectum, ut parum omninò ab Angelis abesset. Deinde accedit, quod dona alia primo homini initiò collata vocat *honorem, & gloriam. Honor autem, & gloria sine dubio aliquid extrinsecum, & superadditum designant.*

7. Resp.1. Psalmus ille intelligendus est de Christo: Prædicantur n. in illo beneficia Dei tribus Symboli Apostolici capitibus distincta, utpote beneficium creationis *v.*4.beneficium redemptionis, *v. 6.* Et beneficiũ sanctificationis. 2.Apostolus.1.*Cor.*15.*v.*27.*Eph.*1.*v.*22.*Heb.* 2.*v.*9.verba illa, *gloriâ, & honore coronasti eum*, ita de Christo explicat, ut nulli alii homini possint applicari: Dicit n.quod oporteat eum regnare, donec ponat sub pedibus suis omnes inimicos, etiam mortem ipsam: Et neminem præter solum Deum ab hoc imperio excipit 3.Si maximè Psalmus ille ad genus humanum referatur, nec sic de statu ante lapsum potest intelligi; sed potius post lapsum, ubi Deus hominis, qui in miseriam inciderat est misertus, 4. Falsam igitur tradit Bellarminus admirationis causam: Miratur enim David, non quod Deus hominem in prima sua natura mortalẽ supernaturali dono ornaverit & Angelis æquaverit; Sed quod hominem in statu perfectionis sua natura Angelis proximum, nunc verò sua culpa, & legis transgressione miserum, & mortalem, amore paterno dignetur.

8 *Objectionem tertiam petit ex Psal.*48.*v.*21. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hinc sic infert: Dona primo homini collata vocantur honor, & gloria: At honor, & gloria sunt exrinsecum quid. Ergo justitia originali quiddam extrinsecum, & superadditum designatur.*

9. Resp.1. Agitur eo in loco de statu non ante lapsum, sed post lapsum, in quo homo in corradendis opibus est totus, negligens interim animæ salutẽ. 2. Si referatur ad statum ante lapsum, nulla est ratio consequentiæ in argumento: Quid enim causæ ut per gloriam, & honorem tantùm supernaturalia intelligamus bona? 3. Si ponatur, notari bona supernaturalia, non protinus sequitur, esse eis justitiam originalem annumerandã. 4. Quinimó vocabulũ *honoris* admodum est æquivocum; Usurpatur n.vel pro honoris fundamento, quod est virtus? vel pro interna cordis reverentia; vel pro externo reverentiæ

internæ signo. Non omnis igitur honor est externus. 5. Alii distinguunt *inter gloriam, & honorem*: Illa internam, hic externam dignitatem significare, ajunt: Ornavit Deus hominem primum *gloriâ* intus verâ sanctitate, justitiâ, sapientiâ; Ornavit eundem *honore* foris, per imperium in omnes creaturas. Gloria enim est ex virtute, bono interno; Honor est officio, bono externo.

10. *Objectionem quartam sumit ex Syr.17.v.21. Deus creavit hominem de terrâ: Et secundum se vestivit eum virtute. Quo loco, inquit Bellarminus, creatio refertur ad naturam, indumentum virtutis ad super addita dona. Indumentum verò est quiddam extrinsecum. Atqui gratia primi hominis fuit indumentum non quidem essentialiter, sed comparativè. Ergo.*

11. Resp. 1. Scriptum Syracidæ est extra canonem. Legitur igitur ad morum quidem conformationem, sed non ad fidei confirmationem. 2. *Vestiendi* vocabulum est hoc loco metaphoricum. Metaphoricè verò non semper rem externam, sed sæpe internam significat: Nam Deus lumine veluti vestimento amictus dicitur *Psal.*104. *v.*2. Jobus carne, & cute vestitus erat, *Job.*19.*vers.*11. Gramina agri prædicantur, quod sint pulchris coloribus vestita, *Matt.6.v.*30. 3. In textu græco legitur, *vestivit eos* καθ' ἑαυτὸς *secundum semetipsos.* Denotatur igitur rectitudo intrinseca altè implantata.

12. *Objectionis quintæ loco allegat Bellarminus parabolam ex Luc.* 10.*vers.*30. *De homine spoliato, & sauciato, qui extrinseca tantùm bona amiserit.*

13. Resp. 1. Theologia parabolica non est argumentativa: Inde dicit ipse Bellarminus lib.3.de verbo Dei cap. 3. *Ex solo sensu literali, non mystico argumenta sunt efficacia.* 2. Nulla parabola extra scopum, quo fuit prolata est detorquenda. Scopus verò Christi non fuit statum primi hominis adumbrare, sed tantum doctrinam de Christo, & charitatis officio interpretari. 3. Si verò at primum hominis statum parabola illa extendatur, nihil juvabit causam adversarii, sed potius lædet: Nam spoliari quis potest non tantum supernaturalibus; sed etiam naturalibus, utpote morbi vehementia rationis usu, visu, auditu, &c. Contendit verò Bellarminus, hominem primum amissâ tantum veste supernaturali, retinuisse naturalia omnia illæsa, ac proinde corruptionem in aliquâ naturæ vitiositate non consistere. At viator iste vulneratus fuit lethaliter. Non igitur

retinu-

retinuit naturam integram: Nam vulnera sunt læsio integri, & solutio continui: Naturam lædunt, & integram eam non relinquunt:

14. *Deinde provocat Bellarminus ad authoritatem quorundam Patrum, qui doceant rectitudinem originalem fuisse supernaturalem.* Respondeo, testimonia illa à Bellarmino allegata sunt vel in siniſtrum sensum detorta, vel depravata; vel falsò intellecta; vel dubia adeòque ad probandum inefficacia.

15. *Denique proponit rationes aliquot.* Primam *sumit à partibus inter se pugnantibus. Nam homo constat ex partibus inter se pugnantibus. Ergo pugnantes propensiones homini sunt naturales. Quare per quod primi parentes naturali pugna carnis & spiritus caruerunt, id fuit supernaturale donum. Per rectitudinem verò originalem caruerunt illa pugnâ. Ea igitur fuit supernaturale bonum.*

16. Resp. 1. Bonum sensibile, & spirituale in se considerata sunt quidem diversa; Sed respectu hominis ex animâ rationali & corpore compositi sunt subordinata. Cum enim ita conditus esset homo, ut inferior potentia perfectè pareret superiori, & superior prospiceret inferiori, nulla in Adamo fuit propensionum συμφραξις, sed omnium virium perpetua harmonia. 2. *Aliud est naturale, & ordinatum; & aliud præternaturale, & inordinatum:* Adamus in statu innocentiæ naturæ instinctu naturalem sensisset appetitum vacuo stomacho: Appetitus verò iste naturalis non pugnasset cum spiritu rationali, quippe qui nec potuit, nec debuit repugnare ordini creationis divinæ. Quod vero post lapsum pugnat appetitus cum ratione, illud dependet à culpâ. 3. Falsum est rebellionem fuisse homini primo naturalem: Nam Deus author naturæ, esset etiam author rebellionis, & peccati: Et num naturale illud fuit homini, quod naturam ejus destruxit? 4. Imò posito, sed non concesso pugnam illam fuisse homini naturalem, nondum sequitur justitiam originalem fuisse supernaturalem: Siquidem cohiberi potuisset per naturalem præstantiam animæ perfectâ sapientiâ, justitiâ, & sanctitate ornatam.

17. *Secunda Bellarmini ratio hæc est: Non potest dari alia causa corruptionis in natura, quàm remotio doni supernaturalis. Ergo non alia est agnoscenda.*

18. Resp. Antecedens pugnat cum tertio capite Genes. ex quo veræ colliguntur causæ, ut sunt, *Diaboli seductio, hominis consensio,*

& libertatis propriæ abusio: Diabolus enim pravitatem in cor hominis inspirat, homo assensum præbet, & sponte se à Deo ad Diabolum avertit.

19. *Tertia ratio: Peccatis actualibus renati non amittunt aliquam naturæ proprietatem, sed tantum donum supernaturale: Ergo etiam per Adami peccatum non est aliquid de naturæ proprietate deperditum.*

20. Resp. 1. Peccati Adami, & aliorum peccatorum idem effectus statui non potest: in renatis manet in hac vitâ fons peccati æstuans cupiditatibus pravis: Hinc illorum peccata fluunt ex naturâ depravatâ, & puniuntur privatione ejus boni, quod dono supernaturali eis erat concessum, sunt etiam peccata ipsorum personalia, ideoq; naturali quadam qualitate non privant, sed personalem tantum reatum inducunt; Adami verò peccatum suo modo fuit naturale, quia naturam polluit; fuit universale respectu tum hominum, quos omnes depravavit, tum vitiorum, ad quæ nos omnes propendere fecit: Commissum fuit sponţanea inobedientiâ, quia natura Adami erat integra, & perfectè conformis Deo: Dona ipsi non tantum personalia, sed etiam naturalia ad totam posteritatem propagenda erant concessa. Peccatum igitur Adami longè graviorem attraxit pœnam tàm ipsi Adamo & Evæ, quàm toti posteritati: Punitum est privatione tum virium naturalium, in spiritualibus, tum donorum supernaturalium. 2. Alia est conditio naturæ integræ, & alia depravatæ: Illi justitia fuit naturalis: huic supernaturalis. 3. Justitia nostra consideratur vel inchoativè, vel consummativè: In hac vitâ dum sumus in viâ justitia nostra est inchoata; In futurâ vita quando sumus in patria justitia nostra erit consummata; Hæc, quæ erit donum intrinsecum comparari potest cum justitia originali.

21. *Ratio quarta: Si justitia originalis fuit naturalis, sequitur & nos fuisse naturales Dei filii, quia primi parentes fuerunt filii Dei, & divinæ consortes naturæ. At solus unigenitus est naturâ Dei filius; Nos cæteri sumus filii adoptione. Ergo.*

22. Resp. 1. Post lapsum sumus *naturâ* filii iræ, *Eph. 2. vers. 3.* Ergo Adamus ante lapsum erat naturâ filius Dei, quodammodo tamen nimirum per gratiam, quia non ab æterno à υἱοθεσίαν illam habuit, sed in tempore eam accepit. 2. Tripliciter titulus *Filii Dei* in Scriptura usurpatur: Nam primò Filius Dei est vel per essentiam tantum

tùm, ut solus λόγος. Secundò Filius Dei dicitur partim per naturam, partim per gratiam, ut Adamus ante lapsum, qui fuit naturâ filius Dei respectu sanctitatis naturalis, & nihilominus simul ex gratiâ respectu creationis gratiosæ. Tertiò, Filius Dei est per gratiam tantùm quales sunt renati, nempe per gratiosam adoptionem. 3. Notant rectè alii aliud esse dici *naturâ filium Dei, & aliud dici naturaliter justum sanctum:* Vitandæ ambiguitatis causa non simpliciter dicuntur primi parentes naturaliter filii Dei, quia filium esse naturaliter, est esse filium substantiâ; At naturaliter fuerunt justi, sancti, quia justitiam, & sanctitatem originalem ex creatione quasi ex nativitate traxerunt.

23. *Ratio quinta: Si natura humana non est concreata à Deo sine originali justitia, sequitur non esse revocatum mortuum in hanc vitam sine eâ. At contrarium testantur exemplà Lazari, & aliorum: Nam cum Deus solus propriâ virtute illos resuscitarit in vitam, non posset à peccati causâ liberari, si repararet naturam malam, quæ necessariò peccet: Idem enim esset, ac si crearet naturam peccantem,*

24. Resp. 1. Quis Deo legem posuit? 2. Deus creavit quos, quomodo, & quales voluit. Ergo & suscitavit quos, quomodo, & quales voluit. 3. Ignotum per ignotius probatur. 4. Ex rebus incertis & miraculis extraordinariis Articuli fidei non illicò sunt stabiliendi: Incertum est qualis fuerit resuscitatorum conditio, cum in Scriptura id non sit explicatum. Arridet igitur nobis sententia Ambrosii in lib. de vocat. Gen. c. 8. *Lubenter nesciamus, quod scire nec possumus, nec debemus. Non appetamus habere cognitum, quod Deus voluit esse secretum.* 5. Multi piè credunt, resuscitatos istos peccato, ejusque radice non caruisse: Proinde vitam animalem rursus egisse, iterumque mortuos esse.

25. *Quæstio secunda, Num primus homo mori potuisset, etiamsi non peccasset?* Mortalem hominem primum fuisse creatum, ita ut nihilominus fuisset moriturus etiamsi non peccasset, fuit hæresis Pelagianorum referente *Augustino* in lib. de hæres. cap. 88. Ab eadem hæresi parum abfuit Augustinus Eugubinus in Annotationibus cap. 2. Gen. Scribit enim per lapsum Adæ genus humanum in mortem animæ non corporis incurrisse & homines fuisse morituros etiamsi non peccassent. Addit tamen se id, si sit contra fidem, retractaturum. Parum abest ab opinione eâ Bellarminus, licet verbis eam improbet

probet quia ejuſdem hæreſeos principia ponit, & defendit. Nam 1. cap. 6. abſolutè dicit hominem eſſe pulverem. 2. cap. 5. dicit, mortem & defectus omnes fluere à naturâ, tanquam à causâ per ſe. 3 Abſolutè dicit hominem naturâ eſſe mortalem. 4. cap. 6. diſputat. corruptionem convenire homini in puribus naturalibus conſtituto, etiam ſine culpâ. 5. Ibidem contendit, corruptionem, defectus, & mortem fluere à conditione materiæ, & naturæ ex contrariis compoſitæ.

26. Palpabilis iſte error ſcripturæ directè eſt oppoſitus, quippe quæ docet, mortem eſſe non conditionem naturæ, ſed pœnam culpæ, idque evincimus. 1. *Ex comminatione divinâ* Gen. 2. verſ. 17. Quocunq; die comederis ex eo, morieris. Quam igitur pœnam Deus indixit, illa peccatum eſt inſecuta, & non anteceſſit illud. Atqui mortem Deus indixit. Ergo. &c.

27. Excipere quidem conſueverunt *Pelagiani* referente *Auguſtino* lib. 1. de peccatorum meritis cap. 2. ſtatuendo locum illum de morte animæ, & non de morte corporis intelligendum eſſe, quemadmodum intelligimus & illum, ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Verum Reſp. cum Poëta: *Quid refert media jungere luce faces.* Nam comminationis executio, & Adami damnatio reclamat, in qua dicitur Gen. 3. Pulvis es, & in pulverem reverteris. Ex pulvere vero factum eſt corpus, & in pulverem redit. Itaque comminatio illa intelligitur, non tantùm de morte Animæ, ſed etiam corporis, adeoque totius hominis.

28. Inde *Hieronymus* in quæſtionibus Hebraicis commendat Symnachum, quod comminationem illam verterit, quacunque die comederis, mortalis eris. Adamus enim lapſus non continuò erat moriturus, ſed morti obnoxius futurus, *Ambroſius* notat in lib. de Paradiſo cap. 9. ideò dictum eſſe, *morte morieris*, & non ſimpliciter morieris, quia de morte corporis & animæ ſermo erat. Auguſtinus eandem quæſtionem pertractans lib. 13. de Civ. Dei cap. 12. Cum requiritur, inquit, quam mortem Deus primis hominibus fuerit cominatus, ſi ab eo mandatum tranſgrederentur acceptum, nec obedientiam cuſtodirent utrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam, quæ ſecunda dicitur, Reſpondendum eſt, omnes: prima enim conſtat ex duabus: ſecunda ex omnibus tota.

29. 2. *Ex assertione Sapientis* cap. 1. v. 13. & 14. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim ut essent omnia cap. 2. v. 23. 24. Deus creavit hominem in corruptione: Invidiâ autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum. Invidiâ verò Diaboli peccatum primum est commissum. Ergo mors peccatum non antecessit.

30. 3. *Ex apertissimis Apostoli testimoniis* Rom. 5. v. 12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors. Similia vide Rom. 6. v. 23 1. Cor. 15. v. 21. 22. 55. Rom. 8. v. 10. Corpus mortuum est propter peccatum. Notat *Augustinus* lib. de peccatorum meritis cap. 5. Apostolum dicere noluisse *mortale sed mortuum*, quia ante lapsum Adami corpus erat quidem corruptibile potentiâ, quia constabat ex elementis; sed non actu. Vt igitur Apostolus inevitabilem moriendi necessitatem ostendat dicit *mortuum*. Quod enim necessario brevi est futurum, usitatè dicitur factum.

31. 4. *A remotione causarum mortis*: In statu hominis primo dari non poterat causa mortis. Ergo nec ipsa mors. Remotâ enim causa removetur & effectus. Causa verò mortis est quadruplex. 1. Externa vis, quæ tum dari poterat nulla. Primus enim homo creatus erat sapientissimus. Noverat itaque perfectè quævis noxia, quæ vitare & poterat, & debebat. 2. fames & sitis, quam homo semper sedare & restinguere debebat & poterat, cum multis abundaret arborum fructibus. 3. Morbi, quibus homo non erat subjectus, cum incredibili felicitate in illo statu frueretur. 4. Senium & debilitas, à qua per esum arboris vitæ fuisset præservatus.

32. Subjungimus unam aut alteram observationem. *Prima sit de mortis distinctione*: Est mors triplex. 1. *Corporis* quæ est animæ à corpore separatio, vitæ animalis privatio, & microcosmi transitus. 2. Animæ, quæ est gratiæ amissio. 3. Totius hominis, quæ est vitæ æternæ privatio: illam nominant nonnulli mortem naturæ, quod corpus è naturæ conditione potentia sit mortale; istam gratiæ, hanc gloriæ. Conferatur Augustinus lib. 13. de Civ. Dei cap. 12.

33. *Secunda sit de immortalitate*, quæ est absoluta, vel participativa: Immortalitas absoluta ex se & essentialiter omnis mutationis est expers, competitque soli Deo, qui propterea habere immortalitatem dicitur 1. Tim. 6. v. 16. Immortalitas participativa ab illa ab-

soluta dependet. Tribuiturq; statui innocentiæ, vel gloriæ. Illa non omnis mutationis erat expers, nec omnem moriendi potestatem excludebat, & piè creditur, Adamum emenso stadio in beatiorem statum transferendum fuisse; Hæc, quæ est beatorum, & potestatem & actum moriendi removet.

34. Non incommodè ex *Augustino* differit hac de re *Lombardus* lib. 2. dist. 9. lit. A, Primus, inquiens homo secundum naturam corporis terreni immortalis fuit quodammodo, secundum aliquid: quia potuit non mori, & mortalis quodammodo, quia potuit mori. In illo namq; primo statu habuit posse mori & posse non mori. In secundo verò statu post peccatum habuit, posse mori & non posse non mori: quia in hoc statu moriendi est necessitas: In tertio statu habebit, posse non mori & non posse mori: quia ad illum statum pertinet moriendi impossibilitas.

35. Augustinus lib. 3, de Gen. ad Lit. c. 2, alia, inquit, est immortalitas carnis quàm in Adamo accepimus, alia, quàm in resurrectione speramus per Christum: Ille factus est homo immortalis, ut posset non mori, si non peccaret, moreretur autem si peccaret. Filii verò resurrectionis non poterunt ultrò peccare, nec mori. Caro nostra non tunc egebit refectione ciborum, quia nulla poterit esse defectio. Docent *Augustinus & Lombardus*, magnum esse discrimen inter infinitam loquendi formulam & definitam. Proinde aliud esse posse non mori, & aliud non posse mori.

36. Quæstio tertia: *Vtrum immortalitas Adami fuerit naturalis proprietas; an verò donum supernaturale extrinsecum?*

37. Respond. Bellarminus lib de Grat primi hominis cap. 9. *Primi hominis, inquit, immortalitatem supernaturalem fuisse, non naturalem, constans est sanctorum Patrum sententia.* Baldvinus compendiator pag. 678. *Demonstrabimus, inquit, primi hominis immmortalitatem non naturalem, sed supernaturalem, non debitam, sed gratuitam, non naturæ conditionem, sed gratiæ beneficium esse nominandam.*

38. Protestantium verò immota est sententia, *immortalitatem in statu innocentiæ fuisse conditionem naturæ, & non donum quoddam supernaturale extrinsecum.*

39. Prius quàm istam confirmamus observationes quasdam præmittimus. Primò igitur repetimus vocabulum *immortalitatis* usurpa-

ri variè. Nam 1. significat impotentiam moriendi absolutam, & simplicem, 1. *Tim.6.v.16.* Hoc sensu Patres negant, & nos cum illis; primũ hominem immortalem fuisse naturâ. 2. Impotentiam moriendi ex gratia creationis, sic Angelos, & animas hominum dicimus esse immortales. 3. Impotentiam moriendi gratiosè conferendam, sic corpora beatorum erunt in corruptibilia: Apostolus dicit, 1. *Cor.15.v.42. Seminatur in corruptione, resurget in corruptibilitate.* 4. Potentiam non moriendi, seu negationem actus moriendi ob interveniente aliquam hypothesin, sic homo primus ante lapsum erat immortalis etiam secundum corpus ex hypothesi unionis cum animâ immortali.

40. Secundò, Distinguimus *inter considerationem totius hominis, & partium hominis:* Non quæritur de altera hominis parte, nimirum de corpore: Hoc enim potentia corruptibile fuisse, est extra controversiam: Sed quæstio est *de toto homine annon talis ipse fuerit conditus, ut esset naturâ immortalis, & ne divelleretur anima à corpore,* Idq; affirmamus, & propugnamus.

41. Tertiò, Causa hujus immortalitatis efficiens, principalis, & proxima fuit indissolubilis animæ cum corpore unio, seu fuit ipsa anima, quæ cum sit forma corporis humani, actum suum communicat cum corpore, & dat, esse, fieri, & operari formato. Condita enim est anima, 1. ut sit Spiritus intelligens, & immortalis. 2. Ut dependentiam ad corpus habeat, illud informet, vivificet, & cum corpore totum essentiale constituat. 3. Ut pro diverso vitæ statu diversas in corpore suo operationes exerceat. Hæc igitur corpus reddit vivum. Corpus enim vivit non ex se, nec vitâ propriâ, sed vitâ animæ. Augustinus dicit libr. 13. de Civit. Dei cap. 2. *Vivit corpus ex anima, cum anima vivit in corpore.* Vixisset verò ex eâ, nisi homo peccasset in perpetuum, & sic homo naturâ immortalis fuisset. *Immortalitas enim est vitæ perpetuitas:* Et *immortalis est, qui vivere, & sentire non desinit.* Talis fuisset homo non extrinsecé, sed intrinsecè ex beneficio animæ, si non peccasset.

42. Causâ conservans immortalitatis hujus fuisset arbor vitæ: Hujus enim esu homo vires suas vegetas in continuò vigore, & juventâ conservasset.

43. His præmissis, *totum hominem, quem animal rationale definimus, & ex corpore, & anima constare asseveramus, suâ naturâ fuisse immortalem,*

ostendimus 1. *A justitia originali, & totius imaginis Dei consideratione*: Tota imago Dei, & justitia originalis erat homini naturalis, naturam ejus perficiebat, & ad posteros propagari debebat. Atqui immortalitas erat pars imaginis Dei. Ergo.

44. 2. *A causa mortis, & mortalitatis*: Propter peccatum mortalitas, & mors intravit in mundum, *Gen.*3. *Rom.*5. 6. Ergo mortalitas non sequitur hominis naturam, sed ejus contrarium nempe immortalitas. Vel ita: Quod est pœna peccati naturam per se destruens, ejus contrarium homini integro est naturale. Mors, & mortalitas est pœna peccati naturam per se destruens. Ergo morti contraria immortalitas homini integro fuit naturalis.

45. 3. *A propagatione immortalitatis*: Dona extrinseca, & supernaturalia non sunt hæreditaria. Immortalitas verò Adami, modò ipse á perfectione suâ non defeciisset, fuisset hæreditaria, & non in posteros propagata. Ergo non fuit donum supernaturale, & extrinsecum, sed intrinsecum.

46. 4. *A contrariis statibus, eorumq; contrariis affectionibus*: In statu corruptionis posteri Adami sunt naturâ filii iræ, *Eph.*2. *v.*3. Ergo in statu innocentiæ posteri Adami naturâ fuissent filii gratiæ, & vitæ, si Adamus legem Dei non fuisset transgressus: Contrariorum enim contraria sunt attributa, & conditiones.

47. *Partes hominis sunt anima, & corpus. Animam essentialiter esse Spiritum immortalem, extra dubium est. Corpus verò Adami conditum erat ex Elementis, adeòque ex materia corruptibili. Ergo & ipsum erat corruptibile, resolviq; in sua poterat principia.* Principiatum enim sequitur naturam principiorum materialium.

48. Quamvis igitur corpus potentia esset corruptibile, actu tamen erat incorruptibile, idque ostendimus. 1. *Ab unione corporis cum animâ*: Anima enim Adami erat spiritus immortalis, & incorruptibilis, & huic essentialiter, & indissolubili vinculo erat corpus ejus unitum, & mansisset si legem servasset. Ergo anima corpus, quod potentia erat corruptibile efficiebat suâ sanctâ in habitatione actu incorruptibile.

49. 2. *A remotione causæ mortis, & destructionis*: Absente causâ mortis, & actualis destructionis, abest & ipsa mors, actualisque destructio: Negatâ enim causâ negatur & effectus. Atqui in corpore Ada-

re Adami aberat causa mortis, & actualis destructionis, quæ est peccatum, *Rom.5.ver.15.cap.8.v.10.* Ergo aberat & ipsa mors, actualisque destructio.

50. 3. *A recuperatione actualis incorruptibilitatis*: Quod secundus homo nobis recuperavit, id primus habuit, sed per transgressionem amisit. Secundus verò homo Christus recuperavit nobis corpora suo tempore actu incorruptibilia, 1.*Cor.15.v.* 43. Ergo primus homo actu corpus incorruptibile habuit.

51. 4. *Ab absurdo*: Si enim actu corpus primi hominis fuisset mortale, moriturus primus homo fuisset, etiamsi non peccasset. Consequens absurdum esse, in quæstione præcedente ostendimus. Ergo & antecedens.

52. Denique his rectè adduntur rationes ab exactissima qualitatum primarum, & secundarum harmoniâ, à temperamenti æqualitate, & ab arbore vitæ desumptæ.

53. Quamobrem licet corpus in se sit compositum, materiatum, & potentia fuerit corruptibile, tamen vi animæ perpetuam humorum, & spirituum harmoniam erat conservaturum ab omni morborum intemperie, luce, & morte immune. Itaque immortalitas homini primo erat naturalis.

54. *Opponit Bellarminus ratiunculas nonnullas, primam sumit à materia*: *Homo ex contrariis constat elementis, & humoribus. Ergo naturâ est mortalis*: *Et per consequens immortalitas est ei præter naturam, vel potius supra naturam. Secundam à modo productionis*: *Quicquid est generabile, illud est etiam corruptibile. Atqui homo in statu innocentiæ erat generabilis, cum ei dictum esset, Gen.1.crescite & multiplicamini. Ergo. Tertiam à causa conservante*: *Nam corpus Adami indigebat cibo, & potu, ut perspicuum est ex cap.1.Gen. ubi dantur herbæ, atq; arborum fructus tum homini, tum animantibus cæteris in escam. Ergo natura erat mortale. Quartam ab arbore vitæ*: *Hæc enim data erat, ut corporis valetudinem conservaret. Ergo corpus per suam naturam fuit mortale. Quintam à statuum discrimine*: *In statu gloriæ immortalitas demum obtinget juxta illud Apoc.21. v. 4. Mors amplius non extabit, neque luctus. Si primi verò hominis corpus fuit immortale tollenda est differentia hæc inter statum creationis, & glorificationis. Idem confirmat testimoniis quorundam Patrum utpote Augustini & Cyrilli.*

55. Resp. 1. Vitiosa est collectio à parte hominis ad totum

hominem: *Toti enim essentiali, & integro possunt quædam attribui, quæ non competunt singulis partibus, & membris*: Licet pes non rationetur, non tamen hinc consequens est totum hominem non ratiocinari: Sic corpus hominis in statu innocentiæ erat natura, & potentia quidem per se corruptibile; Sed totus homo natura erat incorruptibilis, & immortalis. Anima enim vi quadam erat prædita, qua poterat corpus suum ab omni corruptione servare, quamdiu subjectus fuisset homo Deo: Inerat hæc vis animæ beneficio conditoribus, sed tamen competebat ipsi naturaliter. Unde respectu causæ remotæ rectè dicitur primus homo immortalis beneficio conditoris; respectu causæ propinquæ beneficio animæ. 2. Corpus hominis constat ex Elementis, alitur cibo, & potu, & est generabile. Itaque ante lapsum erat quidem corruptibile potentia, sed non actu, idq; propter indissolubilem cum anima unionem, qualitatum perfectam harmoniam, temperamenti æqualitatem, arboris vitæ fructum, & esum. 3. Mortale aliquid dicitur dupliciter; Propriè id dicitur mortale, quod per successivam partium absumptionem ad mortem certò secuturam naturaliter propendet. In hac significatione corpus Adami ante lapsum non erat mortale; vel impropriè, & abusivè pro remotissima moriendi potestate, quæsi homo integritatem servasset nunquam fuisset in actum traducta.

56. Denique objicitur illud Apostoli 1. *Cor.* 15. *v.* 45. 46. 47. *Factus est primus homo Adam in animam viventem: Extremus Adam in spiritum vivificantem. At non primum, quod spirituale, sed non animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra, terrenus: Secundus homo ipse Dominus de cœlo.* Ergo primus homo fuit animalis, & terrenus. Ergo natura fuit mortalis.

57. Resp. Vel intelligendus est locus ille de Adamo post lapsum, qui mortalis est factus, & in nos, ut communis noster parens, mortalitatem propagavit. vel appellationibus *hominis animalis & terreni* inteiligitur eo in loco non homo, qui natura & actu sit mortalis, sed qui vitam animalem vivat, cibo, & potu indigeat, sibique simile generet, quod ipsum abolebitur in statu gloriæ.

58. Quæstio quarta: *An homini primo in bestias & alios homines fuerit concessum dominium?* Minus principalis imaginis Dei ratio consistebat in conformitate externi dominii cum Dei potestate. Quem enim

enim Deus sibi fecit similem naturæ dignitate, eundem sibi assimilavit dominii potestate, ne dignitas dominii potentia destituta vilesceret:

59. *Itaq; homini concessum fuit dominium in bruta.* Arguit id Dei mandatum *Gen.1.v.26.Syr.17 v.3.4.*

60. 2. *Congregatio animalium coram Adamo.* Virtute enim divina coram Adamo animalia quævis sunt congregata, ut principatus in omnia Adamo concederetur, ipsisque nomina imponeret sua non respectu *possessionis* sed *convenientiæ.* Cujus verò est nomina prima, & sua rebus imponere, ei res omnes debent inservire.

61. 3. *Domini hujus post lapsum vestigia.* Immanes enim bestiæ cameli, equi, vel à puero dicuntur, coguntur, cœduntur. Et licet bestiæ nonnullæ feritate & robore homini sint formidabiles ab homine nihilominus sibi metuunt, & inde noctu tantum audent progredi è latibulis suis.

62. Addit rationes nonnullas *Thomas par.* 1. *quæst. 96. Art.1.* quarum primam petit *ex ipso naturæ processu*, qui talis est, ut inferius sit propter superius & imperfectius sit propter perfectius. Secundam *ex ordine providentiæ divinæ*, quæ inferiora per superiora gubernat. *Tertiam ex proprietate hominis & aliorum animalium.* In homine enim invenitur universalis prudentia, quæ est ratio omnium agibilium; In reliquis verò animalibus invenitur participatio tantum quorundam actuum. Omne verò quod est per participationem subditur ei, quod est per essentiam & universaliter.

63. Observandas verò censemus nonnullas distinctiones utpote. 1 *Dominium esse absolutum, vel respectivum seu comparatum:* Illud soli competit Deo; hoc homini est collatum. 2. *Hominem dominaturum fuisse in statu innocentiæ vel imperando, vel etiam utendo.* imperando animalibus aliis, utendo viribus naturalibus & ipso corpore: Vide *Thomam par.1.quæst.96.Art.2.* 3. *Differre dominii collationem & collati usurpationem.* Collatio non est amissa, sed etiamnum durat. Ideò sunt, qui hinc disputant, quod liceat lege divinâ feras capere, occidere, idq; ob repetitionē concessi dominii *Gen.9.v.2.* Usurpatio vero per peccatum est imminuta. Non ante lapsum omnia animalia homini sponte obediebant, & nocebant; Post lapsum quædam non nisi coactè obediunt, nocent & lædunt.

64. De-

64. Denique quærunt Scholastici, *Vtrum homo solis brutis, an verò etiam aliis hominibus dominaturus fuisset?* Affirmatè & quidem rectè respondet *Thomas par.1.quæst.96.tit.4.* Nam inter Angelos certi sunt ordines, & superiores inferioribus præsunt. Ergo non erat contra statum innocentiæ, quod homo homini dominaretur. Idque requirebat. 1. *Vitæ societas.* Homo enim naturaliter est animal sociale. Requirebatur igitur, ut unus reliquis præsideret, qui ad bonum commune intenderet. Nam multi per se etiam intendunt ad multa. 2. *Virtutum eminentia.* Nam homo virtute præluxisset homini. Inutilitatem verò aliorum hanc transferre debebat. Administret unusquisq; gratiam quam accepit in alterum dicit Apostolus *Petrus 1. Epist.c.4.*

65. Inæqualitas vero statui gloriæ non contrariatur, 1. *Cor.15.* Ergò multòminus statui innocentiæ, in qua ea futura erat, ut pulchritudo ordinis magis in hominibus reluceret: A Deo quæ sunt, ordinata sunt, *Rom.13.v.1.* Ordo autem vel maximè in disparitate consistit. Hæc igitur saltem futura fuisset. 1. *quoad sexum.* 2. *quoad ætatem* 3. *quoad scientiam.*

66. Recte notant Scholastici dominium aliud esse in servos; aliud in liberos; illud est coactum & acerbum, hoc spontaneum & jucundum: illud statui innocentiæ repugnabat, hoc ordini inserviebat, fuissetq; *patrium* nempe parentum in liberos: *maritale* utpote mariti in uxorem & forte etiam *civile*, nimirum seniorum in juniores.

Finis Disputationis XLII.

DISPUTATIO XLIII.

DE PECCATO IN GENERE,

Resp. Richardo Bennichio Holsato.

THESIS I.

EGIMUS *de statu hominis primo, qui fuit de gratiæ collatione : Sequitur secundus, qui est de collatæ gratiæ amissione. Seu potius gratiæ collationem examinandam exhibuimus in consideratione imaginis Dei, ad quam homo erat conditus: Collatæ igitur istius gratiæ destructionem contemplabimur in peccati deformitate. Destructio enim imaginis Dei est peccatum : Inde Adamus post lapsum generavit filios non ad Dei imaginem, sed ad suam imaginem, qualem erat in ipso. Quemadmodum verò peccatum naturæ integritatem destruxit: Ita ejus cognitio integritati recuperandæ multum inservit. Quò enim magis morbi gravitas innotescit, eò vehementius ad quærendum medicum desiderium efflorescit.* Notitia peccati initium est salutis dicit Bernhardus lib. de anima cap. 11.

SENTENTIA PROTESTANTIUM

2. Definitio verò peccati, 1. Johan. 3. ver. 4. hæc traditur ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Peccatum est illegalitas. Theodoretus quæst. 1. in Levit. dicit: Peccatum est transgressio legis. *Damascenus lib. 4. cap. 23. Peccatum est prævaricatio mandati.*

3. Usurpatur vocabulum peccati aliter à Politicis, & Philosophis, & aliter à Theologis. Jureconsultis *peccatum est actio voluntaria scienter contra rectam rationem perpetrata.* Philosophi practici nonnihil latius vocabulum peccati seu vitii extendunt: *Quosdam enim interiores etiam affectus vitiis annumerant, culpant, & præcepta in Ethicis de affectuum moderamine ingeminant.* Theologi latissimè appellatione peccati utuntur: Nam non tantum culpant *peccati dominium, reatum, & sensum, sed etiam ipsam radicem. Omne igitur illud ipsis est peccatum, quod est contra legem Dei, sive fit defectus, sive actus, sive habitus connatus sive acquisitus, sive sit aliquod voluntarium, sive involuntarium, sive à sciente, sive ab ignorante perpetretur.*

4. *Genus & formam* cujuslibet peccati nervosissimè unâ hac voce ἀνομίας comprehendit Johannes. Alpha in compositionibus plerunque est στερητικὸν, id est, privandi vim obtinet. Notat igitur hoc loco ipsam transgressionem, sive aberrationem. Limitatur illa aberratio vocabulo νόμου. Aberratio enim est à norma, cujus hîc signum, & expressio est lex.

5. Triplex verò est norma, alia actuum naturalium, alia artificialium, & alia moralium. Respectu triplicis aberrationis triplex communiter constituitur peccatum (terminis sobriè explicatis) naturale, artificiale, & morale, seu theologicum. Hoc loco agitur de vitio seu peccato morali, quod theologicum dicitur. Norma seu regula, à quâ peccatum hoc deflectit, est sola Dei voluntas, & justitia. Quemadmodum enim bonum dicitur id, quod cum voluntate divinâ congruit, ita malum est, quod à voluntate divinâ reflectit. Voluntatis verò, & justitiæ divinæ signum, & expressio est lex naturæ inscripta, & postmodum á Mose præscripta.

6. Duo porrò in peccato veniunt consideranda, *privatio & positio Privatio integritatis*, h.e. justitiæ, & sanctitatis, in qua primus homo erat conditus, destructio, de qua dicit Apostolus, *Rom.3.v.22. Omnes peccaverunt, & carent gloriâ Dei. Positio vitiosæ qualitatis*, privationem integritatis est insecuta. Apostolus *Eph.2.v.3. Natura, inquit, sumus filii iræ.* Natura igitur nostra est commaculata. Inde Propheta David semetipsum accusat, quod in multiplici immundicie sit conceptus, & in lucem editus. Itaq; se invicem consequuntur *defectus, defectui contrarius affectus, & ex affectu fluens malus, & perversus actus.*

7. Accuratè & exquisitè loquendo peccatũ caret essentiâ, fine, & efficiente, dicit Dionysius in lib. de div.nom. Et mali non tam efficiés quàm deficiens causa est quærenda, Aug. lib.12. de civ. Dei. c.7. Causa n. est ens: Ens verò omne est bonum. In sensu v. generalissimo peccati causa traditur duplex: *extrinseca & intrinseca.* Extrinseca causa est per se, vel per accidens. Extrinseca per se hominem ad peccandũ irritans est Diabolus, qui est pater mendacii, *Joh.8.v.44.1. Joh.3.v.8.12.44.1.* ipse non tantum primum ad peccandũ induxit, sed ad huc operatur in filiis diffidentiæ, *Eph.2.v.2.* Excæcat, *2. Cor. 4.v.4.* Implet cor malitiâ, *Act.5.v.3.* Seminat Zizania, *Matt.13.v.28.* Captivos tenet homines, *2. Tim.2.v.26.* Seducit, *Apoc.2.& 20.*

8. Seductio Satanæ non est violenta, sed persuasoria: Instigat, al-

licit, præstigias nectit, laqueos tendit. Non igitur causat peccata voluntatem cogendo, sed objecta proponendo, foris persuadendo, intus phantasiam commovendo, pravasq; cogitationes suggerendo.

9. *Extrinseca peccati causa per accidens est duplex:* 1. Objecta in sensus incurrentia, & appetitum moventia. Objecta enim movent sensus præsertim cum Diabolus rebus externis velut instrumentis abuti possit. 2. Lex in se quidem bona, sed suâ severitate per accidens contumaciores reddens homines. *Omne enim prohibitum est dulce.*

10. *Intrinseca, & propinqua peccati causa est hominis voluntas.* Scriptura causam proximam lapsus ponit in libertate voluntatis, qua se spõte á Deo avertit, *Syra.* 15. *v.* 14. Deus n. reliquit hominẽ in manu cõsilii sui. Propria igitur ejus voluntas, & electio est propinqua, & directa peccati causa.

11, Secundum acceptionem & considerationem peccati duplicem, duplex ejus est materiale, & formale. Prior acceptio est *absoluta*, prout est in prædicamento qualitatis, vel Actionis, & secundum se consideratur, Deiq; imagini opponitur. Posterior est *respectiva*, prout refertur ad Prædicamentum Relationis, & sic relatè respectu personæ consideratur, cui imputatur, vel non imputatur.

12. *Materiale peccati absolutè considerati est illud omne, quod illegalitatis est capax*, cujusmodi est illud, quod divinâ lege cõprehenditur. *Formale peccati absolutè considerati, est à lege aberratio. Materiale peccati relativè considerati est ipse vitiosus habitus, & actus: Formale ejus est reatus, seu ad pœnã obligatio sive imputatio.* Hoc sensu, nempe relativo, dicũt Theologi, formale peccati tolli per Baptismũ, & materiale remanere: Nã nõ imputatur personæ. Est igitur veniale nõ respectu sui, sed respectu personæ.

13. *Finis peccati accuratè, & per se sic dictus nullus dari potest.* Finis enim est rei perfectio. Significat igitur bonum rei, quod ab omnibus expetitur causis. Boni verò peccatum non est positio, sed destructio. Ex accidente in homine lapso, & pœnitentiam agente manifestat Deus misericordiam suã; In homine v. peccatore finaliter incredulo suã justitiam. Nam quia Adamus est lapsus, & quia id Jehova ab omni æternitate prævidit, ideò decrevit in Adamo, & posteris lapsis declarare suam gloriam, peccatumq; ad hunc finem ordinare, & disponere. Itaq; manifestatio gloriæ est peccati finis non per se, sed per accidens: Et peccatum manifestationis hujus est medium non φύσει naturâ, sed θέσει positione.

14. Consequentia seu effecta peccati sunt reatus & pœna. *Reatus est obligatio ad pœnam. Deut. 27. v. 27.* Pœna est mors cum corporis temporalis, tum animæ & corporis simul æterna, *Gen. 2. v. 17. cap. 3. v. 19.*

15. Subjectum denominationis peccati est tota hominis natura, *Esa. 1. v. 6. Rom. 6. v. 6. Coll. 2. v. 11.* Subjectum inhæsionis principale est ipsa anima quippe quæ principaliter justitiâ originali fuit prædita, cujus peccatum est destructio, & prava successio. Itaq; intellectus, & voluntas hominis, omnesq; animæ facultates sunt coinquinatæ. Minus principale subjectum inhæsionis est corpus, quod secundum se totum, & totum sui est coinquinatum.

SENTENTIA PONTIFICIORUM

16. Peccatum est merè privativum, & non positivum, *Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. cap. 15.*

17. Non est proprie contra legem, nisi id, quod est voluntarium. Neque enim lex propriè datur nisi iis, qui habent usum liberi arbitrii. Nullo igitur modo est peccatum, nisi sit voluntarium, *Bellarminus lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 1.*

18. Adamus non est propriè seductus, sed tantum Eva, Bellarminus lib. 3. de amiss. grat. cap. 7.

18. Primum primorum parentum peccatum non fuit incredulitas, sed superbia, *Bellarminus lib. 3. de amiss grat. cap. 4.*

STATUS CONTROVERSIÆ

19. Controversia igitur inter Protestantes & Pontificios, quæ hoc loco movetur est de peccati quidditate, & essentiâ, num sit merè privativum, & voluntarium. De ipsis seductis, sitne sola Eva, an verò etiam Adamus seductus: De ordine vitiosorum actuum, utrum superbia; an verò incredulitas fuerit omnium primus.

20. Quæstio prima. *Vtrum peccatum sit tantum* imaginis divinæ, seu justitiæ originalis privatio; An vero *etiam contrarii successio, & qualitas positiva?*

21. Resp. Scribunt Pontificii Decalogum à Renatis perfectè posse impleri: Naturalia adhuc esse integra: Justitiam originalem externum fuisse ornamentum, idque sine naturæ damno, & sine contrarii positione esse petractum vanâ sibi spe persuadent. Itaque peccatum tantum esse boni, seu justitiæ originalis privationē statuunt. *Conc. Trid Sess. 5. Dec. 1.* propriā peccati originis rationē silentio involvit, quod *Andradius*

secretorum Concilij huius conscius, *consulto factum esse dicit, lib. 5. Defens. fid. Trident. Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. cap. 15.* contra quosdam disputat Catholicos, peccatum esse merè privativum, videatur etiam *Suaretz, Disput. 11. sect. 1.*

22. Docent contra Protestantes ex Scripturâ, *à nullo mortalium, Christo excepto perfectè posse impleri Decalogum: Naturalia non esse in nobis integra: Justitiam originalem fuisse accidens connaturale, & concreatum: Huic per lapsum Adæ deperditæ successisse inordinatam dispositionem, in intellectu tenebras, & cæcitatem, in voluntate aversionem, in omnibus viribus rebellionem. Itaq; peccatum non tantum est justitiæ originalis absentia, sed etiam prava concupiscentia, seu qualitatis pravæ positio.*

23. Sententiam hanc confirmamus 1. *à natura habitus, & descriptione peccati:* Omnis habitus, sive innatus, sive acquisitus est aliquid positivi. Atqui malum siue ethicum, sive originale Theologicum est habitus. Ergò. *Malum ethicum seu vitium definitur habitus electivus cum mediocritate, rectâ ratione, & judicio viri prudentis pugnans.* Originale malum, seu peccatum describitur etiam per habitualia, vt per figmenti cordis prauitatem, *Gen. 8. v. 24.* Per totius hominis immunditiem, *Job. 14. v. 4.* Per cordis insipientiam, *Rom. 1.* Per crassam intellectus ignorantiam, & stultitiam, *Ephes. 4. vers. 17. cap. 5. v. 8.* Et per ipsissimam vanitatem, *Psal. 62. Psal. 94.* Per voluntatis adversus Deum inimicitiam, *Rom. 8. v. 7.* Inde nominatur peccatum originale *priuatio habitualis, vel habitus priuativus. Quicquid igitur per animi vitia in Scripturâ designatur, & describitur, illud est aliquid positivi. Atqui peccatum originale per ea designatur, & describitur:* Ergo.

24. 2. *A peccati inhærentia:* Quicquid alicui inhæret, ipsique adjacet, illud non est merè privativum, sed aliquid positivi: Atqui peccatum originale homini inhæret, & adjacet. Ergo. Est enim malum accidens. Itaque inhæret. Non per se existit, sed inexistit: Imò inhærentia adeò necessaria est accidenti, vt eius videatur esse essentia: *Accidentis esse, est inesse* dicit *Scaliger Exercit. 10.* Peccatum originale nominat Apostolus, *Rom. 7. v. 17. 18. 20.* malum inhabitans. *vers. 21.* malum adiacens. *vers. 22.* Legem peccati in membris existentem, in ijsque rebellantem. Et *Heb. 12. vers. 1.* Nominatur peccatum nos undique circumstans.

25. 3. *Ab effectis positivis:* Quodcunque producit effecta possitiva,

tiva, illud est aliquid positiui: Quod enim non est, non agit. Atqui peccatum originale producit effecta positiva. Nam operatur malum, *Rom.7.v.17.20.* Repugnat legi mentis, *vers.23.* Concupiscentia originalis cum concepit, parit peccatum actuale, & regnans, *Jac.1.v.15.* E.

26. 4. *A consensu Patrum, & quorundam Scholasticorum: Augustinus lib.1.de nupt.& concup.c.25. Et lib.6.cont. Julian.cap.7.* Peccatum nominat malam qualitatem, eamque comparat languori. Unde infert B. Lutherus, *quod totam naturam instar lepræ, vel luis pestiferæ corruperit.* Thomas 1.2.q.28. Art. 1. *nominat peccatum originale habitum, seu dispositionem inordinatam provenientem ex dissolutione illius harmoniæ, in quâ consistebat ratio originalis justitiæ: Sicut ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio corporis, secundum quam solvitur æqualitas, in quâ consistit ratio sanitatis.* Vocat etiam *habitum corruptum, in quo fit aliquid Priuativum, nempe privatio originalis iustitiæ, & aliquid positivum, nempe inordinata dispositio partium animæ.*

27. Contra sententiam hanc opponit Bellarminus ratiunculas nonnullas. Prima est: *Peccatum originale non habet positivam causam, Ergo non est qualitas positiva.*

28. Resp. 1. Imó ostendimus eum thes. 7. & seqq. nimirum malitiosam Diaboli suggestionem, & voluntariam hominis assensionem. 2. Vocabulum *positivi* usurpatur vel latè, significatque illud omne, quod habetur, seu inhæret, sive fuerit bonum, sive malum, ut morbus; vel strictè, & notat ens bonum in naturâ, vel à Deo creatum, vel generatum.

29. Secunda: *Acquisitæ qualitates positivæ non transmittuntur in posteros. Atqui peccatum originale transmittitur. Ergo.*

30. Resp. 1. Justitia originalis erat habitus, qui propagari debebat in posteros. 2. confunduntur qualitates naturales cum personalibus. 3. Leprosi generant leprosos, calculosi calculosos. Ergo & Adamus genuit filium Sethum ad imaginem suam, *Gen.5.v.3.*

31. Tertia: *Aut Deus est author istius qualitatis, aut non. Si est, sequitur, quod sit author peccati. Si non est, nec erit author omnium rerum.*

32. Resp. 1. Ludit appellatione *positivæ qualitatis*, vide th. 28. 2. *Ens est creatum, generatum, factum, introductum, & præparatum*: Entis introducti author non est Deus.

33. Quarta: *Intelligi non posset, quomodo caro infecta animam inficeret*

ceret, *corpus enim non agit in spiritum*. Resp. Argumentum hoc pugnat contra eos, qui statuunt animas creari; At nos propagari eas docem⁹.

34. Quinta: *Fieri non posset, quin tam longo tempore qualitas illa vel extincta, vel immunita esset.* Resp. Non est quiddam extrinsecum, sed intrinsecum, quod totam pervasit naturam, vide thesin 24. Ergo non nisi totali corporis destructione aboletur.

35. Sexta: *Vt caro concupiscat adversus Spiritum, sufficit appetitus sensitivus freno originalis justitiæ destitutus. Ergo qualitas positiva non est necessaria.* Resp. 1. Eadem ratione voluntas est supervacanea. 2. Appetitus non ut talis, sed ut est corruptus rebellat.

36. Septima: *Sequeretur inde peccatum originis non tolli per Baptismum.* Resp. Tollitur non ut non sit, sed ut non imputetur. Tollitur ejus formale respectivum, sed non absolutum.

35. Quæstio secunda: *An omne peccatum sit voluntarium?* Concupiscentiam in Renatis peccatum esse negant *Pontificij*, proinde legem ab ipsis perfectè impleri posse scriptitant. Hinc disputant, nullum esse peccatum, quin sit voluntarium. Bellarm. de amiss. grat. & statu peccati, lib. 1. c. 1. Non quodvis, inquit, dictum, factum, concupitum; sed dictum, factum, concupitum, voluntarium contra legem æternam est peccatum. Vide eundem lib. 2. de grat. & liber. arbit. c. 7.

36. Quamvis verò *Protestantes* haud inviti largiantur, peccatum primorum parentum esse contingens, quod vitari potuerit: Et voluntarium, quod scientes volentesque diabolo subscripserint, atq; ita liberâ deliberatione, & cogitatâ ratione peccarint. Negant tamen omne peccatum in posteris Adami esse voluntarium, & quosdam motus etiâ in renatis reliquos affirmant esse involuntarios. Proinde docent concupiscentiam propriè & per se esse peccatum: Et ne à renatis quidem posse legem Dei impleri, cum quod nolint faciant.

37. Confirmatur sententia hæc 1. *Ex definitione peccati* à Johanne proposita: Quodcunque est de peccati essentia, illud Johannes suâ peccati definitione plenâ & accuratâ expressit. Atqui ne mentionem injecit voluntarij. Ergo non est de peccati essentia. Majoris rationem ostendit hæc maxima: Ex quo quid est, & constat, ex illo definitur. Cum igitur peccatum non definiatur à Johanne per voluntarium, & si hoc peccato esset essentiale, minus plena, & commoda definitio illa esset proclamanda, quod est impium, & absurdum

dum. Minor patet ex ipsa Johannis definitione. Nam peccatum definivit per deflexionem à lege. Omne igitur τὸ ἄνομον est peccatum, etiamsi non sit ἐκούσιον.

2. *A peccato originali:* peccatum originale propagatur in posteros Adami planè insçios, & consensum suum non dantes. Ergò non omne peccatum est voluntarium & propriâ culpâ commissum. Antecedens legitur Gen. 5. v. 3. Adam genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, intellige imaginem, quæ tum in ipso erat, nempe non Dei, sed peccati, Psalm. 51. v. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, Job. 14. vers. 4. Quis potest dare mundum de immundo? Ne unum quidem. Eph. 2. v. 3. Eramus omnes Naturâ filij iræ sicut & cæteri. Unde ipsi etiam infantes dicuntur peccatores, Rom. 3. v. 9. 23. c. 5. v. 12. Quicunque igitur non nisi illud propriè nominat peccatum, quod est voluntarium & propriâ voluntate commissum; ille cum Pelagianis negat peccatum originale. Hoc enim in posteros Adami ante omnem voluntatis usum & exercitium etiam plenè insçios propagatur.

38. 3. *A testificatione Pauli Rom. 7. v. 15.* Quod operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc facio &c: Malum verò hoc peccatum fuisse colligitur ex v. 14. Venundatus sum sub peccato. Sic igitur inferimus: Quod Paulus egit, non fuit voluntarium, quia non voluit, sed odit illud. Atqui quod Paulus egit, id fuit peccatum: Malum enim quod agimus, culpa & delictum, quod patimur pœna & suppliciim est. Ergo non omne peccatum est voluntarium, sed potius cum detestatione voluntatis conjunctum. Deinde idem dicit Apostolus Gal. 5. v. 17. Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus adversus carnem, ut non quæ vultis, illa faciatis. Hinc ita colligimus. Quod à nolente perpetratur, nequit dici voluntarium. Atqui peccatum, quod à Galatis fuit perpetratum, à nolentibus est commissum (Fuit peccatum, & sic non bonum, sed malum, quia voluntas bonum appetit, & non fugit) Ergo peccatum Galatarum non fuit voluntarium.

39. 4. *A peccatis ignorantiæ & infirmitatis:* Quædam peccata sunt ignorantiæ & infirmitatis. Ergo non omnia sunt voluntaria. Quodcunque enim est voluntarium, non ab ignorante, sed à volente perpetratur. Antecedens legitur Num. 15. v. 27. 28. Si anima per imprudentiam

prudentiam peccaverit, sacerdos reconciliabit eam pro peccato suo Psalm. 19. v. 13. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine. Exempla passim sunt obvia. Pharao ignorans uxorem Abrahæ in matrimonium postulavit, ob quod punitur, Gen. 12. v. 17. Judæi dicuntur per ignorantiam fecisse, Act. 3. vers. 17. Ignorans fuit persecutor Paulus in incredulitate, 1. Timoth. 1. vers. 13. Cùm igitur hujusmodi per ignorantiam committantur, non sunt voluntaria.

40. Annotavit Augustinus libr. 2. de nup. & concup. cap. 28. Peccatum originis dici posse voluntarium voluntate non propriâ sed alienâ, nempe primorum parentum. Inde Bonaventura in 2. sent. dist. 7. quæst. 1. Peccatum originale voluntarium esse scribit, non voluntate ejus, in quo est, sed voluntate ejus, à quo est. Alij triplici modo voluntarium illud nominari posse censent. 1. *Effectivè*, quòd à primorum parentum mala voluntate sumpserit exordium, quæ stirpis locum in genere humano obtinuit. 2. *Subjectivè*, quòd voluntati inhæreat, Matth. 15. vers. 19. 3. *Consecutivè*, quòd non renatus, quando ad ætatem pervenit, malo hoc summè delectetur.

41. Verùm non incommodè docet Dn. Chemnitius part. 1. Exam. p. 159. 176. Magis subtilem, & argutam, quàm accuratam illam esse opinionem. Nam peccatum est involuntarium, quia est naturale & hæreditarium, Ephes. cap. 2. Et motus etiam in renatis quidam sunt involuntarij, Rom. 7. Quinimò in ætate adultiori non consentimus, sed tristamur, quod primi parentes tantam contagionem nobis contraxerint. Quamvis igitur in foro politico peccatum sit nullum, quin sit voluntariũ, est tamen aliquod in foro divino, quod est involuntarium.

42. Quæstio tertia: *An Adamus propriè non sit seductus, sed tantùm Eva?*

43. Resp. Moses dicit *Gen. 3. vers. 6. Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile: Et tulit de fructu illius, & comedit, dedit q; viro suo, qui comedit.* Quare Adamus & Eva mandatum Dei violarunt: Et supervacaneum esse videtur, quærere quis in Paradiso propriè sit seductus, & peccarit. Cum autem quæstio ea moveatur à Bellarmino, breviter eam decidemus.

44. Seductum igitur esse Adamum, his ostendimus fundamentis. 1. Bellarminus scribit lib. 3 cap. 6. *Seducitur quis cum ei persuadetur aliquid falsum sub specie veri.* Atqui Adamo multiplex error falsus, & quidem secundum Bellarminum triplex fuit persuasus. Ergo. 2. vel ita: Cuicunque persuadetur pro vero falsum, pro bono malum, is propriè seducitur. Atqui Adamo persuadetur pro vero falsum, pro bono malum. Ergo. Persuadetur verò aliquis vel rationabiliter ut seducebatur Eva à serpente; vel occasionabiliter, & impulsivè, sic Adamus seducebatur à muliere, Apostolus Paulus à suâ concupiscentiâ, *Rom. 7. vers. 11. Peccatum occasione acceptâ per mandatum, seduxit me, & per illud occidit*: Sic superbus quisque seducitur à semetipso, *Galat. 6. vers. 3. Qui se existimat, esse aliquid, cum nihil sit, is seducit seipsum.*

45. 3. Scriptura æstimat seductiones, & scandala non ex animo seducendi, & scandalizandi, sed ex re ipsa, quâ alter vel seducitur, vel scandalizatur. Quare Eva Adamum verè seduxit, si vel maximè seducendi animum non habuit. Antecedentis veritas patet vel exemplo hæreticorum, qui non Deum faciunt mendacem, sed alios imperitos, & sic multis imponunt: Et nonnulli eorum statuunt à se ipsissimam prædicari veritatem, & propterea non seducendi habent animum. At nihilominus dicuntur seducere, 1. *Johan. 2. v. 26. cap. 3. vers. 7.* Christus dicit ad Petrum *Matth. 16. v. 23. Vade post me Sathana, scandalum mihi es*, hoc est, tu talia consulis, quæ sunt scandala, licet non scandalizent.

46. 4. Accusat Jehova Adamum *Gen. 3. vers. 17.* dicens, *quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Qui verò relinquit locum apud se alterius verbis, ille ab eo persuadetur. Atqui Adamus verbis Evæ apud se locum reliquit. Ergo. Nam Eva à Diabolo seducta comedendum tradit pomum Adamo, qui comedit. Ergo Diabolus per Evam seduxit Adamum.

47. 5. Imò etiamsi Adamus non ab alio, tamen à seipso esset seductus. Nam seductores dicuntur, 2. *Timoth. 3. vers. 13.* qui cùm semetipsos, tùm alios seducunt. Falsi Prophetæ seductionem cordis sui prophetant, *Ier. 14. vers. 14.*

48. *Objicitur verò contra sententiam hanc primò Locus, Rom. 5. versiculo*

ſiculo 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum. Ergo non per duos.

49. Reſp. 1. Nomine *unius hominis* intelliguntur Adamus, & Eva conjunctim, ut & *Gen. 1. v. 26. ubi dicitur, faciamus hominem*, quod *verſ. 27.* explicatur de maſculo, & fœmina. Dicuntur igitur mas & fœmina unus homo, non reſpectu unitatis numericæ, ſed primò reſpectu unitatis ſpeciei, & naturæ: Secundò reſpectu conſociationis conjugalis, ob quam conjuges ſunt una caro, *Matth. 19. verſ. 6.* 2. Imò Scriptura *Rom. 5.* appellatione *unius hominis* principaliter intelligit Adamum, ut ipſa oſtendit collatio Adami primi cum Adamo ſecundo. Ergo & Adamus eſt ſeductus, & in peccati conſortium adductus, atque peccati eſt cauſa.

50. *Secundò opponitur locus, 2. Cor. 11. verſ. 3. Timeo, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutiâ ſuâ: ita corrumpantur ſenſus veſtri.* ubi nulla, inquit Bellarminus, mentio fit Adami.

51. Reſp. 1. Nulla eſt conſequentia in argumento hoc: *Diabolus ſeduxit Evam. Ergo non ſeduxit Adamum per Evam.* 2. Quod Diabolus Adamum per Evam ſeduxerit, aliquot enarratis evicimus fundamentis.

52. *Denique provocat Bellarminus ad locum 1. Tim. 2. verſ. 14. Adam non eſt ſeductus: Mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit. Ex hoc infert, Adamum propriè non eſſe ſeductum.*

53. Reſp. Diſtinguimus 1. inter ſenſum abſolutum, & comparatum, inter ſeductionem ipſam, & ſeductionis ordinem: Adamus non eſt ſeductus nimirum primum, quemadmodum Eva: colligitur hæc reſponſio ex ipſo textu: Nam *verſ. 13.* dicitur: *Adam prior formatus eſt, deinde Eva.* Ordinem verò deſtructionis contrariari ordini conſtructionis optimè novit Diabolus. Et quod eſt ultimum in conſtruendo, ſæpè eſt primum in deſtruendo. Quare primò decipere ſtuduit Euam; Hanc enim ſeductam, ſeducturum Adamum conijciebat. *Eva igitur ſeducta fuit in prævaricatione*, dicit Apoſtolus, hoc eſt, extitit Adæ cauſa prævaricationis. Unde *Syr. c. 25. v. 33.* dicitur: *A muliere initium factum eſt peccati.* 2. Inter ſeductionem immediatam, & mediatam: Adamus ſeductus eſt à Diabolo non ἀμέσως, ſed ἐμμέσως mediante mulieris perſuaſione. Ambroſius ſcribit in commentarijs ſuper locum hunc: *Vir per mulierem deceptus eſt: ac per hoc nulla illi concedenda audacia eſt.* 3. Inter ſeductionem internam, & externam:

Seductione externâ à Diabolo est sola Eva, quia hanc tantùm foris est aggressus, & cum eâ in serpente collocutus; Intus verò per suggestionem Diaboli Adamus est seductus.

54. Excipit Bellarminus, *interpretationes, inquiens, illæ, si veræ essent, redderent argumentum Apostoli planè infirmum, ac debile. Non enim propterea censendum est, mulieres immaturi judicij esse, & ad docendum ineptas, quod Heva seducta sit à Diabolo, & Adam à muliere, vel quod Hevæ sit prius seducta, quàm Adam; vel quod Hevæ seductio fuerit causa prævaricationis Adæ, non contra. Nam quod Heva seducta sit à Diabolo, Adam à muliere, tantum abest, ut arguat mulierem simplicioris esse naturæ, quàm virum, ut potius arguat contrarium: Siquidem longè difficilius est, evadere insidias Diaboli, quàm mulieris.*

55. Resp. Invertit Bellarminus argumentum Apostolicum. Non enim argumentatur Apostolus à simpliciori ingenio, & minori judicio, sed à mulieris peccato, & pœna divinitùs ipsi imposita. *Mulieri igitur non permittit Apostolus docere, nec viro dominari; quia non Adamus, sed Eva à Diabolo seducta Adamo, & toti generi humano prævaricationis exitit causa: Et modo illo doctrinæ mulier virum non docuit, sed seduxit. Quare à DEO in seductionis, & temeritatis pœnam potestati viri subjecta fuit.*

56. Quæstio quarta: *Vtrùm primum peccatum, & fons reliquorum peccatorum fuerit incredulitas, seu infidelitas; An verò superbia?*

57. Resp. B. Lutherus super cap. 3. Gen. scribit: *Radix, & fons peccati est incredulitas, & aversio à Deo, sicut è contrario fons justitiæ, & radix est fides.*

58. Sententiam hanc B. Lutheri propugnaturi, distinguimus, 1. *inter illud, quod est de fide, & quod est circa fidem.* De fide est scire, primos parentes gravissimè esse lapsos: Nam Moses & Apostolus Paulus scribunt, peccatum primorum parentum de non gustando fructu vetito fuisse transgressionem, delictum, & inobedientiam; Circa fidem est scire, unde ceperit hæc inobedientia, cujus quæstionis accuratâ decisione absque dispendio carere possumus, & quam missam faceremus, nisi scrupulosè eam moveret Bellarminus, & traduceret B. Lutherum. 2. *Inter ipsos vitiosos actus, & vitiosorum actuum ordinem:* Vitiosus actus in peccato hominis primo non est externa tantùm vetiti pomi comestio; Sed omnium præceptorum Decalogi violatio, ut *in*

ut in *primo præcepto*, Dei, ejusque verbi ex oculis remotio; Cum Diabolo collocutio, aurium, mentisq; ad verba ejus accommodatio in corde infidelitas, & dubitatio: *In secundo præcepto*, expressi Dei verbi in ore depravatio, *Genes. 3. versic.* 3. Et blasphema culpæ in Deum translatio, *versic.* 12. 13. *In tertio*, Arboris, in qua divini cultus sacrarium, & Sacramentum. Primis parentibus erat propositum, violatio, & sacrilegis manibus profanatio, atque in opere legis actualis trangressio: *In quarto*, in patrem cœlestem ἀχαριστία, & quoad fœminam, quasi ea potestatem corporis sui habeat, maritalis consilii abjectio, fructus prohibiti raptus, & devoratio: *In quinto*, homicidii, quo se, ac posteros suos in mortem naturæ, gratiæ, & gloriæ præcipitarunt, perpetratio: *In sexto*, fidelitatis in maritum, cui esum prohibitum fœmina persuadet, non observatio: *In septimo*, rei alienæ invito Domino contrectatio: *In octavo*, falsi testificatio, & falsi testimonii approbatio: *In nono, & decimo*, in concupiscentiæ gurgitem præcipitatio.

59. Quamvis verò in lapsu hominis primi multi concurrerint vitiosi actus, in illis tamen datur ordo, unde de peccato hominis omnium primo disputatur: Fuisse illud dubitationem de mandato divino, seu uno verbo infidelitatem sive incredulitatem cum B. Luthero asserimus, & assertionem confirmamus. 1. *ab ordine tentationis*: Nam Diabolus solicitat primò hominem *Genes. 3. versic.* 1. ad dubitationem de verbo Dei: *Numquid præcepit Deus, inquiens, ut non comederetis ex omni ligno Paradisi.* Deinde ex responsione Evæ mandatum Dei non rectè recitantis, sed depravantis, audacior factus Diabolus, prorsus negat verbum Dei *vers.* 4. *Nequaquam, inquiens, moriemini*: Et tum demum ad superbiam impellit, *vers.* 5. *Eritis, inquiens, sicut Dii, scientes bonum, & malum*: Inde Eva, cujus voluntas á verbo Dei erat aversa, & depravata, in externum prorumpit factum, tulit de fructu ligni, & comedit: *Ad quod igitur Diabolus primum solicitat, ita ut solicitationi huic homo assensum præbeat, illud est primum peccatum. Atqui prius Diabolus soliciat Evam ad incredulitatem, seu ad defectionem à verbo Dei. Ergo.*

60. Sentiunt Hebræi, Mosen tantùm notasse finem sermonis, nimirum id, quod Diabolus suâ oratione obtinuit, & omisisse, quæ præcesserunt, forte de dignitate, authoritate, & libertate homi-

nis in usu creaturarum : de imperfectâ hominis gloriâ, quæ inde sit conspicua, quod destituatur scientia boni, & mali, deq; Dei adversus hominem invidiâ, quem nolit nimium crescere, quasi dixerit: *Miror sanè, Deum vos tam multis privasse bonis; Multò magis autem, quod præcepit vobis aliquid de cibis.* Quare injicit Diabolus hac suâ oratione dubitationem animæ Evæ, vel *de ipso interdicto*, quod non sit tale á Deo profectum: vel *de sensu interdicti*, quod non sit intelligendum de arboris usu, seu de re minimi momenti: vel *de causa impulsivâ ejus*, quod sit profectum non á Deo bene cupiente, vel favente: *vel de causa finali*, quodad pernicièm hominis spectet, & non necessariis vinculis libertatem ejus constringat, maximisque bonis eum privet.

61. 2. *Ab Evæ responsione*, quæ dubitationem, & infidelitatem includit: Nam Eva interdictum Dei depravat partim addendo verba hæc, *ne tangeremus*, quibus innuit, interdictum hoc nimis esse rigidum; partim valorem interdicti istius imminuendo: In pœnâ enim repetendâ inserit vocem dubitandi, dicens, *ne forte moriamur*, quæ non erat divinitùs addita, & vitiat sensum mandati, quod pœnæ denunciationem habet certissimam. Ergo Eva de comminationis gravitate, & certitudine dubitat. Ergo in primo conflictu à Diabolo ad dubitationem, & infidelitatem fuit permota. Diabolus igitur videns Evam dubitantem, & ob rigorem mandati divini quasi indignantem, ad superbiam, argumentoà singularis scientiæ promissione sumpto, Evam instigat.

62. 3. *A verbi Dei contemptu, & tacitâ negatione*: Is est incredulus, qui verbum Dei negligit, & verbo Diaboli auscultat. Fecit id Eva, quæ Diabolum negantem audivit, ipsique tacitè consensit, vocem serpentis verbo Dei creatoris, & benefactoris, prætulit, quasi non per omnia homini bene cupiat, & multis commodis eum privarit. Procedit igitur à dubitatione ad negationem, non quidem expressam, & explicitam, sed implicitam, & tacitam, quia Diabolum negantem audit, ipsiq; non contradicit.

63. 4. *A testimonio Syracid. c. 10. versic. 4. Initium superbiæ est apostatare à Deo.* Jam verò ἀποστασία est ἀπιστία, vel pars ejus, 2. *Thess.* 2. Ergo infidelitas, ut causa effectum, præcedit superbiam.

64. 5. *A fidei naturâ.* Fides verbo Dei adhærens est fons omnium bonorum, *Hebr.* 11. *vers.* 6. *Accedentem ad Deum oportet credere.*

Ergo

Ergo incredulitas á verbo Dei discedens est fons, origo, & causa omnium malorum, teste etiam ipso Christo, *Joh. 3. v. 18. Qui non credit, jam judicatus est, vers. 36. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam. Johan. 16. vers. 8. Spiritus S. arguet mundum de peccato. vers. 9. Quia non credunt in Filium.* Imò impossibile est, ut homo fidem, & fiduciam in Deum retineat, atque superbiat. Eva igitur prius infidelis fuit, quàm superbivit. Nam comminationem mortis non sprevisset, nisi lumen fidei in ipsa extinctum fuisset.

65. Quare non subscribimus opinioni Scholasticorum, & Pontificiorum primum hominis peccatum superbiam esse statuentium. Gabriel Biel libr. 2. Dist. 22. quæst. 2. scribit: *Peccatum mulieris inchoatum fuit in superbiâ, progressum habuit in avaritiâ consummationem verò in gulâ.* Videatur etiam Thomas, Lombardus, & alii scholastici in lib. 2. dist. 21. 22. Scribit Bellarminus lib. 3. de peccat. c. 4. *Sententia Theologorum Catholicorum communis est, primum peccatum Hevæ fuisse superbiam.*

66. *Assertionis hujus fundamentum primum petit Bellarminus ex Syra. 10. v. 15. Initium omnis peccati. Ergo hæc est primum peccatum.*

67. Respond. 1. Remittimus ad versiculum 15. ejusdem capitis, qui sic habet: *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo.* Unde colligimus infidelitatem esse initium superbiæ: Nam nihil est initium sui ipsius: Et ἀποστασία est quædam ἀπιστία. 2. Agit Syracides v. 15. non de peccato originali, sed de superbia actuali, ex quâ pullulant alia flagitia.

68. *Fundamentum secundum petunt ex Tob. 4. v. 14. In superbia initium sumpsit omnis perditio. Ergo hæc est primus actus vitiosus.*

69. Resp. 1. Loquitur Tobias non de peccato originali, & lapsu Adami, sed de superbiâ actuali. Ergo non agit de ordine vitiosorum actuum. 2. Effectum ostendit superbiæ, nempe perditionem, quæ non excludit, sed includit infidelitatem. 3. Vitiosa est versio latina: In græcâ enim editione sic legitur: ἐν τῇ ὑπερφανίᾳ ἀπώλεια καὶ ἡ κατάστασις πολλή h. e. in superbia perditio, & non stabilitas multa. At consequentia est nulla: *In superbia est perditio. Ergo superbia est primum peccatum.*

70. *Objectionem tertiam petunt ex Rom. 5. v. 19. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. Actus verò primus superbiæ est, nolle subjici imperio, & præceptis alterius, quæ propriè dicitur inobedientia: Sicut è contrario humilitatis est, subjici imperio, & præceptis aliorum, quæ propriè dicitur obedientia.*

71. Resp.

71. Resp.1. Inobedientia complectitur totum Adami peccatum: Non autem ostendit ordinem vitiosorum actuum. Scopæ igitur sunt dissolutæ. 2. Primus gradus superbiæ est ipsa infidelitas: Hæc enim describitur per τὸ nolle obedire mandato & voluntati Dei. Primus igitur superbiæ gradus est nolle credere verbis Dei. Certè cor hominis non potuit efferri: quin prius fides verborum Dei esset labefactata.

72. *Denique objicitur ratio hæc: Finis prior est mediis. Præsupponitur enim finis, cujus media quæruntur. Atqui superbia erat finis hominis mandatum Dei transgredientis, quippe qui similis volebat esse Deo; Neglectus mandati erat medium. Ergo illa erat prior; hic posterior: Et per consequens superbia est primum peccatum.*

73. Resp. 1. Isaacus ignorabat finem profectionis *Gen.22.* nempe immolationem. Ergo hoc medium prius erat fine: Et per consequens non omnis finis prior est mediis. 2. *Aliud est electio, & aliud seductio.* In electione, quæ sponte suscipitur finis mediis est prior; sed non in seductione, ut videre est ex hæreticorum hæresin introducentium studiis & ex aliis pravis operationibus. 3. *Alius est finis seducentis Diaboli, & alius hominis seducti:* In ordine vitiosorum actuum videndum est, quid homo primum egerit, non quid videatur primum intendisse. Hoc autem primum egit, ad quod fuit solicitatus à Diabolo, quod fuit infidelitas, & dubitatio.

Finis Disputationis XLIII.

DISPUTATIO XLIIII.

QUÆ EST

DE PECCATO ORIGINALI IN SPECIE prima.

Respon. Reinholdo Seiher Tremoniâ-Westphalo

THESIS I.

GENERALEM peccati considerationem sequitur specialis. *Est igitur peccatum originale, vel actuale. Illud ut præcedit origine, ita & cognitione.*

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Distinctionem peccati in originale, & actuale, ut venenum suum commodius posset instillare, negavit Pelagius. At nititur ea authoritate Scripturæ, quæ 1. distinguit inter carnem, & opera, inter radicem, & germina, inter arborem malam & fructus. 2. Omnes omninò habentes peccatum sunt peccatores: At non statim omnes habent peccatum actuale. Datur igitur præter peccatum actuale etiam originale. 3. Jacobus dicit *cap 1. ver. 15. Concupiscentia cum concepit, parit peccatum.* Apostolus Paulus dicit *Rom. 7. v. 17. & 20. Inhabitans in me peccatum operatur concupiscentiam.* Peccati igitur appellationem aliter usurpari à Jacobo, & aliter ab Apostolo Paulo manifestum est. 4. *Eph. 2. v. 3.* dicimur *naturâ* filii iræ; At *Eph. 5. v. 5. 6. Col. 3. vers. 6.* propter ambulationem in fornicatione, avaritiâ, &c. venire dicitur ira Dei.

3. Rectè igitur Apologia, *Omninò necessaria, inquit, est vera agnitio peccati originis, neque enim potest intelligi magnitudo gratiæ Christi, nisi cognitis nostris malis. Venit enim ut destruat opera Diaboli.*

4. *Est verò peccatum originis totius naturæ imagine Dei destitutæ depravatio, ob quam mors in omnes homines pertransiit.* Vel: *Peccatum originale est naturæ humanæ originali justitia spoliatæ pravitas, per carnalem ge-*

neratione ab Adamo propagata, reos homines æterno damnationis, nisi regeneratio interveniat, efficiens.

5. Nominatur hoc peccatum in V. Testamento figmentum humani cordis ab adolescentia, *Gen. 8. vers. 21.* Peccatum occultum, *Psal. 19. v. 13. Psal 90. v. 8.* Peccatum in quo homo concipitur, *Psal. 51. v. 7.* Immundities, *Job. 14. v. 4. Ezech. 16. v. 4. 5.* In N. Testamento appellatur corpus peccati, & vetus homo, *Rom. 6. v. 6.* peccatum inhabitans, *Rom. 7. v. 13. 20.* Lex peccati existens in membris, *Rom. 7. v. 23.* Concupiscentia carnis, *Gal. 5. v. 16.*

6. Usitata & recepta est appellatio peccati *originis*, *seu originalis*, quæ, licet non sit sumpta ex sermone Prophetico, vel Apostolico, verâ tamen, & gravi authoritate est recepta. Dicitur enim *originale* 1. *ratione principii*, nimirum ratione primorum parentum, à quibus, tanquam à communi origine in omnes posteros hæreditatio est derivatum. 2. *Ratione effecti*, nimirum respectu peccati actualis, quod ex illo suam originem trahit. 3. *Ratione subjecti, & adjuncti temporis*: quia cum cujuslibet hominis origine peccatum hoc sumit originem.

7. Sedes est peccati originalis, seu primus de eo locus legitur *Gen. 6. v. 5. cap. 8. vers. 21. Omnis cogitatio cordis humani, ac omne ejus figmentum tantùm malum, ab adolescentia omni tempore.* Textus iste in primis *Gen. 8.* loquitur de peccato originis. Nam 1. intelligendus est de toto genere humano. 2. Non dicit cor humanum depravari imitatione, & pravis exemplis, sed à pueritia. 3. Accommodatur etiam ad Noam justum, ipsiusque homines, qui tunc erant in terrâ. Dicitur que ipsum *figmentum* cogitationum cordis humani esse pravum. Appellatione *cordis* in Scriptura sæpe intelligitur ipsa hominis anima cum omnibus suis naturalibus facultatibus, ut *Psal. 51. Matt. 5.* Appellatio *figmenti* יֵצֶר non significat tantùm activè ipsam fictionem, efformationem, cogitationem, & operationem, sed etiam passivè ipsum plasma, rem fictam, naturam, & naturalem δύναμιν, ac propensionem, ut *Esa. 29. v. 16. Hab. 2. v. 18.* Idem quod græcis ποίημα. Non igitur accusantur tantùm actiones, & operationes tum internæ, tum externæ, licet exillis consequatur, ipsum cor esse malum, sed etiam ipsum cor, quando effingitur, seu formatur, id malum est, nimirum à prima origine. Docet igitur locus iste universalitatem subjecti, nimirum *Omne figmen-*

gmentum cordis. Ipsum actum, nimirum, *tantùm malum*; adjunctum temporis, *omnibus diebus à pueritia.*

8. Secundus locus legitur *Job. 14. vers. 4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Et cap. 15. vers. 14. 15. Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo integer.* Pronunciat igitur Hiob ipsum semen, ex quo homo formatur, impurum.

9. Tertius locus legitur, *Psalm. 51. vers. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum: Et in peccatis concepit me mater mea.* David homicidium, & adulterium á se perpetratum deplorans in agnitione peccati sui eò progreditur, ut affirmet, ipsam rudem humanæ naturæ materiam, dum concipitur in utero materno, esse peccato plenam, & perditionis massam. Nam ipsum semen, ex quo formamur, impium esse docet Jobus. Ergo interprete B. Luthero, David non ex commisso solo facinore reum, & peccatorem se esse agnoscit, sed infantes ipsos afferre peccatum, non tantum cum nascuntur, & in lucem eduntur, sed ipsam massam, ex qua in conceptione incipiunt formari, totam esse vitio corruptam, quando gestatur adhuc embryo in utero, & formatur, habet peccatum, ita ut mater sanguine suo peccatorem alat prius, quam partum edat.

10. Locus quartus extat, *Jer. 17. vers. 9. Pravum est cor hominis, super omnia, quis cognoscat illud?* Docet Jeremias cor hominis ita esse pravum, & perversum, ut nemo præter Deum cordium scrutatorem, perversitatem illam satis cognoscere, & intelligere queat. Et ne quis opinetur à Propheta perstringi tantum hypocritas, semet ipsum includit: Subjicit enim *v. 14. Sana me Domine, & sanabor, salvum me fac, & salvus ero.*

11. Locus quintus extat, *Joh. 3. vers. 6. Quicquid ex carne natum est, caro est.* Docet enim Christus palingenesiam esse necessariam, & secundâ geniturâ nos ad regnum Dei formandos; quia ex utero matris carnales tantum nascimur, & mortales in hanc lucem prodimus. Natura igitur nostra nil nisi carnem sapit.

12. Locus sextus legitur, *Rom. 5. vers. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: Et sic ad omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Et v. 14. Regnavit mors ab Adam usque ad Mosen, iueos quoq; qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis*

Adam. Itaq; *sapientia carnis inimicitia est adversus Deum*, Rom. 8. v. 7. Locus iste *ostendit peccati originalis efficientem*, quæ est homo primus à Deo suâ libertate se avertens. Ostendit *subjectum*, quod sunt omnes in hunc mundum venientes. Ostendit *ipsum peccatum originis*, quod etiam habent illi, qui non actione aliqua, sicut Adam, sunt prævaricati. Ostendit *reatum*, qui est mors, regnum mortis, judicium condemnationis. Describit *modum propagationis*: per unum enim hominem, inquit Apostolus, peccatum intravit in mundum.

13. Locus septimus legitur *Eph.* 2. *v.* 3. *Naturâ sumus filii iræ.* Contendit quidem Pelagius non legendum esse *natura*, sed omninò, verè, penitus, propriè; Sed observavit Erasmus, Apostolum Paulum ex collatione declarare, quid sit *natura*: Dicit enim: *Gratia estis salvati: naturâ filii iræ.* Ergo docet, nos naturaliter gigni cum peccato, & simul in ipsa propagationis origine, quando accipimus humanam naturam, simul cum naturâ propagari in nos tale naturæ vitium, propter quod sumus Flii iræ.

14. Cæterum peccatum originale non tantum est justitiæ originalis στέρησις, sed etiam vitiosæ qualitatis θέσις: Deperdita enim est ipsa justitia, cui successit vitiosus habitus: Unde communiter dicitur naturale, & congenitum, non quod sit à naturæ opifice Deo, ut Manichæi delirabant, sed quia in natura hæret, & cum eâ oritur. Bernhardus dicit in Medit. cap. 2. *Parentes nos faciunt ante damnatos, quam natos.*

15. Docet Scriptura στέρησιν illam, & justitiæ originalis inesse debitæ carentiam, quando homini animali detrahit potentiam intelligendi Deum, & faciendi bonum, *Rom.* 3. *v.* 10. *Non est justus ver.* 11. *Non est intelligens, nec requirens Deum. vers.* 18. *Non est timor Dei ante oculos eorum. Vers.* 23. *Omne peccaverunt, & carent gloria Dei. Rom.* 7. *v.* 18. *Perficere bonum non invenio.* 1. *Cor.* 2. *v.* 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, & non potest intelligere.* 2. *Cor.* 3. *v.* 5. *Non sumus sufficientes cogitare ex nobis, quasi ex nobis.* De vitiosa qualitate loquuntur scripturæ testimonia, quæ agunt de inordinatâ concupiscentiâ, de propensione ad cogitationes vanas in mente: ad securitatem carnalem in voluntate; ad iram in corde; ad immundiciem in reliquis membris, ut, *Gen.* 6. *v.* 5. *c.* 8. *v.* 21. *Omne figmentum cogitationum cordis humanum tantùm malum Rom.* 7. *ver.* 27. *Video aliam legem in membris meis repugnan-*

pugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. De reatu, qui insequitur κρίμα, & θάνατον dicit Apostolus, *Rom.5. vers.12. In omnes homines mors pertransiit. Eph.2.v.3. Naturâ sumus filii iræ. Joh.3.v.33. Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum.*

16. Subjectum peccati originalis non est morbida aliqua corporis qualitas, sed totus homo secundum corpus, & animam. Nam 1. Scriptura dicit, totum hominem in peccatis concipi, & nasci, *Psal.51. vers.7.* Ex immundo semine, *Job.14.v.4.* Esse carnem, *Joh.3.v.3.* Esse servum peccati, *Joh.8.v.34.* Mortuum in peccatis, *Eph.2.v.1.* 2. Imago Dei erat rectitudo totius hominis, & præcipuè omnium animæ virium. Ergo peccatum originale totum pervasit hominem, ut nihil sit in ipso sani à summo vertice, ad plantam usque pedis, *Esai.1. vers.6.* Nam habitus & privationes circa idem versantur subjectum. 3. De mente igitur dicit Scriptura, quod homo sit cæcus, tenebræ, *Eph.5.v.8.* quod non possit intelligere, quæ sunt spiritus Dei, *1.Cor.2.v.14.* De voluntate, & corde dicit, quod *omne figmentum cordis tantùm sit malum omni die à pueritia, Gen.6.v.5.cap.8.v.21.* quòd *pravum cor sit, & inscrutabile, Jer.17.v.9.* De corpore, ejusque membris dicit, quòd *oculus, & dextra scandalizent hominem, Matth.5.v.29.30.* quòd *peccatum habitet in mortali nostro corpore, Rom.6.v.12.c.3.v.13.* 4. Itaque renovandus est homo, & renovatur in animâ & corpore, *Eph.4.v.23. Rom.12.v.7. Col.3.vers.2. 2.Cor.7. vers.1.* Ergo anima & corpus peccato originali sunt depravata.

17. *Modus propagationis peccati originalis est generatio carnalis.* Propagatur verò in posteros per generationem non ratione ipsius conjugii (Nam peccato sunt polluti infantes & in conjugio, & extra conjugium nati) Sed ratione corruptæ naturæ, quæ non potest aliam, quàm vitiosam generare naturam. Itaque in peccatis concipimur, *Psal.51.v.7.* Ex immundo semine in utero formamur, *Joh.14.v.4.* Quod natum est ex carne, inquit Christus, caro est *Joh.3.v.6.* Adam genuit filium Sethum ad imaginem suam peccato corruptam, quæ tunc erat in ipso. *Gen.5.v.1.* Natura igitur sumus filii iræ, *Eph.2.v.3.*

18. Quinque igitur in peccati descriptione sunt observanda. 1. *Gratiæ amissio.* 2. *Contrarii successio, & positio.* 3. *Ad pœnam obligatio.* 4. *In toto homine inhabitatio.* 5. *Propagatio, seu modus propagationis, qui est carnalis generatio.*

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

19. Peccatum originis non est propriè, sed abusivè peccatum, *Tapperus Tom.1.p.36.* Bellarminus licet idem non totidem dicat verbis, tamen cum Scholasticis pro peccato potius analogico, quam vero illud habet. Nam Tom.3. scribit: Originale peccatum non tám est offensa, quàm macula.

20. Si verò peccatum oportet vocari, est omninó minimum, imò minus minimo peccato veniali, *Tapperus pag. 40. Costerus in Augm. Ench. p.173.*

21. Itaq; ob peccatum originis pœnitentia nullâ est opus. Andradius scribit lib.3.adv. Concil: Trid.refut. *Illis profectò peccatis accommodata medicina erit, & necessaria, quæ propria operatione, & voluntate suscipiuntur: Originale verò peccatum cum non fuerit propriâ voluntate, sed Adami arbitrio admissum, illa profectò sola medicina erit illi necessaria, quæ aliena etiam voluntate adhiberi potest, qualis Baptismus est, qui vagientes adhuc infantes originali crimine liberat. Pœnitentia verò, quæ propriam operationem necessariò exigit, etsi originali peccato adhiberi possit, qui tamen necessariam esse ducit, originalis peccati naturam non satis perpendit.*

22. Non temerè, sed piè, ac rectè existimatur, beatam virginem Mariam, singulari Dei privilegio, ab omni omninò peccato fuisse immunem, *Bellarminus lib.4.de amiss.Grat.cap.15.*

23. Hominibus singulis animæ singulæ, non ex propagine, sed ex nihilo, tunc primum creari, atq; infundi, cum in uteris matrum fœtus concepti, atq; ad animationem præparati sunt, *Bellarminus lib.4. c.11.p.309.* Non polluitur verò anima, cum creatur à Deo, sed cum per conjunctionem cum carne ex Adamo tracta, pars hominis efficitur, *Bellarminus lib.4.cap.12.de amiss.grat.*

24. Primũ primi parentis peccatum, & non proximorum parentũ peccata in posteros transmittuntur, *Bellarminus lib.4.de amiss grat.c.18.*

STATUS CONTROVERSIÆ.

25. Quare Protestantes dissentiunt à Pontificiis de peccatio originalis naturâ; de ejus gravitate; de ejus subjecto, an toti homini inhæreat, & an omnes, & singuli homines, solo Christo excepto, sint eo polluti? De modo propagationis, & origine animæ.

26. Quæstio prima: *An peccatum originis sit peccatum verè & propriè ita dictum cui Pœnitentiæ medicina sit adhibenda?*

27. Resp.

27. Respond. Quidam Pontificii peccatum originis non esse propriè, sed abusivè peccatum scribunt. Ruardus Tapperus in Art. de pec Orig. *In parvulo, inquit, recens nato nihil invenitur, quod verè, & propriè peccati rationem habeat.* Pighius contro. primâ de pecc. orig. Et Ambros. Cathar. lib. de cap. hom. & pec. orig. c. 6. opinantur peccatum originis non habere veram peccati rationem, sed esse tantùm reatum, quo posteri primorum parentum propter transgressionem illorum primævam sine aliquo vitio proprio, & inhærente naturæ pravitate devincti teneantur. Bellarminus quidem sententiam hanc nominat lib 5. c. 6. minus rectam; Sed idem ipse, *Baptismo*, inquit, *egent infantes, non tàm, ut peccata eis remittantur, per condonationem offensarum, quàm ut peccati macula in eis abstergatur.* Azorius lib. 4. Instit. Mor. c. 29. *Peccatum*, inquit, *originis, rationem peccati non habet, nisi cum respectu & ordine ad peccatum, quod Adamus commisit.*

28. Opinionem istam tribus ex Scriptura ostensis refutamus propositionibus. Prima: *Peccatum originis non abusivè, sed verè & propriè est peccatum.* Nam 1. nominatur absolutè peccatum, *Rom. 5. v. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, ac per peccatum mors. cap. 7. vers. 8. Occasione accepta peccatum, per præceptum genuit in me omnem concupiscentiam.* Est igitur scaturigo, & fons omniũ peccatorum. *Roman. 6. vers. 6. Est corpus peccati. Psal. 51. v. 7. In peccatis concepit me mater mea.* Quare non improprié, & analogicè, sed propriè est peccatum undiq; hominem circumstans, & circumvallans, *Heb. 12. v. 1.* ipsi inhabitans. & quidem ad mortem usque, *Rom. 7. v. 17.*

29. 2. Si peccatum originale impropriè appellandum est peccatum, sequitur, & impropriè vocari peccata actualia. At consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Consequentia majoris evidens est ex convenientiâ & differentia peccati originalis, & actualis. siquidem illud ab hoc differt tanquam arbor à fructibus, radix à ramis, mater à sobole. Valet igitur hîc Canon: *Qualis mater, talis & soboles.* Salvator dicit *Matt. 7. v. 8.* Arbor mala non potest bonos fructus facere. Et *cap. 15. v. 19.* Ex corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes 3. Itaque regeneratio, & renovatio est necessaria, *Johan. 3. vers. 5. 6. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu, non intrabit regnum Cœlorum: Quod enim natum est ex carne, caro est.*

30. 3. Re-

30. 3. Rectè igitur dicit *Augustinus lib.6. contra Julianum cap.7. Ego tanquam valetudinem malam, ex origine vitiatâ ingenitum esse dico hominis vitium, quo caro concupiscit adversus Spiritum.* Et in Psalm.118. *Languoris illius, & infirmitatis, unde illicita desideria commoventur, quod peccatum apellat Apostolus.*

31. Secunda: *Peccatum originis non nuda est macula, sed etiam offensa*: Nam 1. constituimur illo injusti, & rei iræ Dei, *Rom. 5. v.19. 2.* Natura sumus filii iræ, *Eph.2.vers.3.* Itaque mors pertransiit etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, *Rom. 5.v.14.* Stipendium peccati mors, *Rom.6.v.23.* Per hominem mors; In Adam omnes moriuntur, 1. *Cor. 15. v. 21. 22.* 3. Testatur id ipsa experientia: Nam etiam infantes calamitatibus, morbis, ac morti temporali sunt obnoxii.

32. Tertia: *Pœnitentiæ medicina peccato originis est necessaria ipsiq; adhibenda.* Idque 1. testatur Scriptura, *Esai 1.v. 6.* A planta pedis usq; ad verticem non est in eo sanitas, vulnus, & livor, & plaga tumens: Non est *circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo. Psal. 51. v.7. Ecce veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifesti mihi.* 2. Testantur perpetuæ adhortationes de mortificatione carnis, & vivificatione Spiritus, *Eph.4. v. 23. 24. Renovamini Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem. Col.3.v.8. 9. 10. Deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem, de ore vestro. Nolite mentiri invicem: expolientes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* 3. Itaque regeneratio, & pœnitentia est necessaria, *Johan.3.*

33. Quæstio secunda: *An peccatum primum sit omnium gravissimum, & graviùs peccatis actualibus ex illo ortis?*

34. Resp. Quæstionis hujus decisio non omni caret utilitate: Siquidem ex ea delicti primi atrocitatem, quâ sese Adamus cum tota posteritate summâ felicitate spoliavit, & in summas miserias præcipitavit; justitiam iræ Dei ob delictum illud Adamum cum totâ posteritate pœnis temporalibus, & æternis addicentis; summam misericordiam Dei nos in gratiam recipientis; Dignitatem meriti Christi ab hoc peccato gravissimo, & aliis inde exortis nos liberantis.

35. Consideratur verò peccatum *vel ratione esse sui; vel ratione alicujus*

alicujus extrinseci, hoc est consideratur vel respectu ejus, quod est, vel respectu ejus, quod circa illud fit, & est: Peccati gravitas æstimatur respectu sui esse, atque suæ naturæ, & hac ratione peccatum primum est omnium gravissimum, & quidem 1. *respectu objecti*, quod est triplex: Deus, proximus, & ille ipse, qui peccatis se polluit. Ad quod enim nos lex disponit, ab eo peccatum, quod est exorbitatio à lege, aberrat. Disponit verò lex nos in Deum, proximum, & nosmetipsos. Ergo. In singula illa graviter peccabant primi parentes. *In Deum*, quia à Deo Eva se avertebat, culturæ Paradysi non vacabat sicut præceperat Jehova *Gen. 2. v. 15.* verbis Diaboli auscultabat, Dei mandato derogabat, futurum inquiens, ut *forte moriantur*, si comedat de arbore vetitâ. *Quò quis verò magis in benefactorem suum est ingratus, eò gravius peccat. Atqui primi parentes in Deum creatorem, & benefactorem, à quo plurima, & summa acceperant beneficia, erant ingratissimi. Ergo omnium gravissimè peccabant.*

36. *peccabant gravissimè in proximum:* Toti enim posteritati infinita mala attraxerunt, quippe quam secum in æternam pernicem præcipitarunt, quæque damnaretur, nisi facta fuisset redemptio per Christum. Augustinus in Enchir. ad Laur. c. 26. dicit: *Adamus stirpem suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœnam mortis: & damnationis obstrinxit.* Per reliqua verò peccata attrahit quidem peccator sibi damnationem nisi resipiscat, sed non statim aliis.

37. *Peccabant gravissimè in semetipsos:* Nam ex statu perfectionis, & integritatis in statum imperfectionis, & imbecilitatis præcipites sese agebant, qui erant habitaculum totius trinitatis, turgurium fiebant Diaboli, qui ob concreatam justitiam; & sanctitarem veritatis plus fulgebant, ut aurum, & adamas, viliores fiebant platearum luto.

38. 2. *Respectu facilitatis observandæ legis:* Legem enim de abstinendo ab esu arboris vetitæ in maximâ fructuum varitate, & ubertate facilime potuissent observare. *Tantò verò peccatum est gravius, quantò lex, quæ violatur, observata est facilior. Atqui lex illa de non comedendo de arbore vetita observata erat facilima. Ergo.* Accedit quòd post lapsum tàm facilis lex non sit lata. Piè, & eleganter dicit. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 12. *Si quem movet, cur aliis peccatis sic natura non mutetur humana, quemadmodum illa duorum primorum hominum prævaricatione*

mutata est, ut tantæ corruptioni, quantam videmus, atq; sentimus, & per hanc subjaceret morti, ac tot, & tantis, tamq; inter se contrariis perturbaretur, & fluctuaret affectibus, qualis inter Paradiso ante peccatum licet in corpore esset animali, utique non fuit. Si quis hoc movetur, ut dixi, non ideò debet existimare leve, ac parvum illud fuisse commissum, quia in esca factum est, non quidem mala, nec noxiâ, nisi quia prohibita. Neque enim quicquam mali Deus in illo tantæ felicitatis Paradiso crearet, atq; plantaret. Sed obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosq; virtutum: quandoquidem sic facta est, ut ei subditam esse sit utile, pernitiosum autem suam, non ejus, à quo creata est, facere voluntatem. Hoc itaque de uno cibi genere non edendo: ubi aliorum tanta copia subjacebat, tàm leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea subsecutum est, tanto majore injustitia violatum, quanto facilioreposset, observantiâ custodiri.

39. 3. *Respectu integritatis, & sanctitatis voluntatis*: Homo enim primus conditus erat ad imaginem Dei, *Gen.1. v.26.27. cap.5. v.1. Sap.2. v.23. Syr.17. v.1. Col.3. v.10.* hoc est, in justitia, & sanctitate veritatis. *Eph. 4. v. 24.* Itaque erat lux divinæ agnitionis in hominis mente: Plena cum lege Dei conformitas in voluntate: Rectitudo omnium animæ virium, & affectuum in corde. At quò majoribus virtutibus, & donis, qui peccat est ornatus, quò sanctior est voluntas à bono deflectens, & quò peccatum magis est voluntarium, eò est gravius. Poëta Juvenalis dicit:

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major qui peccat, habetur.

40. 4. *Respectu vitiosorum actuum*: Homo enim primus omnia Decalogi præcepta est transgressus: Peccavit affectu, affatu, effectu; corde, ore, opere, & manu, ut in præcedente Disputat. ostendimus. Itaque si peccati deformitas, mentis tenebræ, voluntatis aversio conferantur cum naturæ ante lapsum venustate, perfectione, integritate facile innotescit peccati gravitas.

41. 5. *Respectu pœnæ*: Amittebat enim primus homo, non tantum sanctitatem, & concreatam justitiam, sed incurrebat etiam pœnam omnium gravissimam, attraxit mortem naturæ, gratiæ & gloriæ ex quo verò peccato omnia mala culpæ, & pœnæ totius mundi, tanquam

quam ex venenatissimo fonte dimanarunt, illud fuit omnium gravissimum. Atqui dimanarunt illa ex peccato hominis primo. Ergo. Deinde quod peccatum non secundum aliquid, sed absolutè gravissimum reatum conciliavit toti humano generi; illud est omnium gravissimum. Tale verò est peccatum hominis primum. Ergo. Quinimò quò peccatum à justo judice punitur gravius, eò est gravius. Atqui peccatum hominis primum omnium gravissimè fuit punitum, Ergo.

42. 6. *Ab infinito Filii Dei* λύτρῳ: Primum peccatum infinito ipsius Filii Dei λύτρῳ & satisfactione, obedientiâ activâ, & passivâ, vita sancta, & morte dirâ expiandum erat, ut justitiæ Dei satisfieret. Ergo fuit absolutè gravissimum.

43. Quare parum consideratè negat *Bellarminus lib. 3. cap. 30. peccatum primum fuisse absolutè gravissimum, eò quod ejus materiale fuerit raptus pomi.* Nam gravitas ejus saltem æstimari debet ex gravissima Dei offensâ, & reatâ, quem generi humano attraxit.

44. Inepti sunt Scholastici in lib. 2. Lomb. dist. 21. commentantes, *& inter gravitatem intensivam, & extensivam distinguentes, atque statuentes peccatum primum extensivè quidem fuisse gravissimum, eò quod totum genus humanum polluerit; Sed non intensivè, & ratione actus, eò quod in peccato in Spiritum S. major sit vitiositas, cum hoc sit irremissibile; Peccatum verò primum remissibile.*

45. Resp. 1. Nimis frigidè de peccato originali illi loquuntur, imò extenuant istud. 2. Peccatum in Spiritum Sanct. est irremissibile non ob suam gravitatem, sed ob concomitantem conversionis mediorum contemptum, & finalem impœnitentiam. Gravius igitur dici potest non respectu intrinseci, seu non respectu sui esse, à quo gravitas peccati nominatur; Sed respectu alicujus extrinseci, atque ita per accidens: Remitti enim, & non remitti, non est de peccato, seu de peccati essentiâ, sed circa peccatum.

46. Quæstio tertia: *An B. Maria virgo cum peccato originali fuerit concepta, ipsiq; obnoxia?*

47. Resp. Quæstionem illam magis esse negotiosam, quam fructuosam censemus. Cum autem multũ in illa pertractanda sit Bellarminus, aliquid de ea dicendum esse arbitramur, præsertim cum Pontificii immaculatam virginis Mariæ conceptionem faciant basin Mariolatriæ.

47. Bellarminus lib.4.cap.15. de amiss.grat.& stat.pec.scribit: *Non desunt, qui imprudenter affirment, ab Ecclesia Romanâ defendi conceptionem immaculatam virginis Mariæ, tanquam articulum fidei.*

48. Intelligit verò Bellarminus Protestantes, seu Evangelicos, sed non absque callida tergiversatione: Novit enim quantâ vehementia de eâ quæstione jam olim circa annum Christi 1370. disputatum fuerit, & adhuc disputetur inter Dominicanos, & Franciscanos.

49. Costerus in Christ.Inst.lib.5. ad Mariam. *Nunquam ad nævum habuisti peccati*, inquit, *sive quod à primis humani generis parentibus propagatum, sive quod aliquâ culpâ tuâ commissum, esset etiam levissimum, & veniâ, facile dignum, nihil inquam vel opere, vel verbo, vel cogitato admisisti, quod non usque quaque Deo gratissimum.* In hortulo animæ dicitur de Maria p.100. *De mulierum numero hæc sola præservata fuit matris in utero sancta absque labe nata, in ævo quoque tenero, templo fuit præsentata. Castitatem Deo verò vovit sponte dedicata.* Suarez in Thomam p.3.q.27. Art.1. scribit: *Est hoc privilegium B. virginis speciale, in primâ suâ conceptione immunem à peccato fuisse.*

50. Bellarminus verò tria probanda suscipit. Primum hoc est *Non habetur apud Catholicos pro re certa, & explorata, ac fide catholica tenenda, B. Virginem sine peccato fuisse conceptam. Itaq; Johannes Bugenhagius unus ex primis Lutheri discipulis impudentissimè mentitur dum in Comment. cap.1. & 44. Hierem. scribere ausus est, pro articulo fidei apud Catholicos id haberi.*

51. Resp. Facile admittimus, Pontificiis non esse hanc rem certam, & exploratam, quia non tantùm in verbo Dei non traditur, sed etiam ipsi contrariatur, ut paulò post ostendemus. Nullâ verò fronte negat Bellarminus, apud Pontificios non haberi pro articulo fidei. Nam 1. *Quicquid in Scriptura scriptum legitur, illud Pontificiis est Articulus fidei.* Jesuitæ in Coll. Ratis. condendebant, pro articulo fidei habendum esse, quod canis Tobiæ caudam motitarit, eò quod id scriptum habeatur, *Tob.11.v.4. Atqui secundum Pontificios in scriptura scriptum habetur, Mariam ab omni peccato fuisse liberam.* Bellarminus libr.1. cap.6. Et lib.4. cap.15. illud. *Cant.4, v.7. tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, de Maria virgine interpretatur. Ergo.

52. 2. Quod conciliis est definitum pro re incerta, dubiâ, & indefinita nequit haberi. Atqui immaculata Mariæ virginis concep-

ptio

ptio concilio. Basilienſi, & Tridentino eſt definita. E. Patres in Concilio Basilienſi ſic definiunt: *Nos diligenter inſpectis authoritatibus, & rationibus, quæ à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriuſq; doctrinæ coram hac ſancta Synodo allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & maturâ conſideratione penſitatis, doctrinam illam differentem gloriosam virginem Dei genitricem Mariam, præveniente, & operante divini numinis gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali, & actuali culpa, ſanctamq;, & immaculatam, tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico fidei catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ ſcripturæ ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam, & amplectendam diffinimus, & Declaramus, nulliq; de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare, & docere, &c.* Annón verò pro articulo fidei habendum definitur, quod cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, & ſcripturæ ſacræ conſonum ab omnibus ita definitur amplectendum, ut nulli liceat contrarium docere? Concilii Tridentini Patres ſeſſ. 5. ſic ſtatuunt: *Declarat hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam virginem Mariam, Dei genitricem, ſed obſervandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis ſixti Papæ IV. ſub pœnis in iis conſtitutionibus contentis, quas innovat.*

53. Excipit Bellarminus, *Concilium Basilienſe*, inquiens, *non eſſe ab Apoſtolica ſede approbatum*; Et *concilium illud non habere hanc rem pro articulo fidei.*

54. Reſp. Utrumque falſum eſt: improbavit quidem Concilium hoc Eugenius Papa, ſed ipſe ab officio fuit remotus, eò quod ipſos canones, & decreta ſperneret. Deinde diffiniunt, & declarant illi patres, ſententiam illam, ut piam, & cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, ſacræ Scripturæ conſonam, ab omnibus Catholicis approbandam, & tenendam, cui nulli liceat in contrarium prædicare. Ergo habent eam pro re certa, & ſatis exploratâ.

55. 3. Quod Pontificii ſolenni feſto celebrant, illud non habent pro re incerta: & dubia. Atqui immaculatam Mariæ virginis conceptionem Pontificii ſolénni feſto quotannis celebrant; & quidem 6. Idus Decemb. ex conſtitutione Sixti in Extra. Comm. lib. 3. Tit. 12. Ergo.

56. 4. Quare Biel ſcribit in 3. Sentent. diſt. 3. quæſt. 1. Art. 2. *Eccleſia ſtatuit feſtum conceptionis generaliter celebrandum. Eſt autem Eccle-*

sia authoritas major autoritate cujusq; sancti saltem post canonicos scriptores. Determinatum est in concilio Basiliensi, &c.

57. Secundo dicit Bellarminus: *Sententia de immaculata Mariæ virginis conceptione nullo modo hæretica, vel erronea est judicanda, quia non repugnat expresso Dei verbo, nec Ecclesiæ declarationi.*

58. Resp. Prius quam Bellarmino respondemus, testamur, nos dignitati Mariæ virginis nihil detrahere velle: Agnoscimus eam Θεοτόκον, & summa reverentia amplectimur, quod ipsa canit, *Luc.1.v. 48. Ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia magna mihi fecit, qui potens est, & sanctum nomen ejus*? Et pie credimus ipsam perpetuæ virginitatis laudem anima, & corpore obtinuisse. At fuisse eam conceptam absque peccato originali, & ab omni peccato immunem fuisse, nuspiam dicit scriptura, imò contrarium docet. Nam 1. Privilegium solius Christi ad Mariam virginem non est extendēdum. Atqui peccatum nō novisse, innocentem, impollutum fuisse, & à peccatoribus segregatum, est privilegium solius Christi, 2. *Cor.5.v.21. Heb.7.v.26.* Ergo.

59. 2. Scriptura in genere de aliis omnibus dicit hominibus, *Rom.5.v.12. In quo omnes peccaverunt. Gen.6.& 8. Omne figmentum cordis humani tantum malum ab adolescentia. Job.14. v. 3. Quis dabit mundum de immundo, ne unus quidem* 1. *Johan.1. vers.10. Si dixerimus, non peccavimus mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis. Omnis homo mendax: Coram Deo nemo innocens: non est homo, qui non peccet.* Ergo est contra scripturam. Mariam sine Scripturæ testimonio excipere. Eleganter dicit Cassianus lib. 1. de incar. *Quod non ita dicitur, ut est, etiamsi honor videatur, contumelia est.*

60. Dicit quidem Bellarminus, *Mariam virginem originali maculâ caruisse privilegio divinæ gratiæ*; Sed quod dicit non probat, & absque Scripturâ affirmat.

61. 3. Qui in uno sunt mortui, & pro quibus mortuus est Christus, illi non omni caruerunt peccati maculâ, & per consequens fuerunt peccatores: Nam Christus mortuus est pro peccatoribus, *Rom.5. v.8.* Atqui omnes homines in uno sunt mortui & pro omnibus etiam pro Mariâ virgine Christus est mortu⁹ 2. *Cor.5.v.14.15. Si unus pro omnib⁹ mortuus est: E. omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* E. Vel ita: Qui peccaverunt, ut propterea mors in eos pertransierit illi non omni carēt peccato. Atqui universi, & singuli homines peccaverunt, &

propte rea mor

mors in eo pertransiit, *Rom.5.v.1.12. Per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors: Et sic in omnes homines mors pervasit, quatenus omnes peccavimus.* Ergo.

62. 4. Maria non caruit peccatis actualibus. Ergo nec caruit originali, quia hoc peccatorum actualium est mater. Anteeedens patet ex scriptura: Nam non eâ, quâ par erat cura custodivit Christum, *Luc.*2.v.23. Eique in his, quæ ad maternam curam non pertinebant, præscriptura reprehenditur, *Luc.2.v.49. Joh.2.v.9.*

63. 5. Maria est justificata fide in Christum: *Perseveravit enim cum Apostolis in precatione, Act.1.v.14.* Et quidem absque dubio in precatione eâ, quæ à Christo erat præscripta. Ergo remissionem peccatorum petiit, & beatitudinem ex auditu verbi, ejusque custodia habuit, *Luc.8.v.20.c.11.v.27.*

64. 6. Fuit Maria obnoxia variis ærumnis, & morti temporali, quæ sunt peccati pœnæ. Ergo etiam peccato. Denique his rectè adduntur testimonia piorum Patrum, ut Augustini, Ambrosii, Chrysostomi, &c. qui unanimiter idẽ usq; ad tempora Lombardi docuerũt.

65. Tertio scribit Bellarminus, *opinio de immaculatâ Mariæ virginis conceptione non est temeraria, sed pia admodum ac probabilis, ob probabiles, & congruentes rationes. Vnam ex ipso referemus. Primus homo*, inquit, *est figura Christi, 1. Cor.15. At formatus ille est ex terra nondum maledictâ. Ergo etiam secundus Adamus ex virgine quæ omnis peccati fuit expers, est à Spiritu S. formatus. Atq; hinc fortasse ab Angelo, benedicta inter mulieres salutata est.*

66. Resp. 1. Apostolus *Rom.5.1.Cor.15.* Christum cum Adamo comparans ne verbulo hujus applicationis meminit. 2. Immaculata est Filii Dei conceptio, non quasi Maria omnis peccati fuerit expers,; sed quia Spiritus S. specialiter supervenit in ipsam. Massa igitur ex qua Christi caro est non fuit peccato ,& maledictioni obnoxia. 3. Benedicta est Maria, quia in benedictum fructum ventris sui, in quo solo omnes gentes benedicuntur, *Gen.15. Gal.3.* credidit, *Luc.1.vers.45. Beata, quæ credidit.* Salvator mulieri ex promiscua turba exclamanti, *beatus venter, qui te portavit*, respondet *Luc.11.v.28. Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Et hæc de illa sufficiant quæstione. De modo propagationis peccati originalis in subsequenti agemus Disputatione.

67. Pergit Bellarminus *Hevam inquiens, Mariæ typum, ac figuram*

ram fuisse docet Epiphanius hæresi 8. Et alii præterea multi, quos non est necesse numerare. Satis autem constat, Hevam sine peccato fuisse, cum primum formata est. Decebat igitur, ut mater omnium viventium vita spiritali sine peccato conciperetur, cum mater omnium viventium vitâ animali sine peccato condita fuerit.

68. Resp. 1. Mater omnium viventium vita animali Eva condita quidem fuit absque peccato, sed nec concepit nec peperit prius quam esset lapsa, & peccatis infecta. Quare invertimus argumentum: Quemadmodum enim mater omnium viventium vitâ animali peccato fuit commaculata: Ita & mater omnium viventium vita spiritali peccatis fuit commaculata. 2. Conferunt nonnulli quidem Patres Evam & Mariam, verùm non respectu immaculatæ conceptionis; Sed respectu facilis persuasionis: Quemadmodum enim Eva adhuc virgo existens Diaboli promissis facilimè subscribendo peccati causa Adamo extitit, ut sic peccatum, & mors in omnes posteros intraverit: Ita & Maria virgo verbis Angeli fidem habendo Christum Salvatorem concepit, & peperit.

69. Adhæc accedunt loca illa ex canticis, inquit Bellarminus: *Sicut lilium inter Spinas, sic amica mea inter filias*, Cant. 2. v 2. Et: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, Cant. 7. v. 7. Et: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus*, *Ibid.* v. 12. *Hæc B. virgini convenire, negari non debet.*

70. Resp. 1. Totum illud canticum de Christo & Ecclesia ipso Bellarmino teste debet intelligi, & eò referri. 2. Apostolus locum illum, *tota pulchra es*, applicat ad Ecclesiam, *Eph.* 5. v. 27. 3. Omnes sancti dicuntur ὁλοτελεῖς, & ἄμεμπτοι, 1. Thess. 5. v. 2. sed in hac vita imputativè, & inchoativè, in futura erunt consummativè.

Finis Disputationis XLIV.

DISPUTATIO XLV.

QUÆ EST

DE PECCATO ORIGINALI, EIVSQVE pœnâ alterâ.

Resp. Johanne Zisenisæo Hannoverâ-Brunswigio.

THESIS I.

QUEMADMODUM *effectus causam, sic pœna culpam, supplicium vitium, vindicta offensam comitatur. Cum igitur consideraverimus culpam, sive ipsum peccatum originale, consideranda ejus venit pœna.*

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Unica appellatione pœnam illam cum Scriptura *mortem* dicimus. Hanc enim minatus est Jehova, *Gen.2.v.17.* Hæc igitur per peccatum intravit, *Rom.5.v.12.* Quare stipendium peccati mors est, *Rom.6.*

3. Sunt verò quidã peccati originalis *effectus tantum pœnæ; quidam verò pœna & peccata simul.* Pœnę tantum sunt 1. Multiplices hujus vitę miseriæ ut sunt mulierum dolores, *Gen.3.v.16.* virorum labores, *v.17.18.* Sudores, *v.19.* Et varii morbi. 2. Ira Dei, quæ mors gratiæ dicitur, *Psal. 5.v.7. Psal.44.v.8.* Mors corporis, seu temporalis, *1.Cor.15.v.21. Heb.9. v.27. Sap.2.v.23 Rom.5.v.12.* quæ ordinariè omnes manet homines, ut peccatum in carne adhuc hærens mortificetur, & corpus peccati destruatur, *Rom.6.v.6.* 4. Mors æterna respectu incredulorum.

4. Vel mors, quæ pœna est peccati, est triplex: Corporis, animæ; & totius hominis. *Mors corporis est animæ à corpore separatio, vitæ animalis privatio: & microcosmi transitus. Mors animæ est gratiæ divinæ amissio. Mors totius hominis est vitæ æternæ privatio:* Illam nominant nonnulli mortem naturæ, quod corpus ex naturæ suæ conditione sit potentia corruptibile; Istam gratiæ, hanc gloriæ.

5. Pœnæ & peccata simul sunt cogitationes pravæ, & quævis peccata actualia, *Matt.11.v.34. Malus homo ex malo thesauro profert mala.*

Cap. 15. vers. 19. Ex corde procedunt cogitationes malæ. Gal. 5. vers 17. Caro concupiscit adversus Spiritum. Jac. 1. vers. 14. Concupiscentia cum concepit parit peccatum.

6. Quæri hoc loco solet de infantibus ante Baptismum decedentibus, cum peccato originali sint infecti, num damnentur? Distinguendum esse censemus inter infantes natos extra Ecclesiam, & intra Ecclesiam: De illis respondet Apostolus, 1. *Cor. 5. vers. 12. Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicat.* De his bene speramus: Cum enim Deus sit infinitè potens, & summe misericors, novit modum quo his ex infinitâ misericordia succurrat. Accedit, quod parentum suorum, & totius Ecclesiæ precibus in litaniis Deo commendentur, quibus mediantibus ipsis fides impetrari potest, quâ salvantur.

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

7. Scholastici quatuor originalis peccati pœnas recensent, ut sunt, *in mente ignorantia, in voluntate malitia, in appetitu ἐπιθυμητικῷ concupiscentia, in appetitu θυμικῷ infirmitas.*

8. Bellarminus lib. 6. de stat. pecc. cap. 1. Malorum consequentium originale peccatum *alia patiuntur homines*, inquit, *si in infantia, peccato nondum remisso, fortè rapiantur. Alia tolerare coguntur, si diutius hanc vitam ducant, sive peccatum dimissum fuerit, sive non fuerit.*

9. Fide catholica tenendum est, parvulos sine Baptismo decedentes, absolutè esse damnatos, & non solâ cœlesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuo carituros. *Bellarminus lib. 6. cap. 2.*

10. Pœnæ, & calamitates, quas in hac vita patiuntur, vel aliquamdiu supervivunt, sunt vel internæ vel externæ. *Internæ sunt in ipso homine*, ut ignorantia, concupiscentia, & similia. *Externæ sunt extra hominem* ut habere Deum iratum, esse sub Diaboli potestate, carere obedientiâ animantium rationis expertium; à cœlo, ab aëre, ab aquâ, ab ipsâ terra multas & varias calamitates perpeti. *Bellarminus lib. 6. c. 8.*

11. Mala hujus vitæ interna alia sunt in parte animæ superiore, alia in inferiore; alia in corpore. In superiore læsa sunt intelligentia, & voluntas; In inferiore sensus tum interni, tum externi, & utraque appetendi facultas. In corpore denique plurima sunt incommoda, & ad extremum ipsa mors. Specialius de his agit Bellarminus usq; ad finem libri.

STA-

STATUS CONTROVERSIÆ.

12. Quæstiones igitur sunt discutiendæ de peccati originalis pœnâ & ultione, de infantibus ante Baptismũ decedentibus, & de ipsorũ limbo, quibus quæstiones ex præcedente Disputatione huc translatas præmittemus de propagatione peccati, ejusq; propagationis modo.

13. Quæstio prima: *An embryo, qui nondum dicitur animatus, habeat veram, & propriam peccati rationem?*

14. Resp. Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. cap. 6. vocat *incredibile paradoxum Illyrici, & Manichæi delirium, quod Chemnitius in Exam. 5. Sess. Concil. Trident. affirmaverat, ipsum embryonem nondum animatum habere veram & propriam peccati rationem.*

15. Credimus vero nos, missis sophisticationibus simpliciter scripturæ. Hæc 1. dicit Job. 14. v. 4. *Quis mundũ dabit de immundo? ne unus.* Ergo ipsum semen, ex quo Embryo, & fœtus formatur est infectum peccato Ergo & ipse Embryo. Antecedens patet ex verbis Jobi, ex quibus manifestũ est, loqui ipsum de sordibus ex parentibus in nos derivatis, *quis dabit*, inquit, *mundum* מִטָּמֵא *de, vel ex immundo*, ubi per ellipsin subintelligendũ est substantivum vel seminis, ex quo gignimur, vel parentis á quo gignimur. Nam מִטָּמֵא est nomen participiale, & adjectivum requirens juxta se aliquod substantivum. Inde vulgata translatio sic legit. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?*

16. 2. David dicit, *Psal. 51. v. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ariæmontanus sic habet: *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me mater mea.* Tremellius sic vertit: *Fovit me mater mea.* Nam in fonte legitur חוֹלָלְתִּי genitus, formatus sum à radice חוֹל doloribus partus affici, formari. Et יְחַמַּתְנִי concepit me à radice יָחַם quod calefieri significat, Sensus igitur hic est: *Mihi adhuc embryoni sine meo consensu peccatum est ingeneratum. Itaq; mi Deus eò promptiùs condones, oro, cum ab ejus impetu abreptus fuerim.* Ergo peccati venenum in primo conceptionis ardore unâ cum ipso calore à matre in Davidem adhuc Embryonem est transfusum.

17. 3. Piè igitur dicit Ambrosius in Apol. Dav. c. 11. *Antequã nascimur, maculamur contagio; antequã usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriã, in iniquitatibus concipimur.* Et Bern. serm. 4. in nat. *in ipsa origine, & radice mea infectus, & iniquitatus sum, immunda est conceptio mea.*

18. 4. Quare si immundum est semen, si fœtus ex quo corpus hominis formatur, est peccato infectum, si homo à sua conceptione est impurus; utique embryo habet peccati rationem, & est peccato infectus. At prius est verum, idque sibi ipsi contrarius agnoscit Bellarminus lib. 4. de amiss. grat. c. 16. *Dicuntur in peccato concipi omnes Adæ filii, cum primum fœtus in utero matris existere incipit, quamvis informis, & inanimis, &c.* Ergo & posterius.

19. Quæstio secunda: *Annón ab Evâ, sed à solo Adamo peccatum originale trahatur?*

20. Resp. Bellarminus inscribit caput 13. lib. 4. de amiss. grat. his verbis: *Non ab Hæva, sed à solo Adamo peccatum originale trahi.* In explicatione verò quæstionis hujus, quærit, an, *si sola Eva peccasset, peccatum originale in posteros propagasset?* *Conveniunt omnes, inquit, peccatum propriè dictum non fuisse trajiciendum in posteros, si sola Heva peccasset: tamen in eo dissentiunt, quod aliqui existimant, ex peccato solius Hevæ dimanaturam in filios moriendi necessitatem, & cætera incommoda, quæ mortalitas secum trahit. Alii contra disputant, neq; peccatum, neq; moriendi necessitatem, in filiis Adæ locum habitura ex peccato solius Hevæ.*

31. Verum quæstionem hanc otiosam, & inutilem censemus: Novimus enim Adamum unà peccasse. Si Eva sola legem violasset, Adamus absque dubio eam non cognovisset. Augustinus dicit lib. 12. de Trinit. cap. 12. *In illis duobus primis hominibus personam suam quisq; portabat, & ideò si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur.*

22. Non à solo Adamo, sed ab utroque parente peccatum contrahimus. Nam 1. Quicquid ex carne natum est caro est, *Joh. 3. v. 6.* Atqui nascuntur homines non ex patre solo, sed etiam ex matre. Ergo 2. Personam generis humani non gessit solus Adamus, sed etiam Eva, quia utrique data fuit lex de arbore vetita, præceptum de multiplicando semine, & cæteræ promissiones, atque comminationes. Ergo ab utroque propagatum est peccatum. 3. Ex immundo semine immundus fœtus concipitur, & nascitur, *Joh. 14. v. 4.* At uterque parens immundum subministrat semen. Ergo. 4. *A muliere igitur initium factum est peccati, & per illam morimur omnes, Syr. 25. v. 31. In peccatis concipit mater, Psal. 51. v. 7.*

23. Scriptura quia posteritatem per viros numerat; Et conjuges

ges sunt una caro; ideò dicit Apostolus *Rom. 5. per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Et 1. *Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificantur.*

24. Absurdum est statuere, in posteros ab Eva moriendi necessitatem dimanaturam fuisse, & non ipsum peccatum. *Nam mors est stipendium peccati, Rom. 6.* Non igitur potuisset propagari absque ipso peccato.

25. Quæstio tertia: *An peccata proximorum parentum propagentur in liberos?*

26. Resp. Distinguimus inter vitiorum habitus, & semina, non statim isti, sed hæc quandoque posteris ingenerantur. Nam 1. *Exod. 20. v. 5.* minatur Deus, *se visitaturum iniquitatem patrum in filios. in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt ipsum.* At Deus non punit in liberis id, à quo sunt immunes, *Ezech. 18. v. 20.* Punit vero in ipsis parentum delicta. Ergo ab his non sunt planè immunes: Et per consequens liberis quandoque semina, & propensio singularis peccatorum parentum communicantur, Deo permittente, qui eodem supplicio eos ob id afficit.

27. 2. Testatur experientia sæpe ex intemperantibus nasci intemperantes, ex libidinosis libidinosos, ex avaris avaros, quemadmodum ex calculosis generantur calculosi, ex podagricis podagrici, ex leprosis leprosi.

28. 3. Augustinus piè scribit in Enchir. cap. 46. *Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non* IMPROBABILITER *dicitur. Illa quippe divina sententia: Reddam peccata Patrum in filios: tenet eos utiq; antequam per regenerationem ad Testamentum novum incipiant pertinere. Quod testamentum prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem: Non accepturos filios peccata patrum suorum, nec ulterius futurum in Israël parabolam illam, Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.*

29. Quare non simpliciter, & universaliter id negare debebat Bellarminus, qui scribit lib. 4. cap. 18. *Quod attinet ad culpam, extra controversiam esse debet, unum tantùm, hoc est, primum primi parentis peccatum ad posteros carnali generatione transmitti.* Addit argumentum, *quia docet Apostolus Rom. 5. peccatum unum fuisse, quod omnes homines perdidit, gratiam verò non ab illo uno solum, sed etiam ab omnibus aliis liberare.*

Et 1. Cor. 15. *Adamum comparat cum Christo, & illum vocat primum hominem hunc secundum hominem, quia nimirum ille solus omnem suam posteritatem perdidit; hic solus omnem suam posteritatem reparavit.*

30. Resp. Ostendit Apostolus à quo sit propagatum peccatum originale & gratia ejusq; respectu comparationem instituit: Sed non negat proximorum parentum peccata transire in liberos.

31. Addit Bellarminus rationes. Prima hæc est: *Si Adam non peccasset, transmisisset quidem ad posteros justitiam originalem, quæ non tàm ipsi, quam toti naturæ in ipso data fuerat: Non autem transmisisset dona sua personalia, sapientiam, prudentiam, acquisitas virtutes, & alia id genus: Igitur ratio postulat, ut non transmittat etiam peccata sua personalia, sed illud unum duntaxat, propter quod justitia originali privatus fuit, quod naturæ peccatum à Theologis nominatur.*

32. Resp. 1. Dubium per æquè dubium probatur: In dubium enim vocatur à multis, an Adamus in sapientia debuerit perficere, & non potius in eadem utpote perfecta, ut Angeli perseverare. 2. Affirmatur ab iisdem si totam imaginem Dei debuisset in posteros transmittere, quod utique & sapientiam transmittere debuerit. 3. Distinguimus inter ipsos personales actus, & actionum initia, inter complementum, & principium, inter ipsos habitus, & semina habituum: Non ipsi proximorum parentum habitus. sed semina habituum in sobolem quandoque transfundi asserimus.

33. Secundam rationem ab experientia petit: *Hæc docet*, inquit, *sæpe viros admodum malos genuisse viros admodum bonos, hoc est, ab ineunte ætate pronos ad virtutes, & opera egregia. Achaz enim, & Amon Reges deterrimi filios genuerunt Ezechiam, & Josiam, qui & viri optimi, & Reges præstantissimi ab ipsâ pene infantia fuisse narrantur. At si vitia parentum omnium transirent ad proles, laborassent certè parentum vitiis Ezechias & Josias, saltem initio ætatis; neque uno die tot vitia funditus eradicari potuissent.*

34. Resp. 1. Nihil hoc ad statum controversiæ: Non enim dicimus semina & propensiones illas peccatorum semper, & ordinariè propagari in posteros, ut peccatum originale; sed quandoque. 2. Nec assertionem illam propugnamus ut Articulum fidei, sed ut admodum probabilem. 3. Propagationi peccatorum personalium misericordia Dei sæpe metas, & terminos constituit.

35. Quæstio quarta: *Verum necessario sit credendum, animas à parentibus*

rentibus non ingenerari, sed à Deo immediatè creari, & corporibus infundi?

36. Resp. Variæ opiniones de origine animæ multis ab hinc seculis sunt propositæ, quarum duæ adhuc sunt celebres, de quibus disputatur non tantum inter Philosophos, sed etiam inter Theologos quibus primam occasionem præbuerunt Pelagiani statuentes peccatum originis in posteros propagari non carnali generatione ; sed exemplo, & imitatione, idq; inter alia hoc defendere studebant fundamento : Si peccatum originale per carnalem generationem propagaretur, immunis ab eâ esset anima : Hæc enim non generando traducitur, sed immediatè creando à Deo infunditur. Atqui consequens non admittunt adversarii. Ergo nec possunt admittere antecedens. Vel ita : Cujus sedes principalis, & domicilium primarium non propagatur per carnalem generationem à parentibus, illud ipsum ab eis per eam non propagatur, & trahitur. Atqui peccati principalis sedes, & domicilium nimirum anima rationalis non propagatur, nec est per generationem carnalem à parentibus, sed immediatè à Deo infunditur. Ergo.

37. Inde igitur factum est, ut de animæ origine disputatum fuerit, & disputetur inter Theologos. Augustinus Epist. 28. ad Hieronymum scribit : *Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis aptè convenit : Cum quidam ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quam suffocaret, ne loqueretur ; accessit alius, & eo viso admirans ait : Quomodo huc cecidisti ? At ille, obsecro, inquit, cogita quomodo me hinc liberes, ne dum quæris, quomodo huc ceciderim, interim suffocer limo.* B. Lutherus dicere est solitus, *se nihil publicè de illa quæstione velle affirmare, sed privatim apud se tenere sententiam de traduce.*

38. At Bellarminus quæstiones etiam exoletas prolixè referens, & pertractans de sententia Augustini scribit lib. 4. de amiss. grat. & stat. pec. cap. 11. pag. 309. *Nos hoc tempore hanc sententiam minimè tutam esse censemus, & ideò sententiæ sextæ subscribimus, quæ docet, hominibus singulis animas singulas, non ex propagine, sed ex nihilo, tunc primum creari, atque infundi, cum in uteris matrum fœtus concepti atque ad animationem præparati sunt.*

39. Subscribimus verò nos modestiæ Augustini & B. Lutheri mittentes audaciam & impudentiam Bellarmini. Ut autem disputandi, & dispiciendi exhibeamus occasionem, profitemur, verisimilimam nobis videri sententiam de traduce.

40. Pri-

40. Prius præmittimus, quam sententiam hanc confirmamus in consideratione originis, & propagationis animæ respiciendum esse ad Adamum, ad Evam, & ad succedentes homines in ordine constituto. *Adamo anima fuit inspirata*, non ex Dei substantia, nec ex terrestri materia, sed omnipotenti Dei manu ex nihilo creata. Hinc scriptura voce inspirandi utitur, ut facilitatem creandi, & Spiritum esse ostendat, & ut doceat, quod homo sit creatus ad imaginem, & similitudinem Dei *Evæ anima fuit mediante vivâ costâ increata*: Desumpsit enim Jehova ex Adamo costam non mortuam, sed vivam, & ex eâ totam formavit Evam. *In ordine constituto animæ liberorum sunt ab animabus parentum, seu ingenerantur à parentibus*, & esse dicuntur à traduce.

41. Tradux verò est propago, seu pars quædam ab arbore secta, & in aliam traducta. Propriè igitur appellatione ista corporis quidam motus innuitur. Itaque in hac materia est metaphorica, notatque communicationem, quæ fit gignendo.

42. Non ita verò ingenerantur animæ à parentibus liberis, ut ab animarum propagatione Deus seclu datur: Sunt enim ipsissimi liberi donum Dei. *Psal. 127. v. 4. Ecce hæreditas Domini sunt filii: merces fructus ventris*: Itaque Deus ut ad generationem, ita ad animarum propagationem concurrit, tanquam mediata causa. Est igitur Deus pater animarum non tantum propter primam creationem, & animæ inspirationem: sed etiam propter mediatam propagationem, propter jus adoptionis, propter sustentationem, & conservationem.

43. His præsuppositis sententiam ipsam, nimirum animam esse à traduce, seu ingenerari à parentibus soboli, confirmamus primò. *A peccati originalis principali habitaculo, quod est anima*: Nam peccatum originis definitur *carentia fiduciæ agnitionis divinæ lucis*. Quare ita argumentamur: *Quodcunque peccato Adami est obnoxium, id trahitur ex Adamo*; *Et quod non trahitur ex Adamo, non est obnoxium peccato Adami*. Propagatur enim illud malum ad nos non per imitationem, sed per carnalem generationem. *Atqui anima peccato Adami est obnoxia. Ergo trahitur mediis parentibus ex Adamo. Vel secundum Bellarminum non trahitur in homine ab Adamo. Ergo non est obnoxia peccato Adami.* Vel ita: *Quodcunque extra anima, & sine ea esse in corpore humano non potest, eo propagato ipsam etiam animam propagari necesse est Atqui imago hominis peccato depravati extra animam, & sine eâ esse in corpore humano non potest. Ergo imagine ho-*

ne hominis peccato depravati propagatâ ipsam etiam animâ propagari necesse est.

44. Occinit Bellarminus lib.4.de amiss.grat.cap.12.pag.313. *Anima non trahitur ex Adamo, quasi ab Adamo fiat, vel ex Adamo animâ fiat, sed tamen est pars hominis, qui verè trahitur ex Adamo. Quare neganda est illa consecutio; Igitur ne peccatum trahitur ab Adamo. Neq; enim (ut peccatum ex Adamo trahatur) necessarium est, ut anima fiat ab Adamo, sed satis est, si homo ipse, cujus pars est anima, fiat ab Adamo. Porro verè, & propriè dicitur homo hominem generare, tametsi anima non producatur ab homine, sed inspiretur à Deo, Nam generatio non terminatur ad productionem formæ, vel materiæ, sed compositi. Proinde qui animam cum carne conjungit, is verè hominem facit. Conjungit autem animam cum carne is, qui materiam ita disponit, quod facit homo per generationem, ut infallibiliter anima consequatur. Homo igitur hominem per generationem verè producit, undecunq; existat anima.*

45. Resp. Meræ hæc sunt effugia. Nam 1. Cujus principalis pars non trahitur ex Adamo, ejus nec totum ex eo trahitur. Atqui posterorum Adami principalis pars nempe anima non trahitur ex Adamo secundum Bellarminum. Ergo. 2. Si tantum corpus trahitur ex Adamo: Ergo non totus homo ex eo trahitur, quia corpus est tantum pars hominis, & quidem minus nobilis. Atqui ex opinione Bellarmini tantùm corpus trahitur ex Adamo. Ergo non totus homo. 3. Qui generat totum hominem, is non solum corpus, sed & animam producit, quia anima est forma hominis dans esse homini. Atqui homo generat hominem. Ergo non solum corpus, sed etiam animam producit, vel non generat hominem. 4. Qui producit animam ille eam cum corpore conjungit, & compositum hominem facit. Atqui non Adamus producit Animam, sed Deus, qui creando, ex opinione Pontificiorum, eum inspirat. Ergo. 5. Autor totius compositi, est etiam author omnium totius compositi partium. Atqui Adamus non est author omnium hominis partium, Ergo. Quis igitur est ille homo, quem generavit Adamus? Num altera pars nimirum corpus? Certè ignorat istum hominem Scriptura, ignorat & sana Philosophia.

46. *Opinatur Lombardus lib.2.dist.31.lit.B.C. Peccatum originis tantum secundum carnem trahi ex parentibus; Animam verò vitiosa carnis contactu pollui, sicq; peccato originali inficì.* Verba ejus hæc sunt: *Non secundum animam, sed secundum carnem solam peccatum originale trahitur à parentibus, ex cujus contactu anima cum infunditur maculam trahit, quâ pol-*

luitur, & fit rea, id est, vitium concupiscentiæ, quod est originale peccatum.

47. Resp. 1. Scriptura non solum corpus, sed totum hominem in peccatis esse conceptum docet. *Psal.* 51. *v.* 7. Per hominem peccatum in mundum intrasse, *Rom.* 5. 2. Quicquid regeneratur, illud in peccatis est conceptum, & natum. Atqui totus homo regeneratur. Ergo ante in peccatis est conceptus & natus. 3. Si Deus corpori adhuc infundit animas, aut infundit eas impuras, aut puras. Si impuras, Deus erit author istius impuritatis. Si puras expertes erunt peccati originalis, cujus tamen primaria sedes est anima; Aut corpus impurum vitiat & inficit ipsam animam. Absurdum hoc: Brutum enim & mortale non corrumpit spirituale, & immortale. Cum nihil agat ultra vires suas; Sequeretur etiam hinc peccatũ inhærere iis tantum animæ potentiis, quæ sunt organicæ, & dependent à corpore. Accedit quod Deus foret injustus, qui animam justam nihil tale promeritam in corpus impurum, à quo pollueretur, intruderet. Imò auctor istius conjunctionis, ob quam anima commaculatur, est author peccati. Atqui Deus est author istius conjunctionis. Ergo. 4. Quod corpori non inest, eo animam non commaculat. Atqui peccatum animæ proprium, nimirum mentis cæcitas, & ignorantia, voluntatis aversio, corpori non inest. Ergo. 5. Anima corpori inficienti aut repugnat, aut non repugnat, sed assentitur. Si repugnat, non potest inficí: Spiritus enim potentior est corpore, forma validior est materia: illa principium est activum; hæc passivum. Si non repugnat, sed assentirur, erit peccatum actuale, & prius peccato originali. Absque assensu verò anima à corpore non polluitur, quia contactus tantum est virtualis.

48. Aliud effugium subministrant Pontificiis alii: *Transit,* inquiunt, *peccatum originis neque per corpus, neque per animam, sed per culpam parentum, propter quam Deus animas, & creat secundum naturam, non ornat originalibus donis, sed iisdem privat justissimè: quandoquidem ea legeparentibus illa dederat ut non sibi solis, sed & posteris servarent, vel amitterent. Orbata verò anima rectitudine non potest non sequi temperamentum vitiosi corporis: & mox totus homo vitiosus existere.*

49. Respond. 1. Animæ istæ, quæ creando dicuntur inspirari, non fuerunt in lumbis Adæ. Ergo in Adamo non peccarunt.

2. crean-

2. Creantur primum â Deo. Ergo in se non peccarunt. 3. Qui igitur nullo modo peccavit, injustè punitur. Animæ illæ nullo modo peccarunt. Ergo. 4. Justitiæ & integritatis spoliatio, atque vitiosa commaculatio non est pœna, sed culpa. Non igitur Deus privat, & commaculat, sed homo semetipsum.

50. Quare fixum, & immotum stat fundamentum: *Quodcunque est obnoxium peccato Adami, illud trahitur ab Adamo, Fuit in lumbis Adami, inde per carnalem conjunctionem parentum est, & fuit propagatum, ut tale fit propagatum, & traductum, quale est propagans, & traducens. Atqui anima est obnoxia peccato Adami. Ergo mediis parentibus trahitur ab Adamo.*

51. Secundum argumentum petimus *à benedictione Dei Gen 1. vers.28.cap.8. vers.17.c.9.v.1.* Cui dicit Deus crescite, & multiplicamini, illi benedixit, & ille totum producit hominem. Dixit verò hoc toti homini. Ergo totus homo totum producit hominem, & non tantum corpus: Benedictio enim non ad partem tantum hominis, sed ad totum pertinet hominem.

52. Tertium, Ex loco *Gen.5. vers.3.* Genuit Adamus filium Sethum ad imaginem, & similitudinem suam. Ergo simul propagavit animam, alioqui non genuisset eum ad imaginem suam, sed ad imaginem corporis. Vel ita: Subjectum imaginis Dei, est etiam subjectum imaginis hominis secundum quam Adamus genuit Sethum. Atqui totus homo, & principaliter anima erat subjectum imaginis Dei. Ergo est etiam imaginis hominis, secundum quam Adamus Sethum genuit: Ergo non solum corpus, sed & animam suam Sethus habuit ex Adamo.

53. Quartum, ex locis *Gen.46.v.26. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacobo in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex.2.Reg.16.v.11. Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meã.* Quicquid verò egressum est é femore Jacobi & Davidis, illud ab eis habet originem, & ab iis est productum. Atqui animæ egressæ sunt é femore Jacobi, & filius ex utero Davidis. Ergo ab eis non solũ corpus, sed etia animæ habent originem & sunt productæ.

54. Excipit Bellarminus lib.4.c.11.p.307. *Per animas.* inquiens, *eo in loco intelligi debent ipsi homines, qui anima constant. Frequens est in scripturis usus ejus figuræ, qua dicitur intellectio, cum videlicet aut totum ex par-*

te aut ex toto pars intelligitur. Sic in lib.1, Reg.cap.28. dicitur Samuel apparuisse Sauli, cum ei anima Samuelis apparuisset. Sic in lib. Levit.c. 5. Accipitur anima pro homine, cum dicitur, si peccaverit anima, & audiverit vocem juramenti. Item anima, quæ tetigerit aliquid immundum. Itē anima, quæ juraverit.

54. Resp. 1. Appellatione animæ in loco *Gen.* 46. Intelligi totum hominem nos ipsi docemus, & quidem vel συνεκδοχικῶς ut pars nimirum anima ponatur, & totum nimirum homo intelligatur; vel ut aliis placet Metonymικῶς, cum anima sit hominis forma, homo formatum. Itaque illud à Bellarmino probandum non erat, cum nihil ad scopum faciat. Si aliquo effugio Bellarminus se salvare voluisset, afferre exempla debuisset, in quibus pars una ponatur pro altera. 2. Nos urgemus textum emphaticum: Nam *animæ egressæ dicuntur è femore Jacob*, quod certè emphaticum est, & animarum propagationem patribus esse acceptam ferendam manifestè innuit. 3. Locum 1. Reg. 28. de Samuele alibi exposuimus.

55. His addunt nonnulli locum *Gen. 2. v. 2. Cum perfecisset Deus die septimo opus suum, quod fecerat: ipso die septimo quievit ab omni opere suo, quod fecerat.* Hinc ita inferunt: *Cui Deus septimo creationis die finem imposuit, illud post eum non peragit. Atqui creationi immediatæ septimo creationis die finem imposuit. Ergo post diem septimum eam non peragit, seu nihil immediatè creat: Et per consequens licet animarum sit creator, tamen non immediatè, sed mediatè per parentes eas efficit.*

56. Subjungimus nonnullas rationes. Sit prima: Generans, & generatum sunt unum specie, *Scal. exer. 6. sect.* 5. Atqui homo constans animâ, & corpore, & corpus animâ vacuum non sunt unum specie. Ergo homo non generat corpus anima vacuum.

57. Secunda: Generatione conservatur species. At solius corporis humani propagatione non conservatur species humanitatis. Ergo non solum corpus, sed etiam anima simul à patribus propagatur.

58. Tertia: Homo generat hominem, *Arist. 2. Phys. 26.* Ergo propagat simul animam, sine qua homo non est homo. Generatio enim est formæ introductio, Scaliger *Exer. 290. sect. 1.* Qui igitur formam non simul producit; non generat.

59. Quarta: Quod generatur, ejus omnes partes essentiales à generantibus producuntur. Atqui totum compositum, non sola materia, totus homo, non ejus tantum corpus generatur. Ergo.

60

60. Quinta: In generatione univoca communicat generans generato suam essentiam. Atqui generatio, qua homo generat hominem est univoca, non æquivoca, in qua generans, & generatum non habent idem nomen, nec sunt unius, sed diversæ speciei. Ergo homo generans communicat generato suam essentiam, quod certe sine animæ communicatione fieri non potest.

61. Sexta: Cui pater generans non communicat suam essentiam, is non est ejus filius: *Ex appellatione enim filii colligitur ratio communicatæ essentiæ.* Atqui secundum Bellarminum pater generans non communicat filio generato suam essentiam, quia non communicat ipsi formam, quæ dat esse, & operari. Ergo filius generatus non est ejus filius: *contradictio in adjecto.*

62. Septima: Bruta animantia producunt sibi similia, non tantùm corpus, sed & animam, licet sint minoris perfectionis. Ergo multò magis homo: Non enim deterior est generatio hominum generatione animalium: Et utrique benedixit Jehova, Brutis, *Gen.* 1. *v.* 22. Hominibus ibidem *v.* 28.

63. Octava: A potiori fit denominatio. Atqui anima est potior hominis pars. Ergo ab ea fit hominis denominatio. Si igitur anima in ordine constituto homini infunditur, potius dicendus est creari, quàm generari.

64. De modo verò traductionis, & progagationis hujus diversæ sunt sententiæ: Nonnulli enim censent, Deum secundo creationis modo animam novam ex præexistente animâ parentum fœtui increare. Alii arbitrantur, animam patris sui promotione producere animam sobolis, quæ certo tempore semine perfectius elaborato in fœtum se induat.

65. Tertia est sententia, quâ docetur 1. modum hunc non posse in hac vita perfectè explicari: Ecclesiastes dicit *cap.* 11. *v.* 5. *Quomodo ignoras, quæ sit via Spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: Sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Quare si nescimus quo modo compingantur ossa in utero matris. Ergò multò minus scire possumus quo modo propagetur anima, quæ est spiritualis. Mater igitur septem fratrum dicit, 2. *Machab.* 7. *v.* 22. *Nescio qualiter in utero meo apparuisti.* 2. Animam rationalem sui promotione producere aliam animam, non quidem ex corporeo semine, quasi ex materia educa-

tur sed ab anima parentum, ut candela accenditur à candela, fax á face: Non enim dicitur anima esse ex traduce, quasi sit è re materiali; sed quod sit per traductionem á patre in filio. Gignit igitur animam anima sui promotione, sicut in accretionibus induit sese in alimenti materiam novam.

66. Si quis quærat, *unde habeat anima, quod sui promotione aliam producat animam?* Respondemus 1. ex benedictione divinâ: *Crescite. & multiplicamini.* 2. ex perfectione seminis, quod illâ habet naturam, ut possideat, non ut roget. In semine igitur sunt duo πνευματικὸν quid nempe anima, quæ est ab anima parentum; & σωματικὸν quid, nempe vis corporea, quæ fluit à corporis membris.

67. Opponunt verò contra sententiâ hanc varia adversarii. Objectio ipsorum prima hæc est: *Adamo & Evæ anima fuit inspirata. E. & corũ inspiratur posteris. De Adamo res est manifesta. Evæ quod anima sit inspirata patet 1. ex facto Dei, quia non animam, sed costam sumpsit ex Adamo, & carne locum concluſit, Gen. 2. v. 22. 2. Ex verbis Adami, qui vocat eam os ex ossibus, & carnem de carne nullam animæ mentionem faciens.*

68. R. 1. Ex ea sequitur objectione, corpora nostra non generari, sed creari, quia Adami corpus creatum est ex limo terræ *Gen. 2. v. 7.* 2. Quæstio nõ est de ordine constituendo, de quo agit argumentum oppositum, sed de ordine constituto. 3. Desumpsit Deus ex Adamo costã non mortuam, sed vivam. Evæ igitur animam non inspiravit. 4. Vocabulum carnis, ut & ossis sæpe in Scriptura totum notat hominem.

69. Objectio secunda: *Originem animarum singulorum hominum describit scriptura, iisdem loquendi formulis, quibus primi hominibus animæ creatio describitur. E. origo animæ singulorum hominum in ordine constituto non est specie diversa à creatione animæ hominis primi: Et per consequens anima à parentibus non ingeneratur, sed à Deo immediatè inspiratur.* Antecedens legitur *Job. 33. v. 4. Sap. 15. v. 11. Zach. 12 v. 1. Esa. 57. v. 16.*

70. R. 1. Esaias dicit, Deum formare corpus hominis, & singula membra manibus fingere. Num igitur & illa immediatè creat? 2. Multorum est sententia, in illis Scripturæ dictis reduci nos ad primam animæ productionem, 3. Alii distinguunt inter actionem Dei generalem, & specialem, mediatam & immediatã: Notari, inquiunt, in dictis istis actionem Dei generalem, & non specialem, mediatam, & non immediatam. Nam in dicto sapientiæ & Jobi dicitur Deus totum fingere hominem

hominem. Num igitur & corpus creat? Bellarminus ipse ex Augustino dicit lib.4.c.11.p.309.responsionem hanc approbat.

71. Objectio tertia: *Spirituum nulla est multiplicatio. Non enim Angelus propagatur ex Angelo. Anima est Spiritus. Ergo ejus non est multiplicatio.*

72. R. Distinguimus inter spiritus corporibus devinctos, & non devinctos: Nō horū sed illorū ex benedictione divina est multiplicati o.

72. Objectio quarta: *Quicquid educitur è potentia materiæ, illud est materiatum. Anima non est materiata, quia est spiritus. E. Deinde in semine anima aut est actu, aut potentia. Non actu, quia semine in terram, vel in uterum sterilē effuso, & pereunte, periret anima. Et falsum erit illud vulgare: Animam post diem quadragesimum à conceptionis tempore primum inesse fœtui. Non potentia, quia accidens produceret substantiam intelligentem, & immortalem: δυναμις enim illa non est substantia, sed accidens. Et vis illa πλαστικὴ, quæ fingitur esse in omni semine, aut corruptibilis est, aut incorruptibilis. Si est corruptibilis. Ergo & anima est talis: Et semine intereunte πνευματικὸν quid interit. Si est incorruptibilis, quæritur corrupto semine, quò transeat?*

73: R.1. Anima sobolis non educitur ex semine, sed propagatur ab anima parentum, sicùt actus ab actu, & flamma à flammà citra sui imminutionem. 2. Piè nonnulli sentiunt, plausibiliorem eorum esse sententiam, qui censent animas non educi è potentia materiæ sicut formę materiales, sed traduci, ac proinde transfundi, ac ptopagari cum semine aptè ad generationem disposito, sicut lumen in materia habili sese multiplicat v.g. candela humida non accenditur à candela altera, quia materia non est apta. At si idonea fuerit lumen suum per novi luminis excitationem citra sui imminutionem, & partitionem in alteram promovet candelam. At inquis, *animam post quadragesimum diem primum adesse in semine.* Respondent illi, videri id quidem, sed propterea, quod anima non operetur istis diebus per organa corporea, cum ea nondū sint legitimè disposita. Quæris, *Num igitur istis diebus sit otiosa?* Resp. Licet non operetur per organa corporea, non tamen est otiosa, sed occupata est in sui domicilii conformatione.

74. Objectio quinta. *Aut anima est ab utroq; parente, aut à patre solo Non hoc, quia Christus non haberet animam. Non illud, quia anima spiritualis esset divisibilis. Ergo immediatè infunditur.*

75. Resp. 1. Nonnulli à patre solo animam cum semine propagari censent cum dicantur animæ egressæ è femore Jacobi Gen. 45. vers. 26. Et Adam genuerit Sethum ad imaginem suam. Genes. 5. vers. 1. Christi verò conceptionē esse singularem, ajunt, quia Spiritus Sanctus supervenit Mariam.

2. Alii ab utroque parente animam propagari docent, quorum nonnulli διάφασιν in hac simplissima essentia fieri, ajunt, sed benedictione divinâ. Alii eam non admittentes statuunt, animas parentum esse considerandas in generatione non divisim sed conjunctim. Nam propter arctissimam corporum unionem dicuntur una caro. Propter hanc igitur copulationem indivisibilis propagatur anima sicut à candelis duabus copulatis accenditur tertia candela.

97. Quæstio quinta: *Quid si sentiendum de effectis peccati originalis, quæ Philosophicæ quæstionis dissertatione enarrat Bellarminus?*

77. Resp. Mala illa per lapsum Adæ in mundum esse introducta, fatemur. Dissertationem verò illam non per omnia probamus 1. Confundit enim Bellarminus formale peccati cum ejus pœna. Nam cæcitas mentis, repugnantia voluntatis ἀλαξία appetitus constituunt, & non consequuntur peccatum originale. Sunt igitur ejus non pœna, sed formale. 2. Confundit pœnas speciales, & personales cum communibus & generalibus de his, & non de illis hoc loco propriè agitur. 3. Nimis tenuiter de morbis, & vulneribus loquitur. 4. Satis audacter concupiscentiam, atque alia mentis, & voluntatis vulnera negat esse propriè peccatum, qua de re insubsequenti agemus Disputatione.

78. Quæstio sexta: *An Christianorum infantes sine Baptismo decedentes damnentur, & quid sit sentiendum de puerorum Limbo?*

79. Resp Infantes non baptizatos perire, simpliciter affirmant Pontificii, videatur *Lombardus l. b. 4. Dist. 1. Lit. L. Bellarminus lib. 6. de amiss. Grat. c 2.*

80. Cum autem opinio hæc sit nimis dura, & eripiat consternatis parentibus omnem consolationem, ideò breviter contrarium ostendemus De Limbo verò puerorum egimus in Disputat. 21. quæst. 6. ad quam remittimus.

81. Præmittimus tria: Primo. Distinctionem esse inter eos, qui sunt in Ecclesiâ nati, & qui sunt nati extra eam, *Act. 3. v 15. Rom. 2 v. 29 1. Cor. 5. v. 12 cap. 7. v. 14.* Illi immediatè ad sacramenta & Ecclesiæ bona admittuntur. Attinet enim eos promissio fœderalis, *Gen 17. v 7.* Cum autem non ob contemptum sed ob immaturam mortem sæpe Baptismi non fiant participes, ideò hic valet regula: *Non privatio sed contemptus Sacramentorum damnat.* Secundò. Piorum preces posse fide carenti impetrare à Deo opem, & fidem, *Matt. 8 v. 6 c 15 v. 22. Luc. 8 v. 38. cap 9. v 39. Ioh 4 v 47.* His igitur mediantibus, quas fundunt pii parentes, & tota Ecclesia pro illis infantibus, conferri eis fidem piè credimus. Tertio, *Deum esse infinitè potentem, & summè misericordem* Ergo cum ipsis salutem promiserit, & ii non ex contemptu ordinariis mediis simpliciter priventur, alio modo eos Deus salvat Arguunt id exempla, *Exo. 1. v. 22. 1. Ma. 1. 2. Mac. 6. 2 Sam. 12. v 18 Luc 23 v 42.*

Finis Disputationis XLV.

DISPUTATIO XLVI.

DE PECCATI ORIGINALIS VENIA, ET *Sublatione*

Resp. Adolpho Böhmers Schaumburgico

THESIS I.

SIcut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Itaque per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, 1. *Cor.* 15. *v.* 22. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam constituuntur multi, *Rom.* 5. *vers.* 19. Quare cum Adami primi inobedientiam, & vitium consideraverimus, de Adami secundi obedientia, & beneficio nonnihil agemus, & ostendemus, quomodo à labe ista purgemur, & quænam sit ratio peccati per Baptismum in renatis remissi.

SENTENTIA PROTESTANTIUM

2. Quatuor verò in peccato concurrunt, á quibus sumus liberandi, ut sunt, 1. *Reatus.* 2. *Dominium.* 3. *Sensus.* 4. *Radix.*

3. *A reatu peccati* liberamur per regenerationem, quæ complectitur peccatorum remissionem per Christi sanguinem, qui ab omni peccato nos abluit, 1. *Joh.* 1. *v.* 8. *A dominio*, per renovationem, quæ complectitur carnis mortificationem, & novæ obedientiæ inchoationem, quæ in hac vitâ non est omnibus numeris absoluta & perfecta. *A sensu*, per mortem. A radice, per cinefactionem vel totalem corruptionem.

4. De prioribus duobus disceptatur inter Protestantes, & Pontificios. Cum scriptura affirmamus per Baptismum, qui est lavacrum regenerationis, *Tit.* 3, *v.* 5. & per pœnitentiam, quæ est reversio ad Deum à peccati reatu nos perfectè liberari, sed non ab ipso peccato.

5. Nam de die in Diem magis, magisque quam diu vivimus

renovandi sumus, 2. Cor. 4. v. 16. *Licet is, qui foris est; noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* Augustinus 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 7. *Si in ipso animo, inquit, qui est homo interior perfecta in Baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus: interior homo renovatur de die in diem. Ergo nondum totus renovatus est, & in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est.* Et tract. 42. in Johan. *Non regnet peccatum; non ait, non sit, sed non regnet; quamdiu enim vivis necesse est peccatum esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur; non fiat, quod jubet.* Ambrosius in Comment. super cap. 4. ep. 2. ad Cor. *Pressuris,* inquit, *plagis. fame, siti, frigore, nuditate caro corrumpitur; Sed anima spe futuri præmii renovatur: quia assiduis tribulationibus purgatur. Proficit enim in pressura, non interit.*

6. Quamvis igitur nihil damnationis sit in his, qui sunt in Christo Jesu, *Rom.* 8. v. 1. Habitat tamen in eis peccatum, *Rom.* 7. v. 12. Hujus facta quotidiè mortificare debemus, *Rom.* 8. v. 13. Donec in plenam libertatem vitæ æternæ restituamur *vers.* 21. Regula theologica est: *Renati in hac vita liberantur à supplicio ὁλικῶς,* à vitio *μερικῶς, perfecta est remissio, sed imperfecta renovatio.* Augustinus lib. 2. contra Julianum scribit: *Deus vitiatum à reatu sanat statim, ab infirmitate paulatim.*

7. Quare Concupiscentia in baptizatis & in renatis reliqua est propriè dictum peccatum, *Rom.* 6. 7. 8.

8. Notat verò vocabulum *Concupiscentiæ* vel animæ sensitivæ *δύναμιν,* quæ per se non est peccatum; vel *ἀπαξίαν* omnium animæ virium. Vel vocabulum concupiscentiæ notat primò facultatem concupiscibilem, quæ cum sit potentia naturalis per se est bona: Et hæc competebat homini etiam in statu innocentiæ. Secundo facultatis concupiscibilis actum, ut est cibi appetitus in esuriente, qui si bonus ratione objecti, & ordinatus ratione modi, est naturalis. Tertiò ipsam inordinatam concupiscentiam, & significat 1. ipsum habitum. 2. Habitus primos motus, & actus, quibus nondum plenus accedit consensus. 3. Malos fructus, quos concupiscentia, ratione consentiente parit. Intelligitur enim appellatione malæ concupiscentiæ non tantum corruptio qualitatum corporis, sed etiam prava conversio ad carnalia, tam in superioribus, quam in inferioribus viribus, utpote securitas, & contemptus Dei, odium judicii Dei, desperatio gratiæ, fiducia rerum præsentium.

9. Refer-

9. Refertur igitur concupiscentia, & ad peccatum originale, & ad actuale, explicat id accuratè Dn. Chemnitius part. 1. L. C. pag. 630. *Observetur*, inquiens, *cogitationes aliquando pertinere ad peccatum originale, ut cum tantum sunt suggestiones; aliquando ad peccatum actuale quando scilicet significant deliberationem, seu propositum, ut 1. Corinth. 13. vers. 3. Charitas non cogitat malum.* (*Nam à malis cogitationibus originaliter loquendo, charitas non est libera.*) Johan. 11. *vers.* 53. *Cogitabant interficecere Apostolos. Et dubitationes actuales significanter describuntur*, Rom. 14. *vers.* 1. διακρίσεις *cogitationum.* &c. Ibidem: Concupiscentia est peccatum originale, fit autem peccatum actuale juxta Scripturam hoc modo: Col. 3. *vers.* 5. *vivere in concupiscentiâ malâ* Rom. 6. *vers.* 12. *Obedire desideriis.* Gal. 5. *vers.* 16. *Perficere concupiscentias* 2. Tim. 3. *vers.* 6. *Agitari variis desideriis.* Et pag. 633. *Originale peccatum definitur carentia justitiæ originalis, & pravo habitu, sive vitiosa inclinatione virium hominis ad malum. Carentia igitur illa & habitus inclinans in homine pertinet ad peccatum originale. Quicquid verò præter carentiam illam, & habitum inclinantem est in homine, quod erumpit in actum aliquem pugnantem cum lege Dei, sive fiat hoc actus, & operis debiti omissione, sive actus, & operis debiti commissione, vocatur actuale peccatum.*

Sententia Pontificiorum.

10. Statuunt Pontificii Concupiscentiam in renatis post Baptismum, & pœnitentiam reliquam non esse propriè peccatum, sed affectum; & pœnam peccati originalis (quemadmodum mors pœna peccati est) & naturæ vulnus. *Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. c. 5. & 9. p. 387.*

11. Concilium Trident. Sess. 5. *Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quinimò qui legitimè certaverit coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Status Controversiæ.

12. Non igitur quæritur 1. De concupiscentiâ bonâ, quæ est vel

naturalis notans ipsam concupiscendi δύναμιν, vel ἐνέργειαν; vel spiritualis quæ est renatorum propria, de qua agitur, *Psal.42.v.1, Gal.5.v.17.* 2. Nec quæritur de concupiscentia, cui accedit consensus, delectatio, & ejus rei, ad quam pravi motus inclinant, executio: Hanc enim Pontificii peccatum nominant, sed minus rectè peccatum suâ naturâ veniale esse opinantur. 3. Nec quæritur de pravorum illorum concupiscentiæ motuum origine, num fuerint actu secundo in homine nondum lapso: Secutos enim eos esse lapsum nobiscum fatentur Pontificii. 4. Nec quæstio est de rebellione carnis adversus spiritum, sitne pœna peccati originalis? Id enim nobiscum Pontificii affirmant. 5. Neque quæstio est de peccati originalis reliquiis, & pœnis, nimirum de ignorantiâ, & propensione ad malum, possintne nominari, naturæ vulnera, peccati materiale, naturæ languor, & peccati fomes. Affirmant enim id Pontificii, ut *Bellarminus lib.5.c.9. Vlemb.cap.9.6.* Neque quæstio est de primis concupiscentiæ motibus, quibus non accedit consensus, num damnent, & non sint veniales? Id enim negamus, profitentes, quod, licet sint peccatum, non tamen imputentur.

13. Status verò controversiæ est, de concupiscentia in renatis post Baptismum reliqua, ejusque primo impetu, & stimulis sintne ex se, & suâ natura peccatum, licet ex accidenti renatis non imputentur?

14. Controversia hæc non est leviuscula, sed gravissima, quippe quæ gloriam Christi, & justificationem per fidem non leviter illustrat. Nam cum renatis semper adhæreat peccatum, omninò sequitur, non posse ab iis legem perfectè impleri, adeòque per bona opera nullum hominem justificari, cum hæc omnia sint imperfecta. Animadvertentes id Pontificii, Concupiscentiam propriè sic dictum esse peccatum, negant.

15. Quæstio prima: *An concupiscentia in renatis post Baptismum, & pœnitentiam reliqua, ex suâ naturâ verè, & propriè sit peccatum, licet credentibus non imputetur?*

16. Resp. Opinionem Pontificiorum suis ipsorum proponemus verbis. Scribit igitur Johannes Roffensis Episcopus Cantabrigiensis in Assertionum Mart. Lutheri Confut. Art.2.p.60. *Carnis concupiscentia, seu peccati fomes non habet veram peccati rationem, cum non amplius reum faciat justificatum ipsum, sed & reatus per Baptismum penitus auferatur.* Bellarminus lib.5. de amiss.grat.c.5. asserit, *naturæ corruptionem, sive*

sive concupiscentiam, qualis remanet post Baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, non solùm quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest, cum nullum sit ex se, vel ex natura sua peccatum. Costerus in Augmen Ench. pag. 168. *In baptizatis relinquitur quidem concupiscentia*, inquit, *& fomes ad pugnam, ea tamen proprii nominis peccatum non est, tametsi ab Apostolo impropriè nominetur peccatum, tum, quia ex peccato nobis inest, tum quia ad peccatum inducit.* Stapletonus par. 3. Exp. 14. pag. 352. *Verissimè concluditur*, inquit, *concupiscentia fomitem manere quidem in regeneratis per Baptismum ad exercitationem tantum virtutum, non ad damnationem hominis, neque aliquo modo esse peccatum, nisi voluntatis consensus accedat.* Et pag. 355. *Est concupiscentia peccatum, quia causa est, & origo peccati, si consensus mentis acceserit. Itaq; non negatur, concupiscentiam carnis manere post Baptismum, sed dicitur, non esse peccatum sine consensu.* Adamus Tannerus in 1. secun. Thom. Disp. 11. t. 85. p. 312. *Non minus, inquit, falsa, & damnata est communis illa hæreticorum hujus temporis opinio, quâ dicunt, concupiscentiam, sive illam ipsam naturæ nostræ corruptionem, quæ, & qualis etiam in renatis reperitur, esse verè, ac propriè peccatum originale, licet fidelibus non imputetur ob fidem.* Johannes à Daventria in Harm. Aug. Confes. pag. 22. scribit: *Catholici scriptores concupiscentiam hic accipiunt, ut concupiscentiam, non ut peccatum videat igitur Cæsarea Majestas in adversariis non candorem, sed animi duplicitatem. &c.* Johannes Cochlæus in eodem scribit libro pag. 27. *Potest quidem carnis concupiscentia post Baptismum peccatum dici, tanquam ex peccato originali contracta. In quo sensu & à Paulo Apostolo peccatum dicitur, Rom. 7. aut ideò, quia ad peccatum inclinat. Non est secundum se verè peccatum, nisi voluntas ei consentiat.*

17. Protestantes verò licet distinguant inter peccati gradus, esse tamen concupiscentiam peccatum verè, & propriè ita dictum docent, idquè probant 1. *à clarâ literâ.* Nam scriptura concupiscentiam in regeneratis reliquam appellat peccatum, ut *Rom. 6. v. 6. Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. V. 7. Qui mortuus est: justificatus est à peccato. V. 11. Existimate, vos mortuos esse peccato. Vers. 12. Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Vers. 13. Neq; exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Vers. 14. Peccatum vobis non dominabitur. Vers. 16. Servi estis ejus, cui obedistis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam. Vers. 18. Liberati à peccato servi facti estis justitiæ. Rom. 7.*

vers. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem* : *Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, non concupisces.* Similia vide ibidem *vers.* 8. 9. 11. 12. 13. 14. 17. 20. 23. 24. *Rom.* 8. *v.* 5. 10. Ex hisce ita argumentamur: *Quo nomine Scriptura appellat concupiscentiam in propriâ ejus sede, eo & nos eam nomine mus oportet. Atqui nominat eam in propriâ ipsius sede peccatum. Ergo.* Majoris evidentiam agnoscit ipse Bellarminus Tom. 3. lib. 1. de Sactam. Euch. cap. 9. *Dogmata præcipua*, inquit, *non nisi propriis verbis tradi solent in divinis literis. Tropi enim locum habent vel in Prophetiis ad rem obscurandam, vel in laudationibus ad rem ornandam, vel denique in cohortationibus ad rem amplificandam, non autem in dogmatibus, quæ præcise credi, aut servari debent.* Et cap. 12. *Sensus proprius*, inquit, *& literalis semper est eligendus, nisi evidenter probetur contrarium.*

18. Necessarium non est ut multis contra Pontificios ostendamus Apostolum, *Rom.* 7. de se loqui renato. Nam Johannes Roffensis contra Lutherum pag. 63. scribit: *Tu introducis hæc, ut ostendas Paulum de ipso superius fuisse locutum, id quod ante tibi donavimus.* Docet idem clara litera. Nam loquitur Apostolus in persona primâ, Rom. 7. v. 14. *Ego carnalis sum.* vers. 15. *Ego, quod odi facio.* v. 15. *Ego consentio legi.* Et loquitur non in præterito, sed in præsenti.

19. Conantur verò Pontificii aliis sese salvare effugiis. Nam primò scribit Bellarminus lib. 5. cap. 10. hoc loco *concupiscentiam non accipi pro fomite, sed pro actu voluntario concupiscendi, qui prohibitus est lege, non concupisces.* Intelligit igitur ipse concupiscentiam non originalem, sed voluntariam.

20. Resp. 1. Appellatione concupiscentiæ notatur vel concupiscentia originalis, vel involuntaria actualis, vel voluntaria actualis: Quod Apostolus intelligat concupiscentiam originalem ostendit professio ignorantiæ. Nam dicit: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.* 2. De ea loquitur concupiscentia, quam noluit, odit, & cui repugnavit. Hæc verò non potuit esse voluntaria, & cum consensu conjuncta, sed fuit involuntaria.

21. Nominatur verò *Concupiscentia carnis*, non quasi impropriè sit peccatum, & appetitui sensitivo tantum inhæreat, & non omnes facultates infecerit; Sed in oppositione ad Spiritum, in quâ denotat totalem hominis corruptionem. Dicit quidem Apostolus, *Rom.* 7. *v.* 18. *Scio quod non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum*; Sed ut distinguat

guat i inter se hominem veterem, & novum, doceatq; sibi renato inhabitare Spiritum S. qui non est pars corruptæ naturæ.

22. Secundò Costerus scribit in Augment. Ench. p. 182. *Concupiscentia non propriè, sed per metonymiam dicitur peccatum: tum quia est causa peccati, sicut frigus appellatur pigrum, & mors pallida, quod pigros, ac pallidos reddat, tum quia est effectus peccati, ut idioma dicimus linguam & Scripturam stylum. Ideò rectè Concil. Trid. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Videatur etiam Bellarminus lib. 5. cap. 10. Et Johannes Roffensis pag. 57. 58. qui quatuor peccati significationes ex Scriptura ostendit, Stapletonus dicit par. 3. pag. 353. *Cum reatus originalis peccati auferatur in Baptismo, & dicente Apostolo Roman. 8. Nihil est damnationis iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, sequitur concupiscentiam post Baptismum manentem propriè non esse peccatum.*

23. Respond. 1. Nuda assertio est principii petitio. 2. Scriptura articulos fidei in propria sede proponit verbis propriis. Itaque verba propriè sunt intelligenda, nisi textus ipse, & fidei analogia tropicam significationem subinnuat. 3. Apostolus distinctis vicibus concupiscentiam absolutè nominat peccatum nullam addens limitationem. Ergo esse propriè dictum peccatum docet. 4. Tollitur in Baptismo peccatum à regenerato non ut non sit, sed ut non imputetur.

24. 2. *A definitione peccati*: Cui competit propria definitio peccati, illud propriè est peccatum. Atqui Concupiscentiæ competit propria definitio peccati. Ergo. Minoris veritas patet ex definitione peccati, 1. Joh. 3. v. 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία peccatum est iniquitas, seu deflexio à lege. Quicquid igitur legi divinæ repugnat, illud est propriè dictum peccatum. Atqui concupiscentia in renatis reliqua repugnat legi divinæ, *Roman. 7. vers. 7. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Ergo.

25. Excipit Bellarminus lib. 5. cap. 10. *peccatum*, inquiens, *hoc loco propriè accipi, i. e. pro vera legis prævaricatione, sed concupiscentiā non accipi pro fomite, sed pro actu voluntario concupiscendi, qui prohibitus est lege non concupisces: Id*

Id ita esse perspicuum est, tum ex contextu Apostoli, qui cum dixisset, legem non esse peccatum, id est, causam peccati, sed esse causam cognitionis peccati; probavit ex eo, quod non cognoscebant homines actus interiores, ut desiderium uxoris, vel rei alienæ esse peccata, nisi lex dixisset, non concupisces. Tum etiam ex loco illo Evangelii, Matt. 5. Dictum est antiquis non mœchaberis. &c.

26. Resp. Ad exceptionem hanc respondimus th. 21. Nam 1. concupiscentiam nominat Apostolus peccatum, quam non nisi ex lege agnoscebat. Jam verò voluntarium concupiscendi actum absque collustratione legis scriptæ etiam ex lumine naturæ peccatum esse agnoscebat, ut & saniores Ethnici agnoverunt. 2. Illam concupiscentiam nominat Apostolus peccatum, & lege prohibitam esse docet, de qua dicit *vers.* 15. *Non quod volo bonum, hoc ago: Sed quod odi, malum, illud facio.* Et vers. 17. *Nunc jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, hoc est, ego non delector eâ concupiscentia, nec deliberato consensu eam operor. Vers. 18. Non habitat in me, hoc est, in carne meâ, bonum. Vers. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Hæc verò singula competunt primis concupiscentiæ motibus, & non illis, qui deliberato agunt consilio. 3. Quod *v.* 7. nominat Apostolus concupiscentiam, illud *v.* 8. nominat peccatum operans omnem cupiditatem. Ergo distinguit hoc peccatum à pravis concupiscentiæ actibus, tanquam causam ab effectibus, docetque ipsam concupiscibilitatem, & pravos concupiscentiæ motus lege damnari. 4. Christus Matt. 5. legem divinam à corruptelis Mosaicis purgat, docetque non tantum actum secundum, sed etiam primum, & ipsos concupiscentiæ primos motus lege prohiberi. Nam. *v.* 22. innuit præcepto quinto prohiberi iræ motus interiores, in corde, mente, & voluntate, & *v.* 28. ostendit sexto præcepto concupiscentiam veneream in corde, mente & voluntate prohiberi.

27. *Stapletonus opinatur concupiscentiam lege prohiberi non ut peccatum, sed ut naturæ morbum non per modum obligationis ad pœnam, sed ut adigamur ad quærendum medicum.*

28. Resp. 1. Contradicit Apostolo, qui inde, quod lex dicit, *non concupisces*, concludit, concupiscentiam in membris suis esse peccatum. 2. Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, *Deut.* 27. *v.* 26. *Gal.* 3. *v.* 10. Ergo lex de non concupiscendo violata ad pœnam obligat. Quod verò ad quærendum medicum

dicum instigat, illud fit per accidens. 3. Quicquid prohibetur lege divina; illud est peccatum: Nam lex divina est norma eorum, quæ Deus à nobis vult fieri. Qui igitur violat legem, ille contrariatur voluntati divinæ. Atqui concupiscentia prohibetur lege divina. Ergo. 4. Concupiscentia, quæ morbus dicitur naturæ non est malum pœnæ, quia non est à Deo, non enim ipse immisit corruptionem; sed malum culpæ. Ergo per se est peccatum. 5. Apostolus igitur nominat *malum sibi adjacens, Rom. 7. v. 21.* Docet igitur quod Concupiscentia non sit indifferens, nec bona, sed mala: Et per consequens lege prohiberi, eò quod obliget ad pœnam.

29. 3. *A peccati propriis:* Cui enim competunt propria subjecti illi competit & ipsum subjectum. Atqui concupiscentiæ competunt propria subjecti hoc, est, peccati. Ergo est ipsum peccatum

30. Nam Apostolus primò *Rom. 6. vers. 6.* nominat malum crucifigendum. Rom. 7. v. 18. dicit, quod non habitet in se, hoc est in carne sua, bonum, v. 21. quod sibi adjaceat malum *Rom. 8. v. 13.* quod sit mortificandum. Secundò describit illud & privativè, & positive. Privativè, *Rom. 7. v. 15. 16. 18. 19.* Non intelligo. Quod nolo illud facio. Non habitat in me bonum. Positivè, *Rom. 7. v. 14* carnalis sum. *v. 17. 20.* Habitat in me peccatum. *v. 21.* Malum mihi adjacet. *V. 23.* Video aliam legem in membris meis. Tertiò, *Rom. 7. v. 14* Nominat peccatum, sub quo sit venundatus, & propter quod carnalis. Quartò, *Rom. 7. ver. 7.* dicit, pugnare cum lege *non concupisces. Vers. 23.* Repugnare legi mentis, & captivare in lege peccati. Omnibus igitur piis esse exclamandum: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus, Rom. 7. vers. 24.* Hinc ita inferimus: Cui competunt propria peccati πάθη & requisita, illud propriè dictum est peccatum. Atqui Concupiscentiæ in renatis reliquæ competunt propria peccati πάθη & requisita. Ergo. Deinde. Quod propriè non est peccatum, illud non repugnat legi Dei. Atqui concupiscentia in renatis reliqua & privativè, & positivè ipsi repugnat. Tertiò malum quod odio prosequebatur Apostolus, propriè dictum est peccatum. Atqui Concupiscentia est malum, quod odio prosequebatur Apostolus, *Rom. 7. v. 15.* Ergò. Quartò, Quod morte est dignum, utique est peccatum: Nam *stipendium peccati est mors Rom. 6. vers. 23.* Atqui concupiscentia per se est morte digna, *Roman. 7. v. 24. Cap. 8. vers. 13.* Ergo.

31. Specialius idem deducturi ita 4. argumentamur *ab impeditâ legis impletione*: Illam concupiscentiam lege esse prohibitam asserit Apostolus: propter quam erat carnalis, & sub peccatum venundatus *Rom.7.v.14.* & propter quam ipsi volenti facere bonum, adjacet malum, *vers.* 21. adeòque eam intelligit concupiscentiam; propter quam legis impletio impeditur. Atqui illa est concupiscentia carnis per quam etiam non accedente voluntatis consensu constituitur homo peccator, *Rom.7.vers.*15. quod odi, illud facio *Vers.*16. quod nolo, illud facio. *v.*19. Non quod volo bonum, hoc facio. Ergo.

32. Quæ pagina 393.394. effugia profert Bellarminus de aliorum opinione statuentium Apostolum non de sua loqui personâ, sed de aliis; vel dicendum esse. B. Paulũ non velle significare legem spiritualem, non servari à justificatis, quatenus opus est ad vitandum peccatum, sed non servari quantum ad quandam perfectionem, quæ est finis præcepti, ac propterea propriè non est in præcepto, cum obligatio præcepti propriè in mediis, quæ imperantur consistat non in fine: Et prævaricator sit, qui media negligat, non qui finem non assequatur: Ad ea respondimus partim in antecedentibus, partim agnoscit ea ipse Bellarminus infirma. Stapletonus in Antid. ad hunc locum: *Ego carnalis sum*, ait, in suâ, & hominis regenerati personâ. Falsum est Apostolum defecisse in quadam tantum perfectione legis: Nam se miserum agnoscit hominem. Defecit igitur in plurimis. Deinde lex obligat non tantum ad media, sed etiam ad finem, quæ est duplex, internus, nimirum perfecta integritas, & omnimoda Dei dilectio, 1.*Tim.*1.*v.*5. Ad hoc ipsum lex nos obstringit, *Matt.*22.*v.*37.38.39. *Luc.*10.*v.*28. *Rom.*13.*v.*8.9. Et externus, nimirum vitæ æternæ consecutio, quam qui ex lege desiderat, legem plene implere obligatur, *Matt.*19.*v.*17. *Luc.*10.*v.*28. Quisquis verò minimum præceptum violat, nullus est in regno Cælorum, *Matt.*5.*v.*29. Nam qui legem de non concupiscendo violat, ille est maledictus, *Deut.*27.*v.*26. *Gal.*3.*vers.*10. Quare sub æternæ maledictionis pœnâ nos obligat, quod in lege est scriptum. Unde Apostolus *Rom.*13. v.9. mandatum de non concupiscendo conjungit cum mandato de non mœchando; & de non occidendo, & eodem sensu habet. Ut igitur hæc obligant, ita & illud. Hæc verò obligant ad medium salutis. Ergo & illud.

33. 5. *Ab invitâ Apostoli Pauli perceptione*: Quod Apostolus Paulus,

lus sentire nolebat, & invitus sentiebat, illud legi repugnabat, & erat peccatum propriè ita dictum: Nam mens Apostoli Pauli per spiritum regenerata & lex idem volebant, *Rom. 7. v. 16. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est.* Atqui Apostolus primos concupiscentiæ motus sentire nolebat, sed invitus sentiebat Augustinus dicit serm. 5. de verb. Apost. *Quid dicis ô lex? Non concupisces, & ego nolo concupiscere, non implet legem infirmitas mea, sed legem laudat voluntas mea.* E.

34. 6. *A miseria*: Quicquid homines etiam renatos coram Deo reddit miseros, & à quo non nisi per Christum liberantur, illud propriè dictum est peccatum. Atqui concupiscentia etiam renatos coram Deo reddit miseros: Unde exclamat Apostolus, *Rom. 7. v. 24. Infelix ego homo!* Et ab ea non nisi per Christum liberantur, *Rom. 7. v. 24, 25. Quis me liberabit? Gratia Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum.* Ergo.

35. 7. *A prudentiâ carnis.* Inimicitia adversus Deum, repugnantia contra legem, & mors, hoc est mortis causa, est propriè dictum peccatum. Atqui prudentia carnis, sub quâ continetur concupiscentia est inimicitia adversus Deum, repugnantia contra legem, & mors, *Rom. 8. v. 6. Prudentia carnis mors est. Quoniam sapientia carnis inimicitia est in Deum: Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Ergo.

36. Bellarm. p. 399. *Prudentiam carnis, ait, esse peccatum non originale, sed actuale nec esse illud malum, quod est in carne sanctorum, sed esse curam, solicitudinem quandam nimiam providendi, quæ carni sunt commoda, utilia, suavia, neglectâ curâ, & solicitudine eorum, quæ ad spiritum pertinent, h. e. prudentiam carnis opinatur, non esse concupiscentiam in renatis reliquam, sed aliud quid, non renatorum proprium.*

37. Resp. 1. Tam latè se extendit prudentia carnis, quam latè se extendit concupiscentia Spiritus, *Gal. 5. v. 17. Caro concupiscit* adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem: Hæc enim sibi invicem adversantur. 2. Apostolus prudentiam carnis non omnimodè à se removet; quia se carnalem agnoscit, *Rom. 7. v. 14.* hoc est sub carnis vetustate constitutum. Negat verò se in carne esse, vel secundum carnem ambulare, hoc est, negat se affectibus carnis indulgere, & proinde prudentiam carnis non perficere, sed spiritu, ait, mortificare, & alios renatos ad hoc ipsum cohortatur, *Gal. 5. v. 24.*

38. 8. *A dictis de peccato originali*: Qui de immundo semi-

ne, atq; sic in peccatis propriè dictis concipiuntur, & nascuntur, illis semper adhæret peccatū: Tollitur quidem per Baptismum reatus personæ, & damnatio, quia baptizato concupiscentia non imputatur ad damnationem, non quasi morte concupiscentia non sit digna, sed quia Deus ob Christi meritū ex gratia non condonat; sed non tollitur reatus concupiscentiæ, & damnabilitatis. Atqui omnes omninò homines de immundo semine, atque sic in peccatis propriè dictis concipiuntur, & nascuntur, *Gen.6.v.5.cap.8.v.21. Job.14.v.4. Psal.51.v.7.12. Jer.17.v.9. Eph.2.v.3.* Ergo.

39. *A quotidianâ remissionis peccatorum petitione*: Qui quotidie petit, ita nomen Dei sanctificari, regnum Dei advenire, & Dei voluntatem impleri, ut simul debita sua sibi remittantur, is eo ipso profitetur, se nomen Dei non plenè sanctificare, nec ipsius voluntatem implere. Atqui omnes renati quotidie ita petunt, *Psal. 32.v. 6. Matt.6.* Ergo. B. Lutherus dicit Tom.2. Oper. Lat. in assert. art.2. *sola oratio Dominica non ne omnes concludit sub peccatum, dum omnibus, quamtumlibet sanctis mandat orare: sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua? Quid confitetur, qui petit fieri voluntatem Dei nisi se nondum plenè facere voluntatem Dei, ac per hoc esse inobedientem Deo: Neq; enim fictis hic verbis oratur: Hoc solo salvus, quod agnoscit, & deprecatur suam inobedientiam, ac in quantum orat, & agnoscit, tantum facit voluntatem Dei, id est, in spiritu: Sed in carne, contra quam sic orat, nondum facit. Ita qui petit sanctificari nomen Domini, nonne fatetur nomen Domini adhuc in se pollui ex parte? Quod dolens deprecatur, & impletur in eo Roman. 7. Quod nolo malum, hoc facio, quod volo bonum, non facio. Sic qui advenire regnum Dei petit, certè servum Diaboli se ex parte confitetur cum Apostolo dicens: Video aliam legem in membris meis, captivantem me in legem peccati.*

40. At Bellarminus, *inanissima*, inquit, p. 401. *est objectio. Nam sanctificari petimus nomen Dei in nobis, ut qui per Baptismum sanctificati sumus, in eo quod esse cepimus, perseveremus; cupimus advenire regnum Dei qui in præsenti vita Christo compatimur, ut in futurâ cum illo regnemus. Oramus, ut fiat voluntas Dei, in terra sicut in Cœlo, ut fideles, qui terreni adhuc sunt, per fidem voluntatem Dei faciant, sic ut eam faciunt fideles, qui cœlestes per eandem fidem esse caperunt. Deinde Christus, qui sine controversia nullum omnino peccatum habuit, oravit, ut fieret voluntas Dei. Matt.26.*

41. Resp.

42. Respond. 1. Omnes renati ita nomen Dei sanctificari, regnum Dei advenire, & voluntatem Dei fieri petunt, ut simul sua delicta agnoscant, eaque sibi dimitti orent. Ergo peccatis adhuc pollutos se esse fatentur. 2. Et Christus qui excepto peccato nobis fuit similis, in cujus ore non fuit inventus dolus, nuspiam petiit, ut sic fieret voluntas Patris, ut simul sibi delicta remitterentur. 3 Cyprianus, ad quem provocat hoc loco Bellarminus, per omnia docet idem cum Luthero: Dicit enim Cyprianus, *nos in Baptismo sanctificari cepisse*; Lutherus: Nos voluntatem Dei nondum plenè facere, nomen *Dei in nobis adhuc pollui ex parte.* Quare addit Cyprianus: Opus est nobis quotidianâ sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus delicta nostra sanctificatione assidua repurgemns. 4. Bellarminus contendens, nobis orationem Dominicam propter remissionem peccati originalis non esse necessariam, pelagianizat, & nihil dicit aliud, quam peccatum originale non esse propriè peccatum.

42. 10 Ex *Joh.15.v.2.* Nam Christus discipulos, quos dixerat esse mundos, *Johan.13.vers.*10. dicit esse palmites purgandos. Ergo docet ipsis adhuc adhærere immunditiem, & munditiem in hac vita esse imperfectam.

43: Bellarminus, *purgatio*, inquit, *in hominibus justificatis necessaria quidem est, sed propter peccata actualia, quæ quotidie suprepunt. non propter originale, quod perfectè remittitur.*

44. Respon. 1. Tollitur Baptismo peccati quidem formale, & actus, sed non reatus: Ergo purgatio semper est necessaria propter peccatum tam originale, quam actuale. 2. Propter adjacens nobis malum mundities non est perfecta. 3. Peccata actualia, sunt peccati originalis renatis inhabitantis testimonia. 4. Verè dicit Hilarius in cap. 7. Matth. Ipsis Apostoli verbo licet jam fidei emendatis, atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis docuit Dominus dicens, *si vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris.*

45. 11. *Ex Gal.5.vers.17. Caro concupiscit adversus spiritum*: In quibus caro concupiscit adversus Spiritum, in ipsorum carne habitat adhuc peccatum: Contrarioum enim contraria sunt attributa. Atqui in renatis caro concupiscit adversus Spiritum. Ergo.

45. Regerit Bellarminus. *Concupiscentia ista non est propriè peccatum, quia non est nisi in carne, quæ sedes peccati esse non potest. Verum enim peccatum non in carne, sed in mente quari debet.*

46. Resp. 1. In antecedentibus ostendimus appellatione *carnis* in ejusmodi Scripturæ dictis, intelligi naturam hominis corruptam. 2. Quare Apostolus Gal. 5. opera carnis nominat non tantum fornicationem, ebrietatem, & similia, sed etiam idololatriam, hæreses, inimiticias.

47. 12. Ex *Eph.* 4. *v.* 23. *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Quibus jubet Apostolus renovari, in illis vetustas aliqua, hoc est, peccatum supereſt. Atqui jubet renatis. Ergo.

48. 13. Excipit Bellarminus, *vetustas*, inquit, pag. 402. *in scripturis duobus modis accipitur: Primò pro peccato originis. Secundò pro malis ex peccato relictis. Et ideò potest dici homo & perfectè renovatus per lavacrum regenerationis, & renovationis spiritus S. ut dicitur ad Tit. 3. & tamen egere renovatione, & renovari de die in diem. Adde quod vetustas, & novitas dicuntur etiam in Scripturis de peccatis actualibus, & malis habitibus inde contractis; & liberatione ab iisdem.*

49. Resp. 1. Malum illud, quod ex primorum parentum peccato in nobis est reliquum, est ipsum peccatum originis. 2. Unde vetustas carnis, *Rom. 6. v. 6.* vocatur vetus homo. Et 1. *Cor.* 5. *v.* 8. fermentum vetus, cui tribuitur malitia, & nequitia. 3. Vetustas igitur illa per regenerationem esse non desinit, sed hominem reum non facit. 4. Vetustas carnis significat & naturæ pravitatem, seu peccatum originale, & ex hoc pullulans in sanctis quodvis aliud peccatum.

50. 14. Ex *Col.* 3. *v.* 5. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiem.* Ergo in renatorum membris adhuc habitat peccatum. 15. Ex *Heb.* 12. *v.* 11. Debent renati deponere omne pondus & circumstans peccatum. Ergo eo sunt polluti, 16. Ex 1. *Joh.* 1. *v.* 8. Si dixerimus, nos peccatum non habere, mendaces sumus. Ergo peccatum in renatis adhuc hæret, licet eis non imputetur.

51. Contrà Pontificii varias contra sententiam hanc Protestantium ex Scriptura confirmatam urgent ratiunculas, quarum quasdam alibi examinavimus. Attingimus hoc loco nonnullas. Primò igitur dicit Jacobus *cap.* 1. *v.* 15. *Concupiscentia cum concepit, parit peccatum. Ergo concupiscentia simplex non est peccatum. Gignens enim non est genitum.*

52. Resp.

52. Resp. 1. Per inobedientiam Adami constituti sunt peccatores multi, *Rom. 5. v. 19.* Num igitur ipse non fuit peccator? Ex ebrietate est ἀσωτία: & varia alia peccata, *Eph. 5. v. 18.* Num igitur ebrietas non est peccatum? 2. Concupiscentia parit quidem peccatum, sed actuale. Ipsa igitur non est peccatum actuale 3. Cumque pariat peccata; Ergo est & ipsa peccatum: Nam ex malitia fructus judicatur de malâ arbore: Ex cogitationibus pravis de cordis pravitate. 4. Ostendit Jacobus peccati gradus, & unde oriatur peccatum actuale: Non autem negat concupiscentiam esse peccatum.

53. Secundò, *Nihil est damnationis in his, qui sunt in Christo Jesu Rom. 8. v. 1. Ergo nec est in eis peccatum condemnatione dignum.*

54. Resp. 1. Aliud est damnabile, & aliud damnatio: Concupiscentia in renatis reliqua est damnabilis, sed non damnat, quia non imputatur. 2. Aliud est quærere de reatu, & aliud de actu: Sublatus est per Baptismum concupiscentiæ reatus, sed non ipse actus, quia non fit res digna Dei amore: vel tollitur peccati formale relatum, sed non absolutum: Seu tollitur reatus personæ, sed non concupiscentiæ.

55. Tertiò: *Omne peccatum Deus odit. Ergo si illud est in renatis, non est ipsis remissum.* sed illud Deus odit, adeòq; propter hoc ipsos renatos.

56. Resp. Odit Deus ipsam concupiscentiam propter ἀνομίαν sed non odit ipsam renatorum personam, quia ipsi non peccatum, sed meritum Christi fide apprehensum imputatur.

57. Quartam rationem desumunt ex *Rom. 7. v. 17. 18. Nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, id operatur. Scio enim quod non habitat in me, hoc est in carne meâ bonum.* Hinc inferunt. 1. Quod regenerati non operantur, & quod non est ipsorum, illud nequit ipsis adscribi tanquam peccatum damnabile. Atqui concupiscentiæ motus regenerati non operantur, nec sunt ipsorum. Ergo. 2. Quod in renatorum habitat carne, illud non est propriè dictum peccatum, quia ut ejus caro non est propriè capax, ita nec est ejus propriũ subjectum. Atqui concupiscentia habitat in renatorum carne. Ergo.

58. Resp. 1. Apostolus utrumq; de se affirmat verum non simpliciter sed secundum aliam, atque aliam considerationem. Nam *Rom. 7. v. 17.* negat se facere: *Non ego operor.* At *v. 15.* affirmat se facere: *Ego quod odi, hoc facio.* Et vers. 19. *Malum quod volo, hoc ago.* 2. Se unum igitur in duas quasi homines dividit, renatum, & non renatum, hominem novum.

vum, & veterem, adscribitque sibi uni utriusque actiones, sed secundum quid: Motus enim concupiscentiæ detestabatur ut novus homo, & spiritu mentis renovatus; Eosdem operabatur secundum carnem, quatenus adhuc erat carnalis, & vetus homo. 3. Apostolus se propter concupiscentiæ motus nominat miserum, & ab iis liberari petit. Ergo erant opus Apostoli. 4. Distinguit quidem Apostolus carnem à mente, sed ita ut appellatione *carnis* intelligat animam, & naturam totam quatenus adhuc est carnalis, corrupta, & sub carnis vetustate constituta, appellatione *mentis* animam etiam & totam naturam quarenus renovata est. 5. Nam de illa carne *Rom.* 7. loquitur Apostolus cui *Rom.* 8. *v.* 6. 7. adscribit τὸ φρόνημα. Atqui φρονεῖν competit animæ rationalis facultatibus. 6. Renati igitur adhuc indigent renovari Spiritu mentis, *Eph.* 4. *v.* 23. Appellat quidem corpus mortis. *Rom.* 6. verum non propterea quasi concupiscentia soli competat corpori, sed quia propter peccatum nobis inhabitans sumus subjecti morti. 8. Imò renatorum corpora dicuntur templa Spiritus S. 1. *Cor.* 3. & 6. Non igitur subsistit distinctio pontificia inter corpus seu carnem, & mentem.

59. Quæstio secunda: *An Concupiscentia in renatis reliqua sit venialis?*

58. Resp. Concupiscentia in renatis reliqua est quidem venialis, quia nihil damnationis his, qui sunt in Christo Jesu, *Rom.* 8. *v.* 1. Et qui spiritu facta carnis mortificant, vitam habebunt, *Rom.* 8. *v.* 13. Sed non suâ naturâ, 1. quia in se conderata est ἀνομία, & legi contraria. 2. adeòque Deus exosa. 3. Quia non debet judicari ex eo, quod extrinsecus accedit, sed ex suâ naturâ. Quod autem non imputatur, hoc est, á gratia Dei. Facit igitur eam quidem venialem, sed non facit ex peccato non peccatum, quia naturam ejus immutaret. Quæ de re agemus ex professo in Disput. subsequente.

Finis Disputationis XLVI.

DISPUTATIO XLVII.

DE PECCATO ACTVALI, EIVSQVE DIstinctione in mortale, & veniale

Resp. Theodoro Costero Susatense-Westphalo

THESIS I.

PECCATUM originale, in quo omnes concipimur, & cum quo omnes nascimur, non est otiosum, sed operosum. Cassiodorus in Psal.118. dicit: *originalis culpa nos semper trahit ad vitia.* Est enim instar radicis germinantis fel, & amaritudinem, *Deut.29. vers.* 18. *Heb.12. v.15.* Est instar venenati fontis., *Jer.6. v.7.* Est instar malæ arboris, *Matt.7. v.17. Luc.6. v.* 43. Quare sicut ex illa radice est fel, & amaritudo; sicut ex venenato fonte scaturiunt aquæ venenatæ; sicut à mala arbore fructus sunt mali: ita etiam innata malitia, seu peccatum originale innumera producit peccata actualia. Christus dicit *Matt.12. v.34.35. Progenies vituperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Malus homo de malo thesauro profert mala. Cap.15. v.19. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia Blasphemiæ.*

SENTENTIA PROTESTANTIUM

2. Peccatum igitur actuale sunt fructus vitiatæ naturæ. Augustinus lib.22. contra Faustum manch. peccatum actuale definit *factum dictum, vel concupitum contra legem Dei.* Definimus his verbis: *Peccatum actuale est ἀνομία, quâ actus hominis interiores & exteriores à carne profecti bonum omittunt, & malum faciunt cum reatu temporalium, & æternarum pœnarum.*

3. Duo concurrunt in peccato actuali, materiale, & formale, sive actus, & ἀταξία actionis. Dicitur igitur peccatum actuale ab actu qui semper eum insequitur: Non enim est fomes torpidus, & mortuus sed activus, & vividus. Inde *Gen.6. & 8.* figmentum cordis humani

non dicitur intentum, & pronum ad malum, sed tantummodo malum; non plærisque diebus, sed omnibus diebus: non tantum ab adolescentia, & senectute, sed ab infantia ubi nondum est usus rationis מִבַּעֲרִין hoc est, ab eâ ætate ubi infans planè stolido est similis, ut innuit alluſio linguæ germanicæ. Itaq; vocabulum actus sumitur hoc loco vel generaliter, vel metonimycè pro eo, quod ineſt actui.

4. Calumniatorem agit Bellarminus noſtros Theologos insimulans quasi confundant peccatum originale cum actuali, eò quod illud nominant operoſum, & negotioſum. Nam contra Scholasticos nonnullos oſteudunt, non esſe illud mortuum sed vivum. Itaque distinguunt inter hoc, & illud tanquam inter causam & effectum.

5. Distinctionem peccati originalis, & actualis accuratè notavit Dn. Chemnitius, ut in Disp. præcedente & parte notavimus: *Potest hæc differentia*, inquit, *clariùs adhuc intelligi, ex illa distributione graduum in peccatis, quæ à veteribus tradita est. 1. Fomes, sive depravatio inhærens, quæ complectitur etiam defectus. 2. Suggestiones cogitationum, & effectuum, id est, quando depravatio originalis movet se aliqua inclinatione. 3. Delectatio. 4. Consensus. 5. Ipsum opus. Ex his gradibus primi duo pertinent ad originale, reliqui tres ad actuale peccatum.* Itaque & ipsa concupiscentia est peccatum originale, & actuale: Est originale quatenus significat pravos motus, ad quos non accedit consensus: Est actuale quando consensus machinatio, & ejus rei persecutio, ad quam pravi solicitant motus, accedunt.

6. *Causa efficiens* peccati actualis est cor depravatum, ex quo egrediuntur cogitationes malæ, *Matt. 15. v. 19.* Vel concupiscentia, quæ quando concepit parit peccatum nimirum actuale *Jac. 1.*

7. *Norma*, quâ prohibetur, & secundum quam de eo fit, atq; judiciũ quæ voluntatem Dei exprimit, est lex divina. *Forma* est particularis ipsius actus à lege Dei deflexio. *Effectus* est obligatio ad pœnam temporalem, & æternam, nisi facta fuerit remissio propter Christum Mediatorem.

8. Divisiones peccati actualis sunt variæ. 1. *peccatum aliud est commissionis*, quod censetur esse notissimum, *& aliud omissionis. Peccatum commissionis est*, quando committimus illud, quod prohibitum est lege Dei. Seu est cogitatum dictum & factum contra legem Dei: Illud hæret in corde; Istud fit ore; hoc externo perficitur opere. *Peccatum omissionis*

omissionis est, quando, quæ Deus nos facere suo verbo præcepit, non facimus. Dicitur & hoc peccatum actuale vel in latiore significatione in quâ id omne actuale vocatur, quod peccato originis contradistinguitur. Vel licet formaliter sit negatio debiti actus voluntaria, tamen moraliter loquendo semper actus concurrere solent, & quidem vel interiores, ut velle omittere, vel exteriores, quæ sunt causa, & occasio omissionis.

9. 2. *Est voluntarium, vel involuntarium. Peccatum voluntarium est*, quod quis ἑκουσίως committit *Peccatum involuntarium est*, quod quis ἀκουσίως committit, & quidem per ignorantiam, & imprudentiam, *Lev.* 4. *v.* 2. *Num.* 15. *v.* 24. vel per infirmitatem, *Rom.* 7. *v.* 15. 16. vel per coactionem, & violentiam, 1. *Mac.* 2. v. 25.

10. 3. *Quædam versantur in animâ potissimum*, & sunt cordis, ut dubitationes de Deo, & hæreses; *Quædam oris, & operis, & magis corpus inficiunt*, ut scortatio, gula: Illa dicuntur spiritualia, & interiora; hæc carnalia, & exteriora.

11. 4. *Peccatum est vel proprium, vel alienum, sed nobis communicatum. Proprium est* quod quilibet pro se committit; *Peccatum alienum est*, quod quis alius committit, sed nobis communicatur.

12. 5. *Alia sunt peccata tantum, alia causæ & pœnæ peccatorum simul*, quæ in se, quidditativè, & formaliter sunt peccata; sed sunt pœnæ peccati alterius, & quidem propter extrinsecam rationem, cujusmodi est gratiæ divinæ desertio, Spiritus S. excussio, conscientiæ contristatio, confer Lombardum lib. 2. dist. 36.

13. 6. *Peccatum vel est in Filium, vel in Spiritum S. Peccatum in Filium* est doctrinæ de Christo hostilis oppugnatio, & blasphematio ex ignorantia vel zelo proficiscens veritate non plenè cognita. *Peccatum in spiritum S.* est veritatis sufficienter agnitæ prorsus voluntaria & malitiosa ex destinato proposito orta ab negatio, hostilis oppugnatio, & exsecratio, omniumque salutis mediorum objectio. Itaque est illud remissibile; hoc irremissibile, *Matt.* 12. *v.* 32. *Mar.* 3. *v.* 28. *Luc.* 12. *v.* 10. *Heb*, 6. *v.* 10. *c.* 10. *v.* 26.

14. 7. *Peccatum est vel in proprium corpus*, ut scortatio; *vel extraillud*, ut alia flagitia, 1. *Cor.* 6. *v.* 18. Peccatum committitur vel in Deum, vel in proximum, vel in se ipsum. 1. *Sam.* 2. *v.* 26. *Matt.* 22. *v.* 37. 38. 39. *Matt.* 18. *v.* 15. Illud committitur in Deum ἀμέσως hæc ἐμμέσως, *Num.*

5. *verſ.* 6. 2. *Sam.* 12. *verſ.* 13. 9. Quædam peccata ſunt occulta quædam manifeſta, quædam abſque induratione, quædam cum hac conjuncta.

15. 10. Hoc loco potiſſimum conſideranda venit diſtinctio peccati reſpectu perſonarum peccantium, *& eſt mortale, vel veniale.* Alii malunt nominare ex Rom. 6. regnans, & non regnans; ſed 1. cum termini hi ſunt uſu recepti 2. & illa diſtinctio accuratè loquendo ſic peccati originalis, quod in corpore regnat, vel non regnat, ſed mortificatur. 3. Cumque *Roman.* 6. Apoſtolus peccatum originale intelligat. 4. Et cum appellatio peccati mortalis Scripturæ ſit conſentanea, *Roman.* 1. *v.* 32. *Cap.* 7. *verſ.* 5. *Jac.* 1. *v.* 15. Ideò diſtinctionem hanc peccati dextrè intellectam non prorſus abjicimus, licet non diffiteamur commodiora adhiberi poſſe vocabula.

17. *Peccatum lethale, ſeu mortale*, ſive mortiferum eſt in quo planè regnat, ſeu dominatur caro. Homo igitur deſideriis carnis in peccato lethali morem gerit. Renati igitur illud patrantes excutiunt fidem, & gratiam Spiritus S.

17. *Peccatum veniale* eſt peccatum infirmitatis, & ignorantiæ in renatis, cui reſiſtunt per Spiritum ne deſideria carnis perficiantur. Vel peccata venialia ſunt infirmitates, & affectus vitioſi pullulantes, quibus ſancti non aſſentiuntur, ſed repugnant, & quas ſibi non imputari, ſed condonari propter Chriſtum petunt; *Roman.* 7. *verſic.* 24. 25. *Capit.* 8. *verſ.* 13. *Gal.* 5. *verſ.* 16. 17. 18. Venia igitur ipſis ex gratia Dei propter Chriſtum datur, nec Spiritum S. excutiunt.

18. Diſcrimen verò & differentia, quæ eſt inter peccatum mortale, & veniale non ſumitur à peccati levitate, & gravitate, ſeu non ſumitur ex peccati natura ex lege conſiderati. Omnia enim peccata ex ſuâ naturâ, & *νομικῶς* conſiderata ſunt mortalia, *Deut* 17. *verſ.* 27. *Gal.* 3. *verſ.* 10. *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. EZech.* 18. *verſ.* 4. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur, Roman.* 6. *v.* 23. *Stipendium peccati mors cap.* 8. *verſ.* 31. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*; Sed diſtinguitur peccatum veniale à mortali reſpectu perſonæ peccantis: Hæc enim cum ſit renata peccati prædominium cohibet. itaque ipſi non imputatur. Itaque licet in renatis ſit mortale non tamen eſt mortiferum. *Rom.* 8. *v.* 1. Itaq; non *νομικῶς*, ſed *εὐαγγελικῶς* peccatum eſt veniale.

SEN-

SENTENTIA PONTIFICIORUM

19. Peccatum veniale ex naturâ suâ distinguitur à mortali, ac sine ulla relatione vel ad Prædestinationem, vel ad misericordiam Dei, vel ad statum renatorum est ejusmodi ut pœnam quidem mereatur, sed non æternam, & Deum offendat, non usq; ad amicitia dissolutionem. *Bellarminus lib. 1. de amiss. grat. c. 9.*

20. Vel: *ejusmodi sunt levia & minuta quædam peccata, in quæ quotidie labimur, tu tamen nec nos sordidos, nec Deo exosos reddant.* Censura Colonienſis pag. 186.

21. Singula peccata venialia etiam in statu naturæ corruptæ vitari possunt, Ludovicus Molina de Libro arbitrio. quæst. 14. art. 13.

22. Regula optima ad discernendum inter pecata mortalia, & venialia continetur in primis judicio prorum, & sapientum, ut scilicet id peccatum mortale reputetur, & id veniale quod pro tali dicitur ab his, qui & eruditione, & probitate sunt præditi, *Gregorius de Valentia* Tom. 2. Disp. 6. quæst. 18.

23. Eluuntur venialia peccata purgatorio, aquâ, oleo, pane, cereis, cineribus, ramis, aliisque rebus benedictione consecratis. *Bellarminus lib. 1. de amiss grat. c. 9. Et lib 3. de cultu Sanct. c. 7.*

24. Christianus, qui contra conscientiæ dictamen in leges fidei peccat, nec fidem amittit, nec desinit esse Christianus, *Costerus in Enchirid.*

STATUS CONTROVERSIÆ

25. Quare potest status controversiæ paucis comprehendi vocabulis, nimirum, *an omnia peccata ex suâ naturâ sint mortalia, & æternam damnationem promereantur; Et nullum sit adeò leve & minutum, quod vel ex suo genere, vel ex operis imperfectione sit veniale, & venia dignum?* Nos utrumque affirmamus; Pontificii utrumque negant. Melioris verò cognitionis ergò & alias subjungemus quæstiones, utpote num in statu corrupto peccatum veniale vitari possit? Quæ sit regula & norma peccatorum judicandorum? Quomodo peccata venialia eluantur? Annón peccata fidem excutiant?

26. Quæstio prima: *Vtrum discrimen peccati in mortale & veniale ex distinctione hominum peccantium; An verò ex ipsius peccati naturâ sit petendum?*

27. R. Opinantur Scholastici, & Pontificii, peccata quædam suâ

natura esse venialia, quæ propriè non sint contra legem, sed præter legem. Lombardus scribit lib. 2. sent. dist. 42. lit. E. *Si peccatum mortale est, obligat nos pœnæ æternæ: Si veniale, obligat nos pœnæ temporali. Duo enim sunt genera peccatorum, mortalium scilicet & venialium. Mortale est per quod homo mortem æternam meretur. Crimen enim ut ait Augustinus est, quod est dignum accusatione, & damnatione. Veniale autem quod hominem usque in reatum perpetuæ mortis non gravat, veruntamen pœnam meretur, sed facile indulgetur.* Thomas dicit 1. 2. quæst. 77. Art. 8. ad 1. *Veniale dicitur. Vno modo ex causa, quia scilicet habet aliquam causam veniale, quæ diminuit peccatum, & sic peccatum ex infirmitate dicitur veniale. Alio modo ex eventu sicut omne peccatum per pœnitentiam fit veniale, id est, veniam consequitur. Tertio modo dicitur veniale ex genere, sicut verbum otiosum, & hoc solùm veniale opponitur mortali.* Adamus Tannerus in 1. 2. 5. Thom. Disp. 2. p. 294. t. 59. *De fide*, inquit, *certum est, esse quædam peccata, quæ ex se pœnam æternam non mereantur, adeòq; natura suâ venialia, ut non modo certa, & communis SS. Patrum & Scholasticorum doctrina habet, sed etiam ab Ecclesiâ sæpius definitum, ex Scriptura satis apertè colligitur.* Bellarminus libr. 1. de amiss. grat. cap. 3. ut status causæ facilius possit intelligi præmittendas censet partitiones quasdam peccati venialis. *Prima partitio*, inquit, *est trimembris. Peccata venialia dicuntur à causa, ab eventu, ex naturâ & ratione peccati*, de quibus, ait, esse quæstionem. Dividit ea in duo genera: *Alia dicuntur venialia ex genere suo, alia ex imperfectione operis. Venialia ex genere suo dicuntur ea, quæ habent pro objecto rem malam, & inordinatam, sed quæ charitati Dei, vel proximi non repugnet, quale est verbum otiosum, risus nimius, & alia id genus. Et his contraria sunt peccata mortalia ex genere suo, ut perjurium, adulterium. &c. Venialia ex imperfectione operis ea sunt, quæ tametsi ex genere suo mortalia esse possunt, tamen ob imperfectionem operis venialia efficiuntur, quia videlicet sola imperfectio operis facit, ut cum charitate non pugnare judicentur. Hæc rursus dicuntur venialia vel ex subreptione, vel ex parvitate materiæ. Ex subreptione dicuntur ea, quæ non sunt perfectè voluntaria, quales sunt subiti motus cupiditatis, iræ, invidentiæ, &c. Ex materiæ parvitate dicuntur ea, quæ in re parva, ac levi committuntur, quale est furtum unius oboli, quod neq; proximum notabiliter ladit, neq; ejusmodi est, ut apud æquos homines amicitiam tollere queat.* Statuunt igitur Pontificii, peccatum veniale suâ naturâ distingui à mortali sine ullâ relatione ad Dei misericordiam, & statum renatorum, & mereri quidem

dem pœnam, sed non æternam; & offendere Deum, sed non usq; ad amicitiæ dissolutionem, videatur Bellar. lib.c.9.

28. *Plusquam Pharisaicam hanc Scholasticorum, & Pontificiorum opinionem, quæ peccata extenuat, legem Dei depravat, cum Evangelio confundit, propriæ justitiæ patrocinatur, & in Christi sanguinem à peccatis nos solum mundantem est injuriosa, damnat, ipsiq; seriò adversantur Protestantes, docentes,* in non renatis nulla esse peccata venialia, sed omnia mortalia; In renatis verò esse peccata infirmitatis, quæ venialia dicuntur non ob suam exilitatem, non per se, & ex natura ipsius actus, sed ex conditione personæ delinquentis. B. Lutherus scribit super Gal.5. *Peccatum mortale, & veniale distinguuntur non penes substantiam, seu juxta differentiam peccatorum admissorum, sed penes personam, seu propter differentiam admittentium.* Et Tom. 1. Oper. Lat. p. 305. *Nullum peccatum*, inquit, *suâ naturâ veniale est, sed omnia damnabilia: Quod autem venialia sunt, hoc gratiæ Dei tribuendum est.* Notationis igitur ratio peccatorum *venialium* petitur 1. ab intercessione Christi ad dexteram Patris sedentis, & pro nobis interpellantis. *Rom.8. v.34.* 2. à misericordia Patris ob intercessionem Filii delicta condonantis. 3. A remissionis petitione: Sancti enim in precibus suis indesinenter orant: *Dimitte nobis debita nostra.* Itaque peccata venialia sunt justo dicit Cassianus. 4. A subitaneâ pœnitentiâ sanctorum ob malas cogitationes dolentium, ipsisque repugnantium, *Proverb. 24. v.16. Septies cadit in die justus, & resurgit. Impii autem corruent in malum.*

29. Confirmamus sententiam hanc 1. ex locis *Deut. 27. v.26. Gal. 3. v.10. Maledictus, qui non permanserit* in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis: *Rom. 6. v. 23. Stipendium peccati mors Ezech. 18. v. 4. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Quodcunque Deum graviter offendit, & propterea sub pœna maledictionis temporalis, & æternæ à lege prohibetur, illud suâ natura est mortale & damnabile peccatum. Atqui omne peccatum, & sic etiam peccatum veniale Deum graviter offendit, & propterea sub pœna maledictionis temporalis, & æternæ à lege prohibetur. Ergo.

30. Excipit Bellarminus lib.1.c.12.pag.105. Non *negamus*, inquiens, *peccata venialia absolutè peccata, & iniquitates atq; offensas dici posse: Sed dicimus vocabula ista non univocè peccatis mortalibus, & venialibus convenire & idcirco non esse ex solis his vocibus de rebus ipsis pronunciandum, sed oportere*

ex adjunctis antecedentibus, & sequentibus judicare. Illustrat exemplis: Ens non univocè dicitur de Deo, & rebus creatis, neq; de substantia, & accidente.

31. Resp. 1. Quamvis peccata differant inter se gradibus, tamen omnia suâ naturâ, & in se sunt peccata mortalia, quia omnia merentur mortem. 2. Non ex sola appellatione, sed ex antecedentibus & consequentibus judicium faciendum esse, damus. Ex adjunctis verò quædam peccata suâ naturâ venialia judicari negamus, quia adjuncta sequuntur rem, & præter essentiam accedunt. 3. Universa peccata de ipsa definitione peccati æqualiter participant: Sunt enim omnia ἀνομία. Ergo licet unum sit majus, quam alterum peccatum, non tamen magis est peccatum, quàm alterum. 4. Exemploigitur allata sunt à quæstione aliena: Quis enim dixerit peccatum mortale sustinere veniale, ut substa ntia sustinet accidens, & hoc illi inest?

32. Pergit Bellarminus, *In locis in argumento allatis, inquiens, non de peccatis in universum, sed de solis mortalibus agitur, quia si scriptura illa peccata venialia comprehenderent, sequeretur homines justos ob sola peccata venialia non solùm excidere posse à vitâ gratiæ, sed etiam reipsa excidere. Non enim Scripturæ illæ dicunt, animam, quæ peccaverit, posse mori; Sed planè mori. Igitur loca illa non de venialibus delictis, sed de criminibus tantum accipienda sunt.*

33. Resp. 1. Exciderent gratiâ Dei, & æternum perirent, nisi statim pœnitentiam agerent, & ipsis peccata propter Christum remitterentur. 2. Causa igitur quod renati causam maledictionis æternæ non statim incurrant, non est peccati levitas, sed misericordia Dei propter satisfactionem Filii peccata condonantis. 3. Itaque hoc sequitur, nullum omninò hominem ex lege justificari, cum hæc etiam renatorum mininos defectus accuset, & damnet, sed tantum ex Evangelio, quod docet non imputari ipsis delicta, sed meritum Christi fide apprehensum. 4. Atque hoc est, quod dicit Apostolus, *Rom. 3. vers. 31. Legem ergò destruimus per fidem? Absit: Sed legem stabilimus*, hoc est, Evangelium docet, legem per Christum esse impletam.

34. *Pergit Bellarminus ostendere ex singulorum locorum adjunctis, præcedentibus vel sequentibus; loca illa loqui non de omnibus delictis, sed tantum de criminibus mortalibus, quia maledictio illa Deuteronomii refertur ad idololatriam, incestum, homicidia, & similia, quæ consensu omnium crimina sunt, ac peccata lethalia, &c.*

35. Resp.

35. Resp. 1. Sententia maledictionis *Deut. 27. v. 26.* est generalis: *maledictus OMNIS, qui non permanserit in omnibus.* Itaque non pertinet ad illa tantum undecim crimina, quæ eo in loco recensentur. Unde Apostolus omisso pronomine demonstrativo, *hujus* quod urget Bellarminus, dicit absolutè *Gal. 3. vers. 10. Quæ scripta sunt in libro legis.* 2. Renati propter inhabitans peccatum morti temporali sunt obnoxii. Ergo & hi à regula Apostoli, *Rom. 6. v. 23.* non sunt exempti. 3. Quod vero quædam peccata renatos æternæ maledictioni non addicant, ejus rei causam dedimus: Non enim ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum, & opera carnis secundum Spiritum mortificant, sunt que fide in Christo, *Rom. 8. v. 1.*

36. 2. *A definitione peccati, ejusq; propria naturâ:* Cuicunque competit propria peccati definitio, illi etiam propria ejus competit natura, nimirum sua naturâ damnabile esse, graviter Deum offendere, ad severam vindictam provocare, reum mortis facere, *Exod. 20. Deut. 27. Gal. 3. Rom. 6.* Jacob. 2. Atqui peccato involuntario Renatis adhærenti, & quod Pontificii suâ naturâ nominant peccatum veniale, competit, ut proprium peccati nomen, ita & propria ejus definitio 1. *Joh. 1. v. 8. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, decipimus nos ipsos. Matt. 6. v. 12. Dimitte nobis debita nostra. Luc. 11. v. 3. Dimitte nobis peccata nostra. Psal. 32. v. 6. Pro peccatorum remissione orabit omnis sanctus. Jac. 3. v. 2. In multis offendimus omnes.* Ergo.

37. 3. *A propriis peccati effectis:* Cuicunque competunt propria peccati mortalis effecta, illud suâ naturâ est peccatum mortale. Atqui peccato involuntario, seu quod suâ naturâ Pontificii dicunt esse veniale, competunt propria peccati mortalis effecta, *Psal. 130. vers. 3. Si iniquitates observare volueris, Domine quis sustinebit? Psal. 143. v. 2. Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens Psal. 19. v. 13. Ab occultis meis munda me. Esai. 64. v. 6. Omnes nostræ justitiæ sunt instar panni mulieris menstruatæ Exod. 34. v. 7. Coram Deo nemo est innocens. Job. 15. vers. 14. Quid est homo, ut sit immaculatus coram Deo? Matt. 15. v. 19. Ex corde exeunt cogitationes malæ, quæ impurum reddunt hominem.* Ergo. Deinde ex iisdem locis ita argumentamur: Quicquid nobis remittitur ex gratia, illud non remittitur nobis ob levitatem. Atqui peccata remittuntur nobis ex gratia. Ergo.

38. 4. Ex loco *Jacob. 2. v. 10. Qui offenderit in uno, factus est omni-*

am reus. At qui veniale peccatum committit, peccat saltem in uno. Ergo omnium reus tenetur, & quidem ob unum præceptorum Decalogi authorem Deum, qui est simplicissimus, & indivisibilis: Et per consequens peccatum committit mortale.

39. *Obtendit Bellarminus, explicat satis apertè*, inquiens, *de criminalibus, se loqui, quæ propriè, & perfectè sunt contra legem. Sic enim subjungit continuò: Qui dixit non mœchaberis, dixit, & non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

40 Resp. 1. De tota agit Jacobus lege. Licet igitur adulterium, & cædem tantum nominet, reliqua tamen præcepta non excludit sed simul intelligit, adeòque etiam præceptum de concupiscentia. 2. Docet id ratio Apostoli ab authore legis Deo desumpta: Deus enim omnium præceptorum est author. Ergo qui unum præceptum transgreditur, tam peccat contrâ Deum, quàm qui transgreditur omnia. Mortaliter igitur peccat. 3. Quare dicit *cap. 3. v. 2. In multis offendimus omnes.*

41. 5. Ex *Matt. 5. v. 18. 19. Amen dico vobis donec transeat Cœlum & terra, jota unum, aut apex unus non præteribit de lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines minimus erit in regno Cœlorum.* Quodcunque verò Christus tanquam Pharisaicam legis depravationem repudiat, illud à veris meritò improbatur Christianis. Atqui Christus opinionem, quâ peccata quædam suâ naturâ finguntur venialia tanquam pharisaicam legis depravationem repudiat. Ergo. Deinde minimorum peccatorum transgressio excludit è regno Cœlorum. Ergo quodlibet peccatum suâ naturâ est mortale. Nominat verò Christus *præcepta minima* quadam μιμήσει, quia Pharisæi fingebant, quædam præcepta esse minima, & facilima respectu suarum traditionum, quas perfectiores prædicabant, quod objicit ipsis Christus. *Matt. 15.*

42. 6. Ex *Matt. 12. v. 35. Dico vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii:* Cujus peccati rationem à renatis Deus in judicio extremo jure requirere posset, & à non renatis revera requiret, illud suâ natura non est veniale, sed mortale. Atqui de omni verbo otioso, quod Bellarminus lib. 1. de amiss. grat. cap. 3. venialibus peccatis annumerat Deus in judicio extremo

remo à renatis jure requirere rationem posset, & à non renatis requiret. Ergo.

43. 7. *A Dei justitia*: Quocunque læditur æterna, immota, & infinita Dei justitia in lege revelata, illud suâ naturâ est peccatum mortale. Atqui ea læditur peccato etiam veniali. Ergo.

44. Quamobrem falsissimum est, quod dixit Bellarminus peccatum non dici veniale relatione ad misericordiam Dei. Nam *misericordia Dei, quod non consumpti sumus, Thren. 3. v. 22.* Nec relatione ad statum renatorum. Nam quicquid est extra fidem, peccatum est, *Rom. 14. v. 24. Et sine fide impossibile est placere Deo, Heb. 11. v. 6.*

45. Verum Bellarminus quædam Scripturæ loca mirè depravat ut ex iis ostendat, peccatum quoddam suâ naturâ esse veniale. Primam objectionem sumit ex *Matt. 5. v. 22. Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: Qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hoc loco non discutit Dominus, inquit Bellarminus, quid possit, aut velit divina misericordia; Sed res ipsas dijudicat, & peccatorum mensuras. Facit autem tres gradus iracundiæ UNUM ejus, quæ ita levis est, ut invocem nullam erumpat: ALTERUM ejus, quæ Paulò gravior est, non tamen pervenit usque ad apertum convicium; TERTIUM ejus, quæ gravissima est, & manifestum convitium parit. Ex his, ait, conficitur argumentum ejusmodi: *Manifestum convitium facit reum gehennæ ignis, ac per hoc est peccatum mortale. Iracundia sono vocis expressa, sed ad malum convicii non pertingens, facit reum concilii, id est, non constat, an mereatur gehennam, sed aut eâ pœnâ, aut minore digna est. Inveniuntur igitur peccata quædam, quæ leviora sunt, quam ut gehennam ignis mereantur.* Vel ita: Manifestum duntaxat crimen, & convitium meretur gehennam ignis. Ergo occulta ira suâ naturâ est venialis.

46. Resp. 1. Sacræ literæ docent iram esse opus carnis, & additur, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, referturq; ad hominem non novum, sed veterem, *Eccl. 7. v. 10. Gal. 5. v. 30. Col. 3. v. 8. 1. Tim. 2. v. 8. Jac. 1. v. 19. 20. 1. Joh. 3. v. 15. 2. Stipendium peccati est mors, Rom. 6. v. 23.* Ergo & iræ.

47. 3. Contrariatur depravatio illa Pontificia scopo Christi qui est *Matt. 5.* à corruptelis Pharisæorum legem vindicare, & verum ejus sensum inculcare. Nam Pharisæi videntes à se minutissima quæ-

que legis obſervari non poſſe, nimirum ea, quæ de rectitudine omnium interiorum virium,& integritate præcipiunt; ideò finxerunt, præcepta quædam eſſe minima, quædam magna, horum obſervationem neceſſariam quidem eſſe ad conſequendam vitam æternam; Sed non ſtrictè illorum, cum agant de rebus parvi momenti. Hiſce Phariſaicis depravationibus ſeſe opponens Chriſtus docet, neminem poſſe per juſtitiam Phariſæorum intrare in regnum Cœlorum, eò quod non ſit abundans *v.*20.& ſolvat minima præcepta: Illum autem qui ſolvat unum ex minimis, eſſe in regno Cœlorum minimum h. e. nullum. *In Cœlo enim nil erit niſi magnum* dicit Auguſtinus.

48. 4. Declarat verò generalem hanc reſponſionem *v.*21.22. in ſpecie per aliquot præcepta. Tres verò tradit gradus peccatorum, & totidem gradus pœnarum. Primus gradu speccatorum circa quintum præceptum eſt *ira occulta ſed tamen temeraria*: Qui iraſcitur *fratri ſuo temerè*. Secundus gradus ponitur in medio inter affectus interiores, & manifeſta convitia. Notat igitur *irati, ac malevoli animi affectus, & ſigna*, notaturq; appellatione, quæ tunc temporis abſq; dubio in omniũ erat ore: *Qui dixerit fratri ſuo Racha*. Tertius gradus eſt *manifeſtum convitium*. His tot reſpondent gradus pœnarum: Nam primus eſt dignus *judicio* ſecundus *concilio*, tertius *gehennâ ignis*. Declarat verò Chriſtus judicium Dei vocabulis, quæ in Politiâ Moſaicâ erant uſitatâ. & notiſſima. Nam in judicio ſedebant triumviri ſententiam de cauſis manifeſti juris, utpote de pœna homicidii ferentes; In qualibet civitate erat parvum ſynedrium conſtans 23. judicibus qui de cauſis, quæ aliquid habebant controverſiæ pronunciabant; Hieroſolymis erat ſummum judicium ſeu Synedrium magnum, ſive concilium conſtans 72. judicibus, qui de ſũmmis cauſis cognoſcebant. Significantur igitur vocabulis concilii judicii, & Gehennæ pœnæ capitales, quæ pro ratione delictorum exaſperabantur. Chriſtus hæc ab uſu civili transferens ad judicium Dei docet, ſicut omnia peccata non ſunt paria, ita nec æquales omnes fore pœnas, licet omnia, etiam quæ minutiſſima cenſebantur, à Phariſæis ſint obnoxia judicio æternæ damnationis, niſi facta fuerit remiſſio. Nam qui ſolverit unum ex minimis, minimus vocabitur in regno Cœlorum. Deinde cui Phariſæi aſſignabunt pœnam judicii, ille mortaliter peccabat. Aſſignat verò eam Chriſtus iraſcenti. Ergo. Deniq; cum quo Deus in judicium ſuum ingreditur, ille non juſtificatur,

Pſal.

*Psal.*143.*v.*2. Idq; ipse clarè exponit Christus *v.*25. cum inquit. *Tradetur talis homo judici, judex tradet illum tortori:* Et *Luc.*12.*v.*58. *Conjicietur in carcerem, unde non exibit, donec solverit extremum quadrantem.*

49. Objectio secunda: *Quæ peccata sunt exigua instar culicis, quædam gravia instar elephanti, Matt.*23.*v.*44. *Quædam igitur sunt venialia quædam mortalia*

50. Resp. 1. Taxat Christus Pharisæorum hypocrisin, qui in minutissimis, & ceremonialibus videri volebant conscientiosi, & securè negligebant moralia. 2. Peccata alia esse leviora, alia graviora, atq; ita differre gradibus extra dubium est. Ostendendum erat, esse quædam suâ naturâ venialia.

51. Objectio tertia: *Christus quædam peccata ita extenuat, ut ea cum festuca re levissima conferat, Luc.*6.*v.*11. *Ergo quædam tam sunt levia ut mortem æternam non mereantur.*

52. Resp. 1. Non extenuat Christus peccata, sed reprehendit hypocritas, qui aliorum errata vocatione non postulante perstringunt non animadvertentes, quod mortali crimine sint obnoxii. 2. Festuca & trabs veluti differunt, non natura, sed quantitate, ita etiam peccata levia, & grauia.

53. Objectio quarta: *Quædam peccata sunt ita minuta, ut non damnent, sed ut pro iis sit faciēdū in Purgatorio, Luc.*12.*v.*59. *E. suâ naturâ sunt venialia.*

54. R. 1. Loquitur Christus de inimicitiis, & litibus componendis. Hæ verò sunt peccatum mortale, *Gal.*5.*v.*20. 1. *Joh.*3.*v.*5. 2. Conjici homo iste jubetur non in purgatorium, sed in carcerem, *Matt.*5.*v.*25. Et quidem ab irato judice, ut tradatur exactori, h. e. Diabolo. Denotat igitur carceres infernum. 3. Particula donec non semper significat terminum sed sæpe perpetuam continuationem.

55. Quæstio secunda. *An peccata venialia in statu corrupto vitari possint?*

56. R. Ludovicus Molina societatis Jesu de libero arbitrio quæst. 14. Art. 13. Disp. peccata venialia in statu naturæ corruptæ vitari posse Imò Disp. 20. asserit lethalia etiā peccata vitari posse, licet nō omnia.

57. Verè autem dicit Lactantius Divin. Inst. lib. 6. cap. 13. p. 365. *Nemo esse sine delicto potest, quamdiu indumento carnis oneratus est. Cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati factis, dictis, & cogitationibus.*

58. Consentit id cū scriptura, 1. *Reg.*8.*v.*46. *Par.*6.*v.*36. *Nō est homo, qui*

peccat. Proverb. 20. v. 9. Quis potest dicere, *mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Gen. 6. v. 5. *Omne figmentum cogitationum cordis humani tantum malum omni die.* Rom. 7. v. 15. *Non quod volo bonum hoc ago: Sed quod odi, malum, illud facio* v. 16. *Quod nolo, illud facio.* Vers. 18. *Velle adjacet mihi: Perficere autem bonum non invenio.* 1. Johan. 1. vers. 8. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis.*

59. Quæstio tertia: *Quanam sit regula, & norma dijudicandorum, & discernendorum peccatorum?*

60. Resp. Gregorius de Valentia Tom. 2. Disp. 6. quæst. 18. pag. 842. dicit: *Regula optima ad discernendum inter peccata mortalia, & venialia continetur inprimis judicio proborum, & sapientum: ut scilicet id peccatum mortale reputetur, & id veniale, quod pro tali ducitur ab his, qui & eruditione, & probitate sunt præditi.* Binsfeldius in Enchir. Theol. Pastor. pag. 193. *Si Doctores Ecclesiæ, inquit, & pii viri unanimi consensu docent aliquid esse mortale, pro mortali habendum est: Si veniale, pro venali judicandum: Si verò dissentiunt, & dubitant in aliquo, securior pars in conscientiâ eligenda est: Securior autem pars est, agnoscere culpam, ubi non est.* Addit Andradius lib. 5. *Non minoris criminis reus est, inquiens, qui Ecclesiasticas leges violaverit, quàm si Christi ore editæ fuissent illæ, ac promulgatæ.*

61. Verum Ambrosius dicit lib. 9. Epist. 71. *Lata lex est primum ut excusationem tolleret, ne quis diceret, peccatum nescivi, quia præscriptum non erat, quid caverem: Deinde ut omnes subditos faceret Deo cognitione peccati:* Idem super caput septimum Lucæ: *Si lex non fuisset, peccatum lateret: Per legem genera peccatorum, prævaricationisq; crimen agnosco.*

62. Docet id Ambrosius non ex suo cerebro, sed ex sacris literis, Esai. 8. v. 20. *Ad legem, & ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Rom. 3. v. 20. *Per legem agnitio peccati.* Rom. 7. v. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.*

63. Quod Pontificii mandata humana, & inprimis Pontificis Romani, ejusq; satellitum nominant peccata mortalia, mirum non est cum traditiones suas sacris literis vel præferant, vel æquiparent. Verum refutatur impietas hæc aperta Scriptura, Deut. 11. v. 1. *Ama Dominum Deum tuum, & observa præcepta ejus, & cæremonias, judicia, atq; mandata omni tempore.* Eccl. 12. v. 15. *Summa rei est his omnibus auditis: Deum ipsum reverere, & præcepta ejus observa, quia hoc est totum hominis.* Mat. 15. v. 3.

Quare

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Mar. 7. v. 7. 8. In vanum me colunt docentes doctrinas, & mandata hominum Relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditiones hominum.

64. Quæstio quarta: *Quomodo peccata venialia eluantur?*

65. Resp. Bellarminus lib. 1. de amiss. grat. cap. 9. *Propeccatis*, inquit, *minutis, & levissimis in carcere Purgatorii satisfaciendum est.* Et lib. 3. de cultu sanctorum cap. 7. *Rectè ad effectus supernaturales efficiendos*, inquit, *utimur aquâ, oleo, pane, cereis, cineribus, ramis, aliisq; rebus benedictione consecratis. Inprimis autem iis utimur, ad deletionem peccatorum venialium, ad fugandos dæmones, & curandos morbos, ut ex precibus patet, quibus consecrantur.* Præterea comminiscuntur Jesuitæ, peccata quælibet remitti per ingressum religionis. Hieronymus Platus non erubuit scribere lib. 1. de bono status religiosi pag. 91. *Est primus religionis fructus, plena atq; integra remissio, ac condonatio omnium omninò criminum, & peccatorum, quæ in seculari vita quocunq; modo sunt commissa.*

66. Quæ verò fabulantur pontificii, de purgatorio illa suo loco refutavimus. Verè dicit Augustinus lib. de peccat. meritis, & remiss. cap 28. *Non est ullus ulli locus medius, ut possit nisi esse cum Diabolo, qui non est cum Christo.* Itaque qui in præsenti vitâ peccata non abluerit, posteà consolationem aliquam inventurus non est.

67. Ineptiæ de consecratione rerum elementarium, & superstitiones de receptione in religionem, quibus peccata deleri fingitur, Christi satisfactioni, & merito adversantur. Nam peccata nostra non nisi per Christum remittuntur, *Esai. 43. v. 25. Ego sum, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum* tuorum non recordabor, *Matt. 1. v. 21. Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Act. 26. versic. 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Actor. 13. versic. 38. Notum sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Mosis justificari. 1. Johan. 1. v. 7. Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

68. Quæstio quinta: *An fides in peccantibus maneat salva?*

69. Resp. Canisius in Catechesi pag. 372. *Asserendum est*, inquit, *non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur: Sed etiam quocunq; mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.*

70. Con-

70. Contrà fidem peccatis lethalibus,& malis operibus amitti,docet salvator, *Matt. 7. v. 16. 17. 18. Nunquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest autem arbor bona malos fructus facere: neq; arbor mala, bonos fructus facere.* Apostolus dicit, *Rom. 14. v. 23. Quicquid* ex fide non est, peccatum est. Jacobus *cap. 2. v. 17. Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Vers. 20. Fides sine operibus mortua est.* Arguit idem manifesta ratio: Nam fides est radix omnium virtutum. Ergo fide præsente & vivâ, non committuntur peccata mortalia; His autem commissis fides non est salva, sed mortua.

71. Quæstio sexta: *Annón renatorum virtutes, ut justitiam Aristidis, &c. Imò etiam renatorum opera absq; gratia Dei considerata* B. *Lutherus rectè annumerarit peccatis?*

72. Resp. Scribit B. Lutherus Tom. 1. Oper. Lat. fol. 26. *Nullus hominum novit, quoties peccet mortaliter etiam in bonis operibus, propter vanam gloriam. Ideò de se desperando cum fiducia in abyssum misericordiæ divinæ fideliter promittentis debet se projicere.*

73. Sophisticandi & calumniandi hinc sumunt occasionem Pontificii, & objiciunt, virtutum non sine contradictionis implicatione dici vitium, & discrimen bonorum & malorum operum à Luthero esse sublatum,

74. Sed quod dixit B. Lutherus respectivè, & limitatè, illud arripiunt Pontificii ac si sit dictum absolutè. Non renatorum opera, ut & renatorum, respectu sui, causaliter, & formaliter considerata sunt bonum quoddam morale; At 1. Considerata existentialiter, subjectivè, & respectu personæ non regeneratæ, imo in renato considerata absq; fide peccatis à B. Luthero annumerantur, non quidem per se, sed per accidens, & denominativè: *Quicquid enim est extra fidem peccatum est. Rom. 14. v. 23. Et sine fide placere Deo impossibile est. Heb. 11. v. 3. 2.* Adscribuntur itidem peccatorum numero, quatenus quis in eis fiduciam collocat, perfecta & meritoria ea prædicat.

Finis Disputationis XLVII.

DISPUTATIO XLIIX.

QUÆ EST

DE LIBERO ARBITRIO PRIOR

Resp. M. PETRO Kirchbach Fribergâ Misnico.

THESIS I.

OSTENDIMUS peccatum originale, veluti venenum totum hominem, omnesque ejus facultates infeciſſe, ut à vertice capitis uſque ad plantam pedis nihil in eo ſit boni. Concipitur homo ex immundo ſemine. Immundus eſt igitur ipſe, & omnes ejus actiones. His ita oſtenſis ſequitur, ut inquiramus, quid de hominis viribus in creatione collatis manſerit reliquum.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Piè dicit Auguſtinus lib. 1. de peccat. Orig. contra Pelag. *Illa quæſtio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſſerendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur. Quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

3. Ut verò inter hos ſcopulos mediâ navigemus viâ, atq; ſcyllam Pelagianorum, & πελαγιανιζόντων ad dextram, & charybdin Enthuſiaſtarum ad ſiniſtram prudenter declinemus, verbum Dei, quod eſt lucerna pedibus noſtris, unicè ſequemur.

4. *Liberum verò arbitrium eſt vis quædam facultatis, quâ homo ad bonum promptè inclinatur, & quod elegit propriè proſequitur, malumq; liberrimè fugit.*

5. Hebræi nominant לֵבָב & per ſyncopen לֵב, *Deut. 6. v. 5. c. 29 v. 4.* Qua appellatione affectus denotatur. Vocabula enim notitiæ apud Hebræos affectus connotant.

6. A Phanorino nominatur τὸ αὐπεξούσιον, & ἡ αὐπεξουσιότης, Ab Hieronymo αὐπεζουσία; ab aliis αὐπεθελούσιον. Appellationes verò

istæ nimis sunt insolentes, & glorioſæ, quippe quæ significant id, quod nullius planè dominio est subjectum, quodque nulla planè vi, & potestate potest cohiberi.

7. Itaque ut cum aliis commodioribus permutentur exemplo quorundam Patrum Græcorum suadent plerique Theologi. Nam à Justino Martyre nominatur ἐλευθέρα προαίρεσις, & τὸ ἐφ' ἡμῖν: Ab Irenæo ἐξουσία προαιρέσεως.

8. In latina lingua communiter nominatur *liberum arbitrium*: Sunt nonnulli, quibus titulus hic nimis insolens esse videtur, qui malunt articulum hunc *de viribus humanis* inscribere; sed cum titulus iste seculis jam multis in Ecclesia sit receptus, & usitatus, sanâ adhibitâ explicatione, retineri potest, ita ut contra Pelagianos libertas in spiritualibus destruatur, & ostendatur liberum arbitrium nos olim habuisse, & aliquando liberrimum futurum.

9. Sunt alii, quibus displicet, quod articulus hic non simpliciter arbitrium, sed *liberum arbitrium* inscribatur: Reprehendunt illi puerilem πλεονασμὸν, vel futilem, & inutilem περιλογίαν. Nam arbitrium significat potestatem liberè eligendi. Itaque adjecta vox (*liberi*) prorsus est supervacanea.

10. Respondent nonnulli notationem inscriptionis petendam esse à subjecto, quod sit duplex, intellectus, seu mens, & voluntas. Unde liberum arbitrium esse dicunt spontaneum consensum ex voluntatis libertate, & rationis arbitrio, sive judicio, ac proinde communem mentis & voluntatis effectum: Arbitrium, ajunt, nominari respectu mentis monstrantis voluntati objectum eligendum, aut repudiandum, aut etiam suspendendum; liberum verò respectu voluntatis suâ sponte ultrò eligentis, aut expetentis, vel adversantis, & rejicientis, quæ mens decernit.

11. Alii *liberum arbitrium* nominari docent, ut ἐξοχὴ, vel excellentia gradus in libertate innuatur: Perinde enim esse censent ac si quis liberrimam libertatem nominet eam voluntatis δύναμιν, cui nihil prorsus impedimenti est oppositum.

12. Accipitur *liberi arbitrii* appellatio vel communiter, vel specialiter. Communiter denotat facultatem animæ, quæ dicitur voluntas Huc respiciens Ambrosius lib 1. de vocat. gent. cap. 3. dicit: *Homo à Diabolo Spoliatus, non voluntate; sed voluntatis sanitate privatus est.*

Speci-

Specialiter, & propriè notat concreatam, seu donatam potentiam, qua possumus tum bona liberè eligere; tum mala liberè respuere. Et hoc sensu in hac usurpatur Disputatione.

13. Dicitur liberum arbitrium *facultas, & vis quædam,* & non ipse effectus seu actus, quia est principium liberrimè agendi, & non ipsa libera actio.

14 Subjectum seu sedes liberi arbitrii non est ipse intellectus, licet hic præsupponatur, sed ipsa voluntas. Nam 1. ipsi soli libertatem agendi tribuit Scriptura, *Deut.* 30. *v.* 19. Eliges utrum *volueris,* mortem vel vitam, 1. *Cor.* 7, *v.* 37. Potestatem habet proprie voluntatis. 2. Voluntas est indifferens, ut bonum eligere, malum fugere possit. Sedem igitur suam in ea habet libertas.

15. At ais: Cujus est arbitrari, & judicare, illi competit arbitrium. Autor τῶν ὑπογυσικῶν lib. 3. dicit: *Arbitrium ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo, quid eligat, quid ve recuset, puto, quod nomen acceperit: & ideò liberum dictum, quod in suâ potestate positum sit, habens agendi quid velit, possibilitatem; Sed hujusmodi fuit in Protoplasto, num perdidit possibilitatis bonum.* Atque non voluntatis, sed intellectus est arbitrari, & judicare. Ergo.

16. Resp. 1. Vocabulum arbitrii est æquivocum. Nam significat vel actum intellectus, & tum denotat idem, quod judicium, seu consilium; vel actum voluntatis, & tum est idem, quod electio, quæ cum sit actus liberæ voluntatis est arbitrium quoddam. Unde vulgò dicimus: *In meo arbitrio est positum.* 2. Quando de totius animæ humanæ conditione quæritur, dici in laxâ significatione potest in utraque facultate, mente & voluntate esse sedem liberi arbitrii.

17. Objectum liberi arbitrii nonnulli constituerunt actiones humanas; Sed modestè dicit Dn. Chemnitius par. 3. L. C. p. 450. *Simplicius & explicatius dicitur, objectum liberi arbitrii, de quo in Ecclesia quaritur esse Legem Dei. Nam ex collatione legis divinæ ad infirmitatem naturalem exstruuntur vera fundamenta hujus loci.* Hoc est, liberum arbitrium occupatur circa bonum, & malum à recta ratione commonstratum, quam. ut recta sit, non nisi lex infirmare potest. Liberum igitur arbitrium tum suam propriam actionem circa objectum adæquatum exequitur, quando bonum in lege mandatum eligit, & malum in eâ prohibitum exequitur.

18. Quando verò quæritur, sitne in homine tale liberum arbitrium, de quo jam diximus? Distinctè secundum diversos hominum status respondendum esse censemus. Status ipsos, tradidimus in Disp. de statu primi hominis, ex qua ejusmodi repetimus. Nã nõnulli quinq; numerant status: Nonnulli tres, nonnulli quatuor, in re ipsa per omnia consentientes, in modo vero numerandi, & efferendi, non per omnia convenientes. Quinq; hoc ordine recensentur: Primus est innocentiæ: Secundus, miseriæ: Tertius, gratiæ: Quartus gloriæ: Quintus ignominiæ. Tres hoc modo. Primus est naturæ in Adamo ante lapsum institutæ: Secundus, naturæ in Adamo & liberis post lapsum destitutæ: Tertius naturæ per Christum in renatis restitutæ: Ille à quibusdam nominatur status confectionis, iste defectionis; hic refectionis. Quatuor qui numerant, hoc ordine procedunt: Primus est integritatis ante lapsum: Secundus peccati post lapsum: Tertius instaurationis per Christum: Quartus consummationis seu felicitatis, vel condemnationis post mortem. Vel ita: Primus status agit de gratiæ collatione. Secundus de gratiæ collatæ amissione: Tertius de amissæ gratiæ restauratione: Quartus de restauratæ gratiæ consummatione.

19. De primo & quarto statu nulla est inter Protestantes & Pontificios, quoad hunc articulum, controversia.

20. Nam de primo hominis statu verum esse illud *Syr.* 15. *v.* 14. 15. 16. 17. 18. *Deus ab initio constituit hominẽ, & reliquit illum in manu consilii sui &c.* In mente hominis fulgebat radius divinæ lucis. In voluntate erat conformitas cũ Deo archetypo: Admirabilis erat partiũ & totiꝰ corporis fabrica, mẽbra omnia tenebat firma, nulla imbecillitatiobnoxia.

21. Proposita autem ipsi erat mors & vita, *Syr.* 15. *v.* 18. Nondum n. erat immutabiliter ad bonũ determinata. Itaq; relicta ipsi fuit libertas inconcreata integritate & bonitate perseverandi, vel ab ea deficiendi.

22. Voluntas igitur ejus fuit libera non tantum à coactione, sicut & nostræ sunt, sed etiam ab omni necessitate. Libertas hæc dici solet rectitudinis, libertas à servitute, & miseriâ.

23. In secundo statu est quidem libertas naturæ, quâ homo à coactione, & violentia, & in quibusdam etiam casibus à necessitate est liber, 1. *Cor.* 7. *v.* 37. Sed amissâ est libertas rectitudinis. Arbitrium igitur est servum. Intellectus est obtenebratus, *Eph.* 5. *v.* 8. Homo in peccatis est mortuus, *Col.* 2. *v.* 13. Est mortuus in delictis *Eph.* 2. v. 1. Non sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, 2. *Cor.* 3. *v.* 5.

Nihil facit homo ad suam conversionem, sed habet se merè passivè.

24. De tertio statu rectè dixeris, voluntatem non esse otiosam, sed negotiosam, non ex se, sed ex inhabitante spiritu S. seu non αὐτοενεργήτως, sed ἐνεργείᾳ Spiritus S. *Rom.6.v.18.2.Cor.3.v.17.1.Cor.15.v.10. Gal.2.v.20.* Itaque in hoc statu est libertas gratiæ, & habet homo arbitrium liberatum: Liberatus enim est à peccato, *Rom.6.v.18.*

25. In quarto statu donabitur homo libertate gloriæ, qua liber erat ab omni sensu peccati, & miseriis hujus vitæ, *1.Cor.15.v.20.1.Joh.3.v.2.* Itaque habebit arbitrium liberrimum.

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

26. Non sine insigni temeritate liberum arbitrium servum dici potest, quomodocunq; etiam modus ille explicetur *Bellarminus lib.4.de Grat.& lib.ar.cap.6.*

27. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum deniq; à Satanâ invectum in Ecclesiam, anathema sit, *Concil.Trident.Sess.6. Dejust.Can.5.*

28. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt quacunq, ratione facta sunt, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quando vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare, anathema fit, *Concil.Trid.Sess.6.cap.16.Can.*

29. Homo sine fide cum auxilio speciali, vel etiam sine illo bonum aliquod morale perficere potest, ut in eo nullum peccatum. *Bellarminus lib.5.de Grat.& lib.arb.cap.9.*

30. Itaq; homo in actionibus spiritualibus non habet se merè passivè, sed activè, *Bellarminus lib.6.c.2.*

STATUS CONTROVERSIÆ.

31. Principalis igitur quæstio est de viribus hominis convertendi in spiritualibus nimirum quando excitatur homo nondum renatus gratiâ divinâ præveniente, num ex naturali quadam δυνάμει possit Deo assentire, sese ad gratiam præparare, & applicare, adeoque Deo immotibus & actionibus spiritualibus cooperari? vel quæritur de causa, quæ faciat, ut intellectus cæcus, & à Deo aversus verbo Dei assentiatur, atque voluntas Deo resistens, Deo & in Deum credat? Pontificii liberi arbitrii vires prædicantes, & excellentes duas tradunt causas, ut sunt arbitrii facultas, & gratia; Prote-

stantes unam tantum agnoscunt causam, nimirum divinam gratiam. Principali huic quæsti oni alias præmittemus, nimirum de liberi arbitrii quibusdam appellationibus, de hominis consideratione respectu adventantis gratiæ, de voluntatis determinatione, &c.

32. Quæstio prima: *An non sine insigni temeritate liberum arbitrium servum dici queat, quomodocunq; etiam modus ille explicetur?*

33. Resp. Bellarminus lib. 4. de grat. & lib. arbit. cap. 6. *Non possunt adversarii*, inquit, *ullo colore defendi ab insigni temeritate quod nomen liberi arbitrii tontopere detestentur, & in nomen servi arbitrii commutare tentaverint.*

34. Cum autem Bellarminus manifestum agat calumniatorem, imò mendacem, nostrisque adscribat, quasi doceant hominis arbitrium esse simpliciter servum, etiam in civilibus, ideò ad Articulum. August. Confess. 18. remittimus, qui sic habet: *De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & deligendas res rationi subjectas. Sed non habeat vim sine spiritu S. efficiendæ justitiæ Dei, seu justitiæ spiritualis: Quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei; Sed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus S. concipitur.*

35. Itaque objectum voluntatis humanæ, & liberi arbitrii est duplex: *Prius est res externa rationi subjecta*, & civilis, in qua habet homo liberum arbitrium, licet illud sit infirmatum sauciatum, & vulneratum; *Posterius sunt res, & actiones spirituales*, in quibus hominis arbitrium, & quidem in secundo ejus statu, seu in statu peccati est servum, seu servum est respectu conversionis, & adventantis gratiæ, ad quam se nequit præparare, & nihil ex suis viribus conferre.

36. Loquendi hæc formula est 1. ipsius spiritus S. in Scriptura ita loquentis, *Johan. 8. v. 34. Qui facit peccatum servus est peccati.* Atqui liberum hominis arbitrium in statu peccati facit peccatum, imò non potest, quin peccet: Nam mala arbor non potest bonos fructus producere, *Matt. 7. v. 18.* Ergo nisi per gratiam liberetur est peccati servum. *Rom. 6. v. 17. Fuistis servi peccati. Vers. 20. Cum essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ.* At Romani, quos alloquitur Apostolus, respectu rerum civilium erant liberi, Servi igitut fuerunt in statu peccati respectu rerum spiritualium. Jam verò peccatum est liberi arbitrii. Liberum

ram igitur arbitrium est peccati servum. Apostolus Petrus dicit, 2. *Epist.* 2. v. 19. *Ipsi servi sunt corruptionis: Siquidem à quo quis superatus est huic etiam in servitutem est addictus.*

37. 2. Deficiente vitâ deficit & vitalis actio. Deficit verò hominis in statu peccati spiritualis vita, quia spiritualiter est mortuus, *Eph.* 2. v. 1. *Cum essetis mortui delictis, ac peccatis, in quibus aliquando ambulastis &c. Col.* 2. *vers.* 13. *Vos cum essetis mortui per delicta, & per præputium carnis vestræ.* Ergo.

38. Objicit Bellarminus lib. 4. c. 6. p. 718. *Seriò nos admonet Apostolus Paulus,* 1. *Tim.* 6. v. 4. *ut fugiamus vocum nativitates. At nomen servi arbitrii in Ecclesia Catholicâ, totos mille quingentos annos nunquam fuit auditum, cum tamen ipsi ptincipio nascentus fidei; ac deinceps variis ætatibus nunquam defuerint hæretici, qui liberum arbitrium vel nimium extulerint, vel etiam contra nimium depresserint.*

39. Resp. 1. Non improbat Apostolus eo in loco novas voces rei naturam exprimentes, sed quæstiones, ac vocum pugnas, ex quibus nihil nascitur commodi. 2. Appellationem *servi arbitrii*, non esse novam à B. Luthero primum usurpatam, ostensum est verbis Salvatoris, & Apostoli. 3. Bernhardus dicit de Grat. & lib. arb. c. 11. *Homo per propriam voluntatem Servus peccati factus merito perdidit libertatem consilii.* Et Augustinus in Enchir. cap. 106. *Post illam ruinam major est misericordia Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum est à servitute, cui dominatur cum morte peccatum.* Et lib. de correp. & grat. cap. 13. *Liberum arbitrium liberum est, sed non liberatum, liberum justitiæ, servum peccati.*

40. Pergit Bellarminus, *omnes*, inquiens, *omninò scriptores Ecclesiastici, qui singulis atatibus fidem Catholicam propugnaverunt, disertis verbis liberum arbitrium docuerunt. Quanta igitur temeritas est, nunc demum abolere velle vocabulum.*

41. Resp. Committit Bellarminus fallaciam à Dicto secundum quid & æquivocationis: Docuerunt quidem omnes, ut & nostræ Ecclesiæ liberum arbitrium, verum non simpliciter, sed secundum quid. Nam liberum arbitrium notat 1. potentiam animæ seu voluntatem, qua homo à Diabolo non est spoliatus. Ambrosius dicit lib. de Vocat. Gent. *Homo à Diabolo spoliatus, non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est.* 2. Pontificii appellatione *liberi arbitrii* utuntur de homine

mine in statu peccati constituto, atque scribunt, quod sit vis quædam, quâ se homo possit ad gratiam præparare, spirituales actiones edere, legem Dei implere; Hoc sensu dixit B. Lutherus Assert. art. 17. quod sit *titulus sine re.* Atque sic in nostris Ecclesiis de libero arbitrio suscipitur disquisitio, non astructivè, ut arbitrii humani libertas in spiritualibus asseratur, sed destructivè, ut evertatur. 3. Appellatione *liberi arbitrii* à nonnullis notatur aptitudo quædam, & habilitas passiva: quâ solus homo est præditus, ut particeps fieri donorum Spiritus S. Atq; hoc sensu agnoscimus, non esse figmentum in rebus. 4. Vel notatur appellatione eâ libertas in civilibus: Siquidem homo potest liberè eligere bonum, & fugere malum: Nec hoc sensu est titulus sine re. 5. vel denique significat libertatem à justitiâ, quâ hominis voluntas non libere quidem se habet ad utrumque oppositorum, bonum & malum, sed quâ voluntas liberè, & sponte appetit id, quod appetit, & fertur non nisi in malum, *Rom. 6. v. 20. Quum servi essetis peccati, liberi eritis justitiæ.* Augustinus dicit in Enchirid. cap. 30. *Qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit. At per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Vnde ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse justitiæ cæperit servus.*

42. Ais, *Liberè non agit, qui non æqualiter se habet ad utrumq; oppositorum, ut unum possit eligere, & alterum negligere. Atqui homo in statu peccati dicto modo non habet se æqualiter ad utrumq; oppositorum.* Ergo.

43. Respondemus verbis Bernhardi Tract. de grat. & lib. arb. *Nemo putet ideò dictum liberum arbitrium, quod æquâ inter bonum, & malum potestate, aut facultate versetur, alioqui nec Deus, nec Angeli, sive boni, vel mali, liberi arbitrii esse dicerentur, sed ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo æquè liberam facit voluntatem, cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens.*

44. Regeris, *voluntas, inquiens, non cogitur: Deus enim non convertit coactè, & per enthusiasticum raptum: Vult etiam populum non coactum, sed spontaneum: Et voluntatem dicere non liberam, perinde est, ac si quis dicat ignem calidum absque calore, fidem vivam absque bonis operibus.* Sunt itidem renati servi, *Rom. 6. v. 18. cap. 7. v. 25.* Sed sunt iidem etiam liberi, *Johan. 8. v. 36. 2. Cor. 3. v. 17.* Ergo non debet servum opponi libero, cum simul stare possint.

45. Resp.

45. Resp. 1. Luditur *vocabulo libertatis*: Nam non opponimus liberum hoc loco coacto, sed servo, & coactum opponimus Spontaneo. Si quis liberum abusivè dicat id, quod non est coactum, ultrò damus, hominis voluntatem in statu peccati, & extrema corruptione esse liberam etiam respectu rerum spiritualium, quæ nominatur libertas à coactione, quâ voluntas non contra suam inclinationem cogitur ad faciendum aliquid, ab aliis nominatur libertas interior quod voluntas internum sui motus habeat principium, ut non coactè agat. 2. Servus quis dicitur ex triplici fundamento. Primò respectu obligationis, juris, & debiti, quo sensu nulla rationalis creatura est libera: Est enim vera libertas servire justitiæ. Libertas igitur à jure, & obligatione est effrenis & beluina omni lege soluta licentia. Secundò respectu officii Deo præstandi, hoc item sensu omnes creaturæ rationales creatoris sui sunt servi. Tertiò respectu summæ in rebus spiritualibus imbecillitatis, & impotentiæ. *Non sumus enim idonei ex nobis ipsis cogitare quicquam boni, tanquam ex nobis ipsis, & si aliquid idonei sumus, id ex Deo est*, 2. *Cor.* 3. *v.* 5. In hac tertiâ significatione è diametro pugnat liberum cum servo, & B. Lutherus arbitrium nominavit servum; In prioribus duabus non pugnat liberum cum servo.

46. Quæstio secunda: *An homo in sui conversione habeat sese merè passivè?*

47. Resp. Docet B. Lutherus voluntatem in sui conversione habere se purè passivè, comparatque eam trunco, lapidi, &c. in cap. 6. Oseæ. In Postill. Ecclesiast. Die Nat. in 3. cap. Epist. ad Titum. Et Dom. 3. post Epipha.

48. Exagitant verò & sugillant assertionem hanc, & loquendi formulam B. Lutheri Pontificii. Costerus in Enchir. cap. 5. de libr. arb. pag. 215. 216. *Lutherus, inquit, pro ingenii sui vehementia ademit homini in omnibus actionibus libertatem, scripsitq; liberum arbitrium figmentum esse in rebus, seu titulum sine re, omniaq; evenire necessitate absoluta. Posteriores in humanis actionibus libertatem aliquam hominibus concedunt, non tamen in negotio justificationis, in quo docent voluntatem hominis moveri à Deo instar stipitis, ut patiatur tantùm, & nihil quicquam agat, nimirum peccatorem ita à Deo ad saniorem mentem converti, ut divinam motionem necessariò sequatur, nec possit non sequi, ad eum ferè modum, quo ovis naturali instinctu ramuscu-*

lum viridem sequitur, & canis fertur ad ossa. Proinde Deum solum in nobis agere omnia, effectus bonarum actionum solam causam.

49. Verum calumniatur Costerus, & manifesta nos afficit injuria: Non enim B. Lutherus, nec successores ejus adimunt homini liberum arbitrium in actionibus civilibus, sed tantum in spiritualibus. Fatalem seu stoicam necessitatem refutant, hominem in conversione non simpliciter, sed secundum quid cum stipite conferunt. Ut verò rotundè sententiam de propositâ quæstione exponamus, tria ostendemus: Primò occasionem quæstionis hujus: Secundò, verum prædicationis hujus sensum, *homo in sui conversione habet sese passivè*: Tertiò, differentiam & convenientiam inter hominem convertendum, & stipitem.

50. Occasio igitur quæstionis hujus extitit συνέργεια Pontificia, quæ homini convertendo in Papatu adscribitur: Fingunt enim Pontificii, hominem ad sui conversionem aliquid ex suis viribus conferre, cum liberum arbitrium non sit amissum, sed tantum sauciatum, & deperditus per lapsum Adæ actus secundus, sed non primus. Quamvis igitur mens humana sit nonnihil ecclyptata, inesse tamen ipsi, ajunt naturaliter lumen quoddam, ut mysteriis fidei hoc mediante possit assensum præbere: Et voluntatem eâ esse facultate præditam, ut possit ex se Christum verâ fiduciâ apprehendere, Deumque super omnia diligere: Quando videlicet gratiâ præveniente peccata auferuntur, & vinculum, quo voluntas est ligata, solvitur.

51. Opposuit sese huic impiæ opinioni, & synergiæ B. Lutherus, docuitq. quod homo in sui conversione habeat semerè παθητικῶς passivè, non ἐνεργητικῶς, activè, hoc est, quod sit ὑποκείμενον παθητικὸν subjectum, quod convertitur, non causa vel totalis, vel partialis, quæ seipsam convertat, sed quod efficiens conversionis totalis sit divina gratia. Itaque *conversio est mentis occæcatæ illuminatio, voluntatis aversæ rectificatio, & cordis commaculati renovatio.*

52. Nam 1. A plantâ pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus, & livor, & plaga tumens, *Esa. 1. v. 6.* 2. Qui in spiritualibus est mortuus, ille in eis suis viribus nihil peragit, & perficit. Atqui homo in spiritualibus est mortuus, *Eph. 2. v. 5. Cum essemus mortui per delicta, convivificavit nos una cum Christo. Col. 2. versic. 13. Vos, cum essetis mortui per delicta, & per præputium carnis vestræ, simul cum illo vivificavit,*

cavit, condonans vobis omnia delicta. 1. Tim. 5. v. 6. Qua in delitiis versatur ea mortua est, Apoc. 3. v. 1. Nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Ergo. 3. Animalis igitur homo ea, quæ Dei sunt, non potest intelligere, 1. *Cor.* 2. *v.* 24. Nihil aliud potest quàm peccare, *Gen.* 8. *v.* 21. Deo reluctari. *Psal.* 57. *v.* 5. *Exod.* 10. *v.* 3. Vanitatem diligere, & mendacium quærere,, *Psal.* 3. *v.* 3. 4. Itaque in rebus divinis homo confertur cum tenebris, *Esai.* 9. *v.* 2. *C.* 60. *v.* 2. *Joh.* 1. *v.* 5. *Act.* 26. *v.* 18. 1. *Cor.* 2. *v.* 14. Obstinatum est cor hominis, *Deut.* 10. *v.* 16. Incircumcisum, durum, *Esai.* 48. *v.* 4. 5. Complectitur ea breviter Apostolus, *Rom.* 3. Nã de mente dicit *vers.* 11. *Non est, qui intelligit.* De voluntate: *Non est, qui exquirat.* De vanitate, & infirmitate omnium virium, *vers.* 12. *Omnes deflexerunt. simul inutiles facti sunt: non est, qui exerceat bonitatem, non est usq; ad unum.* De morbo omnium membrorum interiorum pariter & exteriorum, *v.* 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Sepulchrum apertum, guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt.* &c.

53. Quare homo mortuus semetipsum non vivificat: tenebræ semetipsas non illuminant: mens cœca sibi ipsi lumen non infert: Voluntas aversa seipsam non convertit,

54 Itaque homo ad sui conversionem nihil confert, habet se ad eam non συνεργητικῶς, sed merè παθητικῶς, conferturque cor hominis cum lapide *Ezech.* 26. *v.* 26: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, Zach.* 7. *vert.* 12. *Cor suum posuerunt ut adamantem.*

55. Confertur verò cum stipite, lapide, & adamante non absolutè, & simpliciter, sed limitatè, & secundum quid, nimirum respectu adventantis gratiæ. Quemadmodum enim stipes, lapis, & truncus nihil ex se ad sui confert fabricam, ita homo animalis nihil ex se conferre potest ad suam conversionem, sed est subjectum merè passivum; imò certo quodam respectu stipite, lapide, & trunco subjectum hoc est deterius, quia lapis suo artifici non repugnat; Sapientia verò carnis est inimicitia adversus Deum, *Rom.* 8. *v.* 7. Repugnat legi mentis, *Rom.* 7. *v.* 23. Captiva ducenda est omnis cogitatio ad obediendum Christo, 2. *Cor.* 10. *vers.* 5. Nemo venit ad Christum nisi Pater cœlestis traxerit eum, *Joh.* 6. *v.* 45.

56. Trahit verò non per Enthusiasticum raptum, sed per verbi auditum. Non trahit contumaciter, hostiliter, & pertinaciter resistentes, & in ea pertinaciâ perseverantes, quia sermonem Dei repel-

lentes indignos se faciunt vitâ æternâ, *Act.* 13. *v.* 46. Sed trahit mediatè per verbum, *Matt.* 13. *vers.* 47. Non quasi per vērbum tantum ostendat, quid fieri velit, sed quod interius per illud mentem illustret, & voluntatem flectat: Evangelium enim est potentia Dei ad salutem omni credenti, *Rom.* 1. *v.* 6.

57. Differt igitur homo convertendus à lapide seu truncō 1. *Respectu capacitatis seu aptitudinis passivæ*: Hominis enim voluntas flecti, & regenerari potest, ac proinde est capax spititualis gratiæ; At truncus ad conversionem, & gratiam Spiritus S. percipiendam est inhabilis quippe mente, & voluntate non præditus. 2. *Respectu usurpationis mediorum ad conversionem necessariorum*: Convertit enim Deus non immediatè, sed mediatè per verbum, quod vult audiri, & disci. Conjungit enim audire, & discere, *Joh.* 6. *v.* 45. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: Nec hæc idoneitas adscribi potest lapidi. 3. *Respectu resistentiæ*: In homine est facultas verbo Dei resistendi, & gratiam repugnandi, imò naturaliter omnes reluctantur, quia omnes natura sunt filii iræ, *Eph.* 2. *vers.* 3. At non repugnat artifici suo truncus, vel lapis: Est enim inanimatus.

58. Quæstio tertia: *An opera infidelium, & quacunq; ante conversionem fiunt sint verè peccata?*

59. Resp. Concilium Trident. Sess. 6. Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunq; ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quando vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare; anathema sit.* Bellarminus lib. 5. de Grat. & lib. arb. cap. 9. scribit: *Potest homo sine fide cum auxilio speciali, & etiam sine illo, bonum aliquod morale perficere, si nulla tentatio urgeat.* Ibidem: *Nos id potissimum probare volumus, non esse videlicet peccata omnia opera, quæ fiunt sine fide, præsertim si fiant cum auxilio Dei speciali. Id enim certissimum esse minimè dubitamus. Interim tamen illud etiam probare volumus, posse fieri aliquod opus bonum moraliter, non solum sine fide; sed etiam sine auxilio speciali, si nulla tentatio urgeat.*

60. Statuunt inde nonnulli salvatos quosdam fuisse sine agnitione Christi & fide Evangelii, sola lege naturæ, idque refert Sledanus libr. 23. anno 1552. pag. 440. de Monachō Franciscano his verbis: *Ad exitum Martii Franciscanus quidam Pauli ad Romanos explicabat Epistolam, frequenti auditorio, & subinde per occasionem acerbo convitio Lutherum socios; notat:*

notabat, eoq; fuit progressus, ut diceret eos, qui Christi cognitionem nullam habuissent, & alioqui vitam egissent honestè, salutem esse consecutos: Hanc etiam esse genuinam Pauli sententiam, in ejus, quam diximus, epistolæ capite secundo.

61. Disputant igitur alii virtutes non renatorum & renatorum infidelium & fidelium differre non specie, sed gradibus. Non aliter, inquiunt, se habet virtus infidelis ad virtutem fidelis, quàm se habet tepor ad fervorem, & lux matutina, ad lucem meridianam. Sicut ergo tepor est verus calor, licet non sit tantus calor, quantus est fervor; Et lux matutina est vera lux, etiamsi non sit tanta lux, quanta meridiana: Ita virtus infidelis collata cum virtute fidelis est vera virtus, & non peccatum, licet non sit tanta virtus.

62. Docent verò Protestantes, actiones esse triplices 1. per se bonæ, ut Dilectio Dei, timor, &c. 2. Vitiosæ, ut gula, avaritia, scortatio. 3. indifferentes, quæ sunt ut usurpantur, bonæ sunt, si bene fiant. Unde est regula: Bona operâ non in nominibus, sed adverbiis judicântur.

63. Deinde monet Dn. Chemnitius par. 1. Exam. Concil. Trident. de Oper. infid. distinguenda esse ea, quæ sunt creationis Dei in homine adhuc reliqua, ab illis, quæ per peccatum sunt ingressa. Hæc enim suo genere sunt vitiosa, & lege prohibita: Illa suo genere non sunt vitiosa, ut virtutes ethicæ, politicæ, œconomicæ, inventiones, & tractationes artium, constitutiones honestarum legum. De his est quæstio, an, & quomodo peccatis annumerentur?

64. Respondemus considerari eas per se, vel per accidens: causaliter, & efficienter; vel existentialiter, & subjectivè: secundum formam internam, vel secundum externam, & denominativam: νομικῶς, vel εναγγελικῶς: Priori modo opera & virtutes illæ non renatorum consideratæ non sunt peccatum. Nàm primo licet virtutes fidelium, & infidelium differant causa efficiente proxima cum virtutes Christianorum sint gratiosæ inhabitationis spiritus S. fructus, virtutes infidelium sint effectus notitiarum naturalium, conveniunt tamen causa remotâ. Sunt enim virtutes infidelium etiam â Deo, qui earû semina in creatione inservit. Omnis n. sapientia est à Deo *Syr.* 1. *v.* 1. Id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis: Deus n. illis patefecit,

om. 1. v 19. Quare nec ratione causæ remotæ, nec propinquę sunt peccatum, sed bonum gratiæ divinæ universalis, & effectus rationis.

66. Quicquid consentit cum lege, illud per se non est peccatum, 1. Johan. 3. v. 4. Nec per se pugnat cum Dei voluntate, quam lex divina exprimit. Jam verò virtutes non renatorum consentiunt cum lege. Ergo.

67. 3. Deus igitur quædam Gentilium opera remuneratur, quia obstetrices Ægyptiacæ non paruerunt injusto Pharaonis imperio, præmia Deus ipsis contulit, *Exod. 1. v. 20. 21. Benefecit Deus obstetricibus illis, cum augeretur populus ille, & corroborarentur valde. Deinde factum est, quia timebant obstetrices illæ Deum, & domos illis statuebat Deus.*

68. Eædem verò infidelium virtutes εὐαγγελικῶς consideratæ dicuntur peccata non ἁπλῶς; sed σχετικῶς, non per se sed per accidens, & quidem 1. *Respectu fidei deficientis*: Nam quicquid est extra fidem peccatum est, *Rom. 14. v. 23.* Et sine fide placere Deo, impossibile est, *Heb. 11. v. 6.*

69. 2. *Respectu finis*: Nam Gentiles retulerunt eas non ad Dei, sed ad suam propriam gloriam. Dn. Chemnitius dicit Augustini verbis: Quæ natura adhuc reliqua habet ex prima creatione, informatione, vitâ, sensibus, mente, &c. per se sunt bona, sed per peccatum sunt vitiata, vitiata, & contaminata. Ad bonum verò opus requiritur non tantum ut aliquid fiat, quod suo genere bonum sit, sed præcipuè ut benè fiat. Possunt enim aliqua bona fieri non benefacientibus, à quibus fiunt. Ut bonum est subvenire periclitanti, sed ille, qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis, quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bonâ voluntate facit.

70. 3. *Respectu subjecti, seu personæ non renatæ, sive infidelis*: Hæc enim non placet Deo. Ergo nec opera ejus. Judicat enim Deus non juxta externũ opus, sed cor respicit. Quemadmodum igitur cor, quatenus Dei creatura est, bona est, sed ob adhærens vitium pravum dicitur; *Jer. 17. v. 9.* Fraudulentum cor ipsum supra omnia, & mortiferum est, quis cognoscat ipsum? Ita etiam virtutes infidelium in suo genere non vitiosæ, polluuntur & contaminantur in impiis.

71. 4. *Respectu imperfectionis*: Nam licet Gentiles aliquid legis faciant, semper tamen actioni illi adhæsit imperfectio. Ergo & difformitas, & illegalitas. Hæc verò in renatis tegitur merito Christi fide apprehenso

hensio. At carent ea infideles. Ergo imperfectio illa totum maculat opus,& propterea hoc dicitur peccatum.

72. Ex his dictis facile responderi potest ad argumenta, quæ contra hanc sententiam moventur à Pontificiis. Bellarminus dicit lib. 5. de grat.& lib. arb.cap. 9. *Testimonia adferemus, quæ probent aliqua bona opera ab infidelibus posse fieri, sive cum auxilio speciali, sive etiam solis naturæ viribus. Primum igitur testimonium sumitur ex illis scripturis, quæ testantur Deum remunerari bona opera gentilium. Non enim Deus, qui justissimus est, & justitiam diligit, quique apientissimus est, & falli nullo modo potest, opera mala remuneraret, cum justo judicio supplicium mereantur, non præmium. Secundò, probatur ex illis Scripturis, inquit, quæ indicant infideles facere, aut posse facere aliqua bona opera, Matt.5.* si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti.&c. *Quo loco tribuitur Ethnicis bonum opus, ostendendi signa benevolentiæ erga suos; Nisi enim hoc bonum esset, non diceret Dominus, quid amplius facitis, sed, cur hoc facitis? Vult igitur suos Dominus, non contraria, sed majora facere. Ad Rom.2. cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt, &c. Hic apertè Apostolus docet, Gentiles naturali lumine implere aliqua legis mandata.*

73. Resp. Non omnes Gentilium actiones per se,& suo genere esse vitiosas largimur: At cum ipsæ personæ careant fide, & sint extra gratiam Dei, per accidens eas esse vitiosas,& Deo displicere,cum Apostolo asseveramus, sic cor per se bonum,propter inhærens peccatum est pravum, Itaque homo nondum renatus nequit se ex suis viribus ad gratiam præparare, nec est in momento suæ conversionis Dei cooperarius. Augustinus dicit lib, 3. ad Bonifacium cap. 5. *Catholica fides justos ab injustis non operum, sed ipsâ fidei lege discernit; sine qua, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.* Ambrosius de vocat.Gent.lib.1. c.3. *Sine cultu veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest.* Prosper de vita contemplativa lib. 3. c.1. *Apostolus non dixit: Omne, quod non est ex fide, nihil est, sed dicendo, peccatum est, declaravit, quod si non fuerunt ex fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia quæ non juvant suos operarios, sed condemnant, inflatosq; præcipitant, atq; à finibus æternæ salutis eliminant*, vide plura apud Dn. Chemnitium.

74. Quæstio quarta: *An voluntatis electio pendeat necessariò ab ultimo judicio rationis practicæ.*

75. Resp.

75. Resp. Bellarminus scribit lib. 3. de Grat. & lib. arb. c. 8. *Liberum arbitrium est potentia videlicet ipsa voluntas, eaq; sic est libera, ut tamen determinetur à judicio ultimæ practicæ rationis.*

76. Opinio hæc Bellarmini vel principis actionum humanarum est contraria. Nam 1. Si voluntas necessariò determinatur ad unum ab ultimo judicio rationis practicæ, spoliabitur suâ libertate. Posterius non admittit ipse Bellarminus. Ergo nec affirmare debebat prius. 2. Voluntas sæpe postposito majori eligit minus. At sit determinare turne cessariò ad unum ab intellectū semper eligeret majus: Intellectus enim nisi erret, judicat majus esse præferendum minori. 3. Voluntas ex duobus bonis eligit alterum. At eligere illud non posset si ad unum determinaretur necessariò ab intellectu, quia rectum judicium intellectus nequit ex æqualibus unum præferre alteri videatur *Becanus par. 2. Theol. Schol. tract. 1. cap. 2. quæst. 5.*

77. Ais, *Voluntatem in objectum bonum ferri non nisi judicatum, & à ratione propositum. Ergo voluntatem necessariò determinari ab intellectu.*

77. Resp. distinguunt nonnulli *inter libertatem judicativam, & electivam*: Sedem, ajunt, libertatis judicativæ esse in intellectu; Electivæ in voluntate. Censemus nos licet voluntas non determinetur necessariò ad unum ab intellectu, in actionibus tamen suis habere adjunctā rationem, & prærequirere intellectus cognitiònem: Appetit enim cognitū, & à ratione propositum: Deinde distinguimus 1. *Inter generale, & particulare.* Inest vis illa voluntati, ut velle possit, ac nolle in genere. Unde *Scaliger Exer. 307. Sect. 25.* voluntati internum movendi assignat principium, quo & seipsam & intellectum moveat; At ut particulare quiddam velit, vel nolit, necessum est, ut ab alio excitetur. 2. *Inter actus exercitium, & ejus specificationem*, quoad exercitium actus, h. e. ad actus suos edendos movet ipsum etiam intellectum suâ ingenita facultate voluntas; Ad quoad specificationem actus, h. e. ut hoc potius, quam illud eligat, movet intellectus voluntatem: 3. *Inter motum physicum, & rhetoricum, inter coactionem, & persuasionem, inter persuadens judicium, & imperium*: Intellectus movet voluntatem rhetoricè, quia objectum cognitum, & judicatum suadet esse eligendum, vel negligendum. *Voluntas verò non quidem ab externo principio coacta, sed cum ab intellectu, tum ab objecto quodam externo, & appetitu persuasa seipsam immediatè vi interna, & ingenita ad agendum liberè applicat, & illo neglecto, hoc prælegit.*

Finis Disputationis XLIIX.

DISPUTATIO XLIX.

QUÆ EST

DE LIBERO ARBITRIO POSTERIOR SEV de arbitrii servitute circa spiritualia.

Resp. Balthasare Brese Islebiâ Mansfeldensi.

THESIS I.

DOCTRINÆ causa libertas variè distingui solet: Dicitur enim *Libertas alia in subjecto, alia ad objectum alia ab impedimento adversante*: Illa est in voluntate ratione naturæ suę semper liberè agẽte: Ista refertur ad alterutrum, unum acceptandum, alterum respuendum: Hæc dicitur respectu coactionis, & necessitatis, respectu quorum libera dicitur voluntas. Deinde *libertas alia est juris, alia servitutis*: Illam denegabit homini natura: hanc corruptio. Tertiò *Libertas alia est à servitute, alia à coactione, alia à necessitate*. Denique *Libertas est naturæ, gratiæ & gloriæ*; Illa hominem reddit liberum à necessitate & coactione; Ista à peccati dominio; hæc à miseria, videatur Lombardus lib. 2. Sentent. Dist. 24. 25. De his ex parte in præcedente egimus Disputatione, arbitriumque hominis in genere potissimum consideravimus. Quare pergimus agere de modo conversionis hominis, & num aliquid conferat homo ad sui conversionem.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. *Conversio est hominis non renati quædam mutatio, quâ renascitur & regeneratur, à peccato ad Deum convertitur, ex filio iræ fit filius gratiæ.*

3. Accipitur vocabulum *conversionis* vel strictè & propriè pro ipsa spirituali mutatione hominis propter peccatum à Deo omninò aversi, qua transfertur ex statu iræ in statum gratiæ. Vel latè pro quotidiana conversionis continuatione, & gratiæ adauctione.

4. *Causa efficiens conversionis unica, & solitaria est spiritus S.* Seu est

gratia Dei per verbum & Sacramenta operantis, trahentis, moventis: illuminantis, & vivificantis; Jer. 31. v. 18. *Converte me Domine, & convertar* Thren. 6. v. 21. *Converte nos domine, & convertemur*, 1. Cor. 4. v. 7. *Quid habes, quod non accepisti, quid igitur gloriaris, quasi non acceperis?* Phil. 2. v. 13. *Operatur Deus in nobis & velle, & perficere.* Act. 5. v. 31. *Deus dat pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* 2. Tim. 2. v. 25. 26. *Deus dat pœnitentiam ad cognoscendam veritatem* Johan. 6. v. 29. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* Deut. 29. v. 4. *Dedit vos Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ possint audire, usque in præsentem Diem*, Joh. 6. v. 43. *Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum.* 1. Cor. 12. v. 3. *Nemo potest Christum appellare Dominum, nisi per spiritum*, 2. Cor. 3. v. 5. *Omnis sufficientia nostra à Deo.* Ezech. 11. *vers.* 29. C. 36. *vers.* 26. Deut. 30. *vers.* 6. *Psalm.* 51. *vers.* 12. *Deus aufert cor durum, ac lapideum*, & donat molle & novum.

5. Non convertit verò Deus immediatè, sed mediatè per verbum & sacramenta: Nos enim Majestatis divinæ splendorem sustinere non valemus: Deus igitur ad infirmitatem nostram sese dimittit, & per verbum & Sacramenta opus suum inchoat, & absolvit, 1. Cor. 1. v. 21. *Postquam in sapientia Dei, non cognovit mundus per sapientiam Deum, visum est Deo per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes.* 1. Cor. 4. v. 15. *Per Evangelium ego vos genui.* 2. Cor. 10. v. 4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad demolitionem munitionum* Johan. 17. v. 20. *Non pro eis rogo tantum, sed & pro his, qui credituri sunt per sermonem eorum in me* Act. 11. v. 14. *Petrus tibi ea dicturus est, per quæ servaveris, & tu, & universa domus tua.* Rom. 10. v. 17. *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Arguunt idem exempla, ut Judæorum, & Proselytorum, *Act.* 2. v. 37. Conelii, & ejus domesticorum, qui adhuc Petro loquente acceperunt fidem, *Act.* 10. v. 44. Antiochenorum, Cyprorum, & Cyrenensium, *Act.* 11. v. 20. 21. Lydiæ, *Act.* 16. v. 14. Ephesorum, *Act.* 19. v. 4. 5.

6. Est verò conversio alia subitanea ut Pauli, qui sanguinem, & cædem Christianorum spirans in medio furore sensit conversionis initium, *Actor.* 9. *vers.* 1. Alia est lenta cujus exemplum habemus in Eunucho Aethiope Reginæ candaces, *Act.* 8. v. 27.

7. Quando Deus ex sua parte adhibet ad nostram conversionem verbum & Sacramenta, requiritur à nostra parte verbi auscultatio, & meditatio Sacramentorumque usurpatio. Conjungit enim Christus

Christus τὸ audire, & discere Johan. 6. v. 46. *Omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Qui igitur hæc media aspernantur, & spiritui S. obstacula ponunt actualiter, & hostiliter resistendo, illi non convertuntur. Qui verò debitò modo illis utuntur, hi efficaciam Spiritus S. sentiunt: *Est enim Deus prorsus ἀμεταμέλητος*, Rom. 11. v. 29. *Et promissiones ipsius sunt etiam, & Amen*, 2. Cor. 1. v. 20.

8. *Causa quasi formalis, & modus conversionis, quo operatur conversionem nostram Spiritus S. est obtenebratæ mentis illuminatio, atq; aversæ voluntatis motio, & rectificatio*, seu est in mente tenebrarum quædam discussio; & spiritualis in eâ illuminatio; voluntatis à captivitate liberatio, & spiritualis τοῦ velle donatio: Cordis immutatio, & ad spirituales motus concipiendos, & edendos refectio. Nam spiritus S. mentem illustrat, ut verbum intelligat, & voluntatem movet, ut verbo intellecto assensum præbeat, & in eo acquiescat.

9. *Objectum seu materia circa quam est voluntas humana, in qua fit conversio*, quæ respectu adventantis gratiæ habet se merè passivè, non activè, & nihil confert ad sui conversionem, Jer. 13. v. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Matt. 12. v. 34. *Quomodo potestis bona loqui cum sitis mali.* 1. Cor. 4. v. 7. *Quid habes, quod non accepisti.* 1. Cor. 12. v. 3. *Nemo potest dicere Dominum Jesum nisi per spiritum S.* 2. Cor. 3. vers. 5. *Non sumus idonei ex nobis tanquam ex nobis ipsis, & si aliquid idonei sumus, id ex Deo est.*

10. Ordo, quem Deus in convertendis hominibus observare solet, ordinariè hic est: Primò ex merâ gratiâ, & misericordiâ vocat Deus ad participationem beneficiorum Filii sui universum genus humanum non quidem immediatè, absolutè, & per enthusiasticum raptum; sed per medium ordinarium, nimirum per prædicationem verbi. Deinde requirit ab hominibus ut hoc verbum audiant, & quidem cum studio discendi. Deniq; auditui huic verbi benedicit Deus, ut subsequatur mentis illuminatio, atque voluntatis & cordis rectificatio.

11. *Quaris, cum Deus trahat hominem convertendum, annon ipse solitaria, & absoluta sit causa quod non omnes convertantur, cum omnes ante conversionem sint æquales?* Resp. 1. Trahit Deus non ἐνθουσιαστικῶς, sed ἀνθρωπικῶς. 2. Omnes sunt quidem æquales respectu cœcitatis naturalis & originalis quia omnes sunt filii iræ, sed non omnes sunt æquales

reſpectu cœcitatis actualis, & hoſtilis. Non omnes igitur convertuntur. 3. Culpa igitur, quod vix auditorum centeſimus convertatur ex ipſis dependet auditoribus, *Matt.13.v.23. Luc.8.v.15.*

12. Pergis quærere, *an in hominis nondum renati ſit viribus, ut poſſit audire verbum, & quidem cum ſtudio diſcendi.* Reſp. Auditus alius eſt externus, alius internus cum aſſenſu, & fiduciâ conjunctus, qui ſolis competit renatis. Externus pertinet ad actiones externas Eccleſiaſticas, & rationis ac ſenſuum claſſem: Nam etiam homines fanatici legere poſſunt ſcripturam, & quidem ſtudio diſcendi, qui tamen non convertuntur, quia præconceptis opinionibus, ducti contumaciter Spiritui S. reſiſtunt, de quibus ſcribit Apoſtolus, *2.Tim.3.v.6. Semper diſcentes, & nunquam ad agnitionem veritatis pervenientes.* Sic Herodes libenter quidem audiebat Johannem Baptiſtam, *Mar.6.v.20.* Sed ſpinis voluptatum erat cor ejus obſitum.

13. Inquis, *defendi hac ratione à nobis meritum congrui, cum homini nondum renato adſcribamus facultatem verbum audiendi, & ſtudium diſcendi, illudque requiramus in ipſo convertendo.*

14. Reſp. 1. Prævertit Deus & conatum audiendi, & ſtudium noſtrum diſcendi, quia autem plantavit, & facultatem audiendi dedit, *Exod.4.v.11. Pſal.94.v.9.* Et verbum ex merâ ſuâ bonitate revelavit, & annunciandum curat: Atque ſe per verbi auditum efficacem ſe futurum promiſit. Meritum autem & promiſſio ſimul ſtare nequeunt. 2. Sicut igitur neque qui plantat eſt aliquid, neq; qui regat, ſed Deus qui dat incrementum: Ita etiam qui audit eſt nihil, qui vult eſt nihil, qui currit eſt nihil; Sed Deus dat velle, & perficere. 3. Requiritur verbi auditus non tanquam cauſa, & quaſi ſit meritum; Sed tanquam pars divini ordinis, & unicus ejus eſt finis ut ſpinæ voluptatum, & obſtacula converſionem impedientia removeantur.

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

15. Liberum arbitrium quoad ſpiritualia eſt quidem obfuſcatum, & alligatum, ſed non eſt omninò amiſſum. In mente enim eſt aliquod lumen, quo mediante homo poteſt fidei myſteriis aſſentiri; In voluntate eſt facultas, qua poteſt homo Chriſtum apprehendere, & Deum ſuper omnia diligere; Sed lumen illud eſt nonnihil per peccatum obtenebratum, & voluntas eſt ligata, ut gratia requiratur præveniens vinculum illud lapſus ſolvens, quo ſoluto homo ex ſuis viribus poteſt Deum diligere, & gratiæ cooperari. 16. Con-

16. Concilium Tridentinum Sess 6. Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, &c. anathema sit.*

17. Ibidem Can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Et Can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, &c. anathema sit.*

18. Gratiam prævenientem explicat Costerus in loco de libr. arbit. p. 206. 207. his verbis: *Hæc gratia præveniens, non est illa gratia, quæ in anima hominis inhabitans justum constituit, & filium Dei efficit; Sed impulsus tantùm, & motio Spiritus Sancti adhuc foris dedentis, qui stat ad ostium cordis pulsans, nondum admissus ad ejus domicilium.* Et Paulò post: *Hominis liberum arbitrium auxilio Dei necdum inhabitantis, sed moventis, & adjuvantis se præparat ad justificationem, non solùm patiendo, sed etiam operando, & agendo.*

Status Controversiæ.

19. Non est igitur 1. quæstio de statu hominis ante lapsum, nec de statu hominis renati, ac renovati, neque de statu hominis glorificati; Sed tantùm de statu hominis post lapsum in conversione, num ad eam aliquid ex suis propriis, & naturalibus viribus possit conferre.

20. 2. Non est quæstio de essentiâ voluntatis: Nam homo non voluntate, sed voluntatis sanitate est privatus.

21. 3. Non quæritur de actionibus naturalibus, politicis, Oeconomicis, ac Ecclesiasticis externis, quales sunt accedere ad templum, audire verbum, cogitare, & meditari illud: In his n. homini nondum renato aliqua superest agendi libertas, quamvis valde debilitata.

22. 4. Non quæritur de qualicunque cognitione literati, & historicâ, quippe quam hæreticus etiam sibi comparare potest.

23. 5. Neq; quæstio est de motibus mentis, & voluntatis, quos ipsi omninò admittimus inquirentes in originem illuminationis intellectus, & rectificationis voluntatis.

24. Verum verò genuinum & principalem controversiæ statum in præcedente Disputatione proposuimus: Est n. iste de causa quæ facit

ut intellectus noster Cœcus, & à Deo aversus assentiatur verbo Dei, & voluntas nostra propter peccatum Deo resistens, Deo credat: Pontificii duas tradunt causas, gratiam prævenientem, & liberum arbitrium ex suis viribus spiritui S. in ipso τῷ νῦν conversionis cooperans; Protestantes unicam duntaxat agnoscunt causam, nimirum gratiam Dei.

25. Quæstio prima: *An homo nundum renatus, quando foris excitatur, impellitur, & movetur gratia divinâ præveniente habeat in se vires aliquas Spiritui S. assentiendi, cooperandi in motibus & actionibus spiritualibus?*

26. Resp. De quæstione hac post Pelagii tempora variè disputatum est inter Theologos. Statuebat Pelagius Monachus Britannus, qui vixit circa annum Christi 415. ætate Hieronymi, & Augustini, liberum arbitrium habere hominem in spiritualibus Hieronymus scribit in Epistola ad Ctesiphontem: *Ita Dei gratiam ponunt Pelagiani, ut non per singula opera ejus nitamur, & regamur auxilio: Sed referunt ad liberum arbitrium, & ad præcepta Legis, ponentes illud Esaiæ: Legem Deus in auditorium posuit, ut in eo Deo referendæ sint gratiæ, quod tales nos condiderit, qui nostro arbitrio possimus eligere bona, & vitare mala.* Augustinus scribit in lib. de grat. contra Pelag. & Cœlestinum: *Pelagius dicit in libro de libero arbitrio: Habemus possibilitatem utriusq; partis à Deo insitam, velut quandam, ut ita dicam, radicem fructiferam, atq; fecundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat, & pariat, & quæ possit ad proprium cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sentibus horere vitiorum.*

27. A primo hoc hæresiarcha orti sunt πελαγιανίζοντες antiquiores, & recentiores. Illi sunt Papistæ, quorum nonnulli contendunt, hominem nondum renatum ex viribus suis naturalibus, initium posse aliquod facere & sese præparare ad sui conversionem; Alii ut Bellarminus gratiam prævenientem intrinsecam requiri, alii ut Costerus sufficere extrinsecam opinantur, & hac præmissâ hominem convertendum in sui conversione esse Dei cooperarium. Alii hominem conversum legem Dei in hac vitâ perfectè implere statuunt, & per hanc legis impletionem justificari, vitamque æternam promereri. Lombardus scribit lib. 2. Sentent. distin. 22. lit. E. *Ipsa voluntas quadam gratiæ dona prævenit.* Et lib. 2. dist. 27. lit. E. *Ex gratiâ, quæ prævenit, & sanat arbitrium hominis, & ex ipso arbitrio procreatur in anima hominis bonus affectus, sive bonus motus mentis: & hoc est primum bonum hominis meritum.*

Sicut

Sicut verbi gratia, ex fidei virtute, & hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus, & remunerabilis, scilicet ipsum credere, ita ex charitate, & libero arbitrio alius quidam motus bonus provenit, scilicet diligere, bonus valde. Thomas lib. 2. Sentent. distin. 28. *Dicimus quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio homo se potest præparare.*

28. Bellarminus lib. 6. de Grat. & libr. arb. c. 11. *Cooperamur Deo*, inquit, *non solùm ut adversarii volunt post justificationem: Sed etiam in ipsa justificatione, & initio fidei.* Idem: *Non nisi cooperantibus nobis Deus salutem nostram operatur.* Costerus in Enchirid. de lib. arbit. pag. 207. 208. *Liberum arbitrium auxilio Dei necdum inhabitantis, sed moventis, & adjuvantis, sese præparat ad justificationem, non solùm patiendo, sed etiam operando, & agendo.* Ibidem pag. 209. *Deus ad conversionem nos adjuvat, & nos operamur arbitrii nostri viribus, sed Deus nos primus movet, & movet præveniente gratia, tum verò nos adjuti hac gratia, illud per liberum arbitrium aggredimur, & facimus, ad quod Spiritus Dei hortatur*, Eckius in Enchir. Tit. 31. pag. 173. *Initium salutis nostræ Deo miserante habemus (Ecce primus gradus solius Dei) ut acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est, (en secundum gradum, qui est liberi arbitrii, & ibi meritum congrui)* &c.

29. Semipapistæ sunt Synergistæ, qui licet Papistæ videri nollent, & sese in aliis Papistis opponerent tamen cum Papistis συνέργειαν quandam in rebus spiritualibus voluntati humani attribuebant, & in his hominem semimortuum & graviter vulneratum esse docebant, sed non plenè mortuum. Autor hujus opinionis primus ante obitum B. Lutheri extitit Erasmus Roterdamus in libro contra B. Lutherum edito.

30. Post obitum B. Lutheri errorem hunc interpolavit magno cum Ecclesiæ damno Philippus Melanchthon, uti videre est ex articulo variatæ Augustanæ Confess. V. & XVII. Ex L. communibus annis 45. 52. 55. editis. Et ex Examine Ordinan. Ubi annumerat causis concurrentibus in hominis conversione voluntatem assentientem, & non repugnantem verbo Dei.

31. Philippi vestigiis inhæserunt nonnulli ex ipsius discipulis, ut Johannes Pfeffingerus, Georgius Major, Victorinus Strigelius, videatur Cent. Osiandri 16. p. 837.

32. Istis erroribus conjunctim opponitur hæc pia declaratio in formula Concordiæ pag. 579. *Credimus docemus, & confitemur: Voluntatem*

luntatem hominis nondum renatum, non tantùm à Deo esse aversam, verum etiam inimicam Deo factam: ita ut tantummodo ea velit, & cupiat, iisq; delectetur, quæ mala sunt, & voluntati divinæ repugnant. Scriptum est enim: Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia suâ. Item. Affectus carnis inimicitia est adversus Deum: Neq; enim legi subjicitur, ac ne potest id quidem. Itaq; credimus quantum abest, ut corpus mortuum seipsum vivificare, atque sibi ipsi corporalem vitam restituere possit, tantum abesse, ut homo, qui ratione peccati spiritualiter mortuus est, seipsum in vitam spiritualem revocandi ullam facultatem habeat, sicut scriptum est: Cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos cum Christo, &c. Itaque etiam ex nobis ipsis, tanquam ex nobis, non sumus idonei, ut aliquid boni cogitemus, quod verò idonei simus, id ex Deo est. Conversionem autem hominis operatur Spiritus S. non sine mediis: Sed ad eam efficiendam uti solet prædicatione, & auscultatione verbi Dei, &c.

233. Redigimus Scripturæ testimonia, quibus sententia hæc confirmatur ad certas classes. Primum sumimus *ab extrema hominis corruptione*: Qui ex immundo semine est natus, in peccatis conceptus, naturâ filius iræ, per inobedientiam ipsius Adami peccator constitutus; Is nequit ex suis viribus in spiritualibus cooperari trahenti per verbum Spiritui S. Atqui talis est homo nondum renatus, *Job.14.v.4. Psal.51.v.7. Eph.2.v.3. Jer.17.v.9. Rom.5.v.19. Ergo.*

34. 2. *Ab oppositione carnis, & spiritus*: Homo carnalis non nisi carnalia, & non spiritualia producit opera. Atqui homo ante conversionem est tantum carnalis, *Johan.3.v.6. Rom.8.v.6. Gal.5.v.19. Ergo*: B. Lutherus dicit in lib. de servo arb. p. 235. *Id observabis in scripturis, ubicunque de carne agitur per antithesin ad spiritum, ibi ferè per carnem intelligas omnia contraria Spiritus: Ubi verò absolutè tractatur, ibi conditionem, naturamq; corporalem significare scias.*

35. 3. *A cœcitate intellectus*: Cujus intellectus est cœcus in spiritualibus, ille tantum abest, ut ex suis viribus eis possit assentiri, fiduciamque in eis collocare, ut ne quidem ea intelligat. Atqui intellectus hominum omnium nondum conversorum in spiritualibus est cœcus, 1. *Cor.2.v.14.* ψυχικὸς ἄνθρωπος animalis homo (hoc est, homo post lapsum, qui tantùm dictamen suæ rationis sequitur, cujus sapientia est ψυχικὴ *Jac.3.v.15.* non capit, (hoc est, non fideliter assentitur, *Act.8.v.14. c.17.v.11. 1. Thess.2. vers.13.*) ea, quæ sunt spiritus:

stultitia

Stultitia quidem illi sunt, nec potest cognoscere, quod spiritualiter dijudicatur 2. *Corinth.* 3. *v.* 5. Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Ergo.

36. *Dicit quidem Bellarminus lib. 6. cap.* 13. *hunc locum sibi favere, cum non neget Apostolus, nos sufficientes esse, sed neget nos sufficientes esse ex nobis.* Et subjungit: *Nisi liberi essemus arbitrii, non rectè diceremur, non sufficere ex nobis, sicut non rectè diceret aliquis, jumentum aut lapidem non sufficere ex se, aliquid cogitare de Deo.*

37. Resp. Argumentatur Bellarminus ex editione malè translata, in qua legitur vocabulum sufficientiæ, quæ non correspondet fonti, in quo legitur vocabulum ἱκανότητος, non sumus idonei, apti, accomodati ad cogitandum; Sed omnis ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ θεοῦ.

38. 4. *Ab aversione voluntatis*: Qui in spiritualibus nihil intelgit, ad omne malum conversus, & tantum pravus, illè in spiritualibus nihil ex se potest velle. Atqui talis est hominis nondum renati voluntas, *Gen. 6. v. 5 cap.* 8. *v.* 21. Figmentum cordis humani tantum malum est, ab adolescentia suâ. *Jer.* 17. *v.* 9. Pravum est cor hominis, & imperscrutabile: Quis cognoscet illud? *Rom.* 8. *v.* 7. Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. *Gal.* 5. *v.* 17. Caro concupiscit adversus spiritum, *Rom.* 7. *v.* 22. 23. Delector lege Dei, quoad interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Ergo.

39. 5. *A mortali hominis nondum conversi conditione in spiritualibus*: Quâ in re aliquis est mortuus, in eâ non potest semetipsum vivificare. Atqui in spiritualibus homo nondum conversus est mortuus, *Col.* 2. *v.* 13. *Eph.* 2. *v.* 1. *Matt.* 6. *v.* 22. *Ergo.*

40. 6. *A servitute in peccatis*: Quicunque est servus in peccatis, ille non potest semetipsum præparare ad gratiam Spiritus S. adventantem, nec spiritui S. in sui conversione cooperari. Atqui homo nondum conversus est peccati servus. Omnis qui committit peccatum servus est peccati, *Joh.* 8. *v.* 24. A quo quis superatus est, huic etiam in servitutem addictus est, 2. *Pet.* 2. *vers.* 9. An nescitis, quod cui sistitis vos servos ad obediendum, ejus servi estis, cui obeditis? Statuistis membra vestra serva impuritati, *Rom.* 6. *v.* 16. 19. *Ergo.*

41. 7. *A malis hominis nondum conversi actionibus*: Qui non po-

test conferre. Atqui homo nondum conversus non potest nisi malè agere, *Matt.*12.*v.*34. Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? *Matt.*7.*v.*18. *Luc.*6. *v.* 43. & 44. Omnis arbor bona fructus bonos facit: putris autem arbor fructus malos facit: Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere. Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum: Et malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. *Jer.*13.*v.*24. Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus maculas suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malè, 1.*Cor.*12.v.3. Nemo potest dicere Jesum Dominum, nisi in Spiritu S.

42. 8. *A gloriationis denegatione*: Homo suo arbitrio utens nequit contra alterum illo abutens gloriari, quia nihil de quo glorietur habet. Ergo nec tuæ conversionis est author, nec quicquam in spiritualibus potest efficere. Antecedens legitur, 1.*Cor.*1.*v.*31. Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti; quid gloriaris, quasi non acceperis. Cyprianus lib.3. cap. 4. ad Quirinum dicit: In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.

43. 9. *A Dei proprio*: Quod soli Deo est proprium illud nequit sibi homo arrogare. Atqui convertere, mentem illuminare, voluntatem renovare, cor rectificare, cor lapideum auferre, & novum dare, sunt opera soli Deo propria. Ergo. Minorem probant sequentia dicta *Jer.*31.*v.*18. Converte me Domine, & convertar. *Thren.*6.*v.* 21. Converte nos Domine, & convertemur. *Phil.*2.*vers.*13. Deus operatur in nobis & velle & perficere. *Act.* 5. *vers.*31. Deus dat pœnitentiam, & remissionem peccatorum, 2.*Tim.*2. *vers.*25. 26. Vobis à Deo donatum est, ut in Christum credatis, *Eph.*2.*v.*8. Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. *Johan.*6.*v.*29. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. *Deut.*26.*vers.*4. *Matt.*13.*v.*14. Jehova dat mentem ad cognoscendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum. *Psal.*51.*v.*12. Animum mundum crea mihi Deus: & Spiritum firmum renova intra me. *Ezech.*11.*v.*19. *Cap.*36.*v.*26. *Jer.*32. *vers.*39. Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri & faciam, ut in præceptis meis ambuletis. Quemadmodum igitur lapis semetipsum non emollit: Ita homo nondum renatus semetipsum

psum non convertit, & vetus semetipsum non renovat, *Eph. 2. vers. 10.* Deus nos in Christo Jesu creat ad opera bona, *2. Cor. 5. v. 17. Gal. 6. v. 15.* In Christo sumus nova creatura. *Matt. 1. v. 27.* Nemo novit Patrem nisi cui Filius revelare voluerit. 1. Cor. 12. v. 3. Nemo potest Christum appellare Dominum, nisi per Spiritum S. *Joh. 1. v. 17.* Omne donum est desuper à Deo Patre luminum. *Johan. 6.* Nemo potest venire ad me nisi Pater eum traxerit. *Joh. 15. v. 5.* Sine me nihil potestis facere 2. Cor. 3. v. 5. Omnis sufficientia nostra à Deo.

44. 10, A plenâ hominis immutatione & renovatione: Quicunque virtute non suâ, sed Dei efficacia convertitur, illuminatur, emollitur, renovatur, vivificatur, ille nihil ad sui conversionem confert causaliter, & efficienter. Atqui homo per conversionem virtute non suâ, sed Dei efficaciâ aversus convertitur, cœcus illuminatur, durus emollitur, vetus renovatur, mortuus vivificatur. Ergo. Minoris veritas ex plurimis constat Scripturæ dictis: Nam Deus convertit cor, *Jer. 3. vers. 18. Thren. 6. v. 21. Esa. 6. v. 22. Luc. 1. v. 17.* Purificat cor, *Act. 15. v. 9.* Inclinat cor, *2. Reg. 19. v. 4.* frangit cor, *1. Reg. 10. v. 26.* Immutat cor, *Job. 12. v. 24.* Conterit cor, *Ezech. 6. v. 9.* Emollit cor, *2. Par. 34. v. 27.* Purificat cor, *Act. 15. v. 9.* Excitat à mortuis, *Eph. 5. v. 14.* Dat cor novum, *Ezech. 11. v. 19. c. 36. v. 26. Psal. 51. v. 19.* vivificat, *Eph. 2. v. 5.* Regenerat, *1. Pet. 1. v. 3. Tit. 3. v. 5.*

45. 11. *A conversione petenda:* Quodcunque à Deo petere debemus, & precibus obtinemus, illud nostris viribus non promeremur, nec efficimus. Augustinus dicit de Nat. & grat. c. 18. Quid stultius est, quam orare ut facias, quod in potestate habes. Atqui conversionem à Deo petere debemus, eamque precibus obtinemus *Jer. 17. v. 14.* Sana me Domine, & sanabor. Ergo.

46. 12. *A creationis & recreationis collatione:* Cujus fuit creare, ejusdem est recreare, cujus fuit κτίζειν, ejusdem est ἀνακτίζειν, cujus fuit facere, ejusdem est reficere. Bernhardus dicit: *Non minoris est sapientiæ, & virtutis recreare quàm creare hominem.* Atqui solius Dei est creare. Ergo.

47. 13. *A renatorum, & non renatorum collatione:* Homo renatus nequit opus bonum ex suis viribus perficere, & in fide permanere *Rom. 7. v. 18.* Ut faciam bonum, non reperio *Phil. 2. v. 13.* Deus est is, qui agit in vobis, & ut velitis & ut efficiatis, pro bono animi proposi-

to *Rom.* 5. *v.* 2. In fide stamus, & gloriamur *Rom.* 4. *v.* 14. 16. Ideò ex fide, ut firma sit promissio. *Rom.* 11. 20. Fide stas, 1. *Pet.* 1. *v.* 5. Virtute Dei custodimini per fidem in salutem. Ergo.

48. *Opponuntur verò contra sententiam hanc à Pontificiis varia, quibus arbitrii libertas & efficacia in spiritualibus asseritur, & propugnatur. Bellarminus lib.* 5. *cap.* 18. *de Grat. & lib. arb. plaraque comprehendit sex testimoniorum Scripturæ Classibus. Prima continet testimonia, quibus præcipitur aliquid homini faciendum, vel non faciendum.*

49. Resp. 1. A præcepto ad posse non valet consequentia, Esai. 42. v. 18. dicitur, Surdi audite, & cœci intuemini ad videndum. Christus dicit filiæ Iairi mortuæ, *Marc.* 5. *v.* 41. Puella surge. Et *Joh.* 11. *v.* 47. Lazaro sepulto: Lazare veni foràs. Petrus dicit discipulæ defunctæ, *Act.* 9. v. 40. Tabitha surge. In extremo die his alloquetur verbis Christus defunctos: *Surgite mortui, & venite ad judicium.* 2 Aliud est idoneitas activa & aliud passiva: Licet homo ex suis viribus bonum morale nequeat perficere, est tamen subjectum quod gratiæ divinæ est capax, qua facultate carent mulus, & equus *Psal.* 32. *v.* 9.

50. Regerit Bellarminus: *Aut frustra dantur homini à Deo præcepta, aut habet liberum arbitrium in spiritualibus. Atqui non frustra dat Deus homini præcepta, quia nihil facit frustra. Ergo habet homo liberum arbitrium in spiritualibus. Quorsum ei qui non potest deficere, aut non potest non deficere injunguntur præcepta?*

51. Resp. 1. Angeli boni in bonitate ita sunt confirmati, ut non possint deficere, & nihilominus eos injungitur, ut benedicant Domino. *Psal.* 103. *v.* 20. *Benedicite Jehovæ, Angeli ejus, valentissimi roboré, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus. Benedicite Jehovæ* omnes exercitus ministri ejus facientes placitum ejus. 2. A negatione unius finis, & usus, malè negatur etiam usus & finis alter: Quamvis præceptorum non hic sit usus, ut virium facultas astruatur in spiritualibus, habent tamen usus varios alios, & quidem cum ratione ipsius Dei, tum ratione hominis. *Ratione Dei usus horum præceptorum est* 1. Ut quid Deus jure ab homine, quem variis donis ornaverat, flagitare possit, ostendat. 2. Ut testetur, se esse extra culpam, si homines ob suam ipsorum culpam præstare nequeant, ad quod jure obligantur: Jus creditoris non aufert paupertas debitoris. 3. Ut corruptionem naturæ nostræ ob oculos nobis constituat. Ex lege igitur præcipiente

cipiente, & prohibente non est agnitio præstandi facultatis, sed peccati, depravationis, & imbecillitatis, *Roman. 3. versic. 20. Per legem cognitio peccati.* 4. Ut de medico, & alieno auxilio nobis prospiciendum esse admoneat: Lex enim peccatorum magnitudinem ob oculos ponit, & ob eam arguit, accusat, terret: & proinde obliquè jubet quærere medicum Christum, qui vulneribus nostris medeatur, estq; pædagogus ad Christum, *Gal. 3. v. 24.*

52. *Ratione hominum usus harum præceptionum est* etiam multiplex: & quidem *primò respectu piorum quadruplex*: Nam 1. Hic inde cognoscunt in quanta felicitate, & perfectione homo fuerit conditus: Homo enim fuit conditus ad imaginem Dei: Lex verò est expressio voluntatis divinæ, & imaginis divinæ speculum. Ex hoc igitur homo potest contemplari suam primævam conditionem. 2. Divinam providentiam, & paternam Dei curam pro salute hominum ex illis homines agnoscunt. 3. Ardentius peccatum suum deplorare ut Christi gratia magis, magisque dulcescat, inde discunt: Nam tanto majore πληροφορίᾳ in Christum omnem fiduciam collocant, quantò remotiores se à Dei voluntate, & legis perfectione factos esse intelligunt, & quantò magis de propriâ dignitate desperant. 4. Inde clariùs agnoscunt & pleniùs addiscunt, quid in quotidianis precibus à Deo potissimum sit petendum. Augustinus scribit lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16. *Ideò Deus jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab ipso petere debeamus.*

53. *Respectu impiorum usus præceptionum istarum est* 1. Ut exhortationibus, & comminationibus tanquam fulminibus vehementius terreantur, & percutiantur. 2. Ut de hostili sua contumacia remittant, obstacula removeant, spiritui S. per verbum trahendi hostiliter resistere desinant, atque ita magis ad conversionem flectantur. 3. Si verò isti in hostili sua contumacia perseverent, redduntur hoc pacto ipsi ἀναπολόγητοι, omnisque excusationis materia ipsis præciditur, *Joh. 15. v. 22. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Videatur Dn. D. Hutt. in lib. Con. Expl. p. 212.

54. *Secunda classis continet testimonia quibus promittitur nobis aliquid à Deo sub conditione, si voluerimus, Esai 1. v. 19. Amos. 5. v. 14. Matt. 19. v. 17.* Hinc ita concludit Bellarminus lib. 5. c. 19. *Aut est in nostra pote-*

state præstare conditionem oblatam, aut non est: Si detur primum, demonstratur liberum arbitrium: Si secundum, illa non est verè sub conditione promissio, sed manifesta irrisio: Non secus ac si quis bravium proponeret, ac præconis vocis clamari juberet, ut qui voluerint, currant, dandum enim bravium ei, qui cæteros currendo superaverit: deinde paucos quosdam vi traheret ad bravium, alios vinculis, & catenis constringeret, ne se commovere possent.

55. Resp. 1. B. Lutherus dicit in lib. de Ser. arb. p. 153. *Quâ consequentia rogo fiat, ut mox voluntatem, & potentiam adesse oporteat, quoties dicitur,* SI VIS, SI QUIS VULT, SI VOLUERIS? *Non frequentissimè impotentiam potiùs, & impossibilitatem significamus talibus sermonibus, ut si Virgilium voles æquare canendo: Mi Mevi alia cantes oportet: Si Ciceronem superare voles, Scote, pro argumentis summam oportet eloquentiam habeas. Si cum Davide comparari voles, similes Psalmos edas necesse est. Hic planè significantur impossibilia viribus propriis licet divinâ virtute omnia fieri possint.* 2. *Non igitur inanes, & illusoriæ sunt istæ conditiones*: Docent quid homines dono creationis potuerint, sua verò jam ipsorum culpâ non possint, quidque Deum si sint servandi, in ipsis efficere, oporteat. Itaque conditio quibusdam est impossibilis ipsorum culpâ, quibusdam est possibilis divinâ gratiâ, apud neutro, illusoria: Hieronymus dicit: *Conditio illa est impossibilis naturæ possibilis gratiæ.* 3. Testimonia Scripturæ sunt *vel legalia, vel evangelica: Illorum quædam loquuntur de promissionibus hujus vitæ*: Remuneratur enim Deus externam disciplinam non renatorum temporalibus præmiis; *Quædam exigunt omnibus numeris absolutam obedientiam*, quæ cum non sit in nostris viribus, ideò ostendunt naturæ humanæ corruptionem, ut patefiant peccata, quale est illud, *Matth. 19. vers. 17. Evangelica sunt gratuita*: cum autem Deus nos convertat mediatè, ideò ostendunt ordinem conversionis, quo ad Deum pervenire possumus. 4. Denique in multis testimoniis innuitur non ipsa in spiritualibus potestas, & ad futuram gratiâ ex propriis viribus præparatio, sed libera mediorum usurpatio.

56. *Tertia classis complectitur testimonia, quæ docent per hominem stetisse, quò minus bene ageret, & peccata vitaret, Num. 14. vers. 43. Deut. 30. vers. 11. Esa. 5. vers. 4. Jerem. 7. vers. 13. cap. 32. vers. 32. Matth. 23. vers. 37. Actor. 7. vers. 51. Habet igitur homo liberum arbitrium, quia Deus de homine non frustra queritur.*

57. Resp. 1. Homo habet quidem liberum arbitrium in malis, sed

sed quia totus peccato est infectus, non in bonis. Itaque potest quidem motionem Spiritus S. convertentis impedire, sed non promovere, & semetipsum convertere: impedire potest motionem lapidis tendentis deorsum, & motum animalis localiter se moventis, sed non est causa istius motus. 2. Augustinus dicit in Solil. cap. 15. Quod cecidi fuit ex me, quod surrexi fuit ex te. 3. Testimonium *Deut.* 30. *v.* 11. non legaliter, sed evangelicè intelligendũ esse, docet Apostolus, *Rom.* 10. *v.* 6.

58. *Quarta classis continet ea testimonia, quæ docent; Deum quasi recedere, & explorare, quid homines faciant, & quorsum studia sua convertant, Deut.* 8. *v.* 2. *cap.* 13. *v.* 3. *At frustra exploraret Deus, quid homines facere velint, nisi possint rem eandem facere, & non facere.* Bellar. lib. 5. c. 21.

59. Ad 1. Tentatione non manifestatur in non renatis quædam quâ se erigere possint potestas, sed extrema imbecillitas. 2. Testimonia illa agunt non de liberi arbitrii viribus, sed cruce, quâ fides exploratur, & constantia probatur. 3. Augustinus de Gen. contra Manich. lib. 1. c. 22. dicit: *Non ut facit, quem nihil latet, sed ut scire nos faciat, quantum in ejus dilectione profecerimus, tentari Deus nos permittit.*

60. *Quinta classis complectitur duo testimonia. Prius legitur, Gen.* 4. *v.* 7. *Sub te erit appetitus tuus, &c. Posterius Syrac.* 15. *v.* 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te.* Ex hisce multa nectit argumenta, quæ omnia eò tendunt, ut liberum arbitrium astruatur.

61. Ad 1. Tristabatur Cain, quod acceptum esset sacrificium Abelis Deo, sed suum non similiter. Acceptum verò erat sacrificium Abelis per fidem, *Heb.* 11. *v.* 14. Caino igitur tristi ostendit Jehova quid ipsum facere oporteat, si & ipsius sacrificiũ acceptũ esse debeat, nimirum seriâ actâ pœnitentiâ credere debebat. 2. B. Lutherus dicit p. 124. *Talibus dictis ostenditur homini, quid debeat nõ quod possit.* 3. Præcipit Dominus ut peccatum reprimat, & dominari non sinat. August. dicit lib. 15. de civ. Dei c. 7. *Tunc dominabitur quisq; peccato, si id sibi non defendendo proposuerit, sed pœnitendo subjecerit: Alioquin & illi serviet dominanti, si patrocinium adhibuerit accedenti.* 4. Quod autem impossibile est naturæ, illud possibile est divinæ gratiæ per fidẽ apprehensæ. 5. Si quis ad internã referat obedientiam, ille cogitet, Deum loqui non de omnibus Caini affectibus, sed de homicidali ejus furore: Nam dicit: *Sub te erit iste affectus.* 6. Liber Syracidæ non est in canone. 7. Agit eo in loco de conditione hominis ante lapsum.

62. Sexta

62. *Sexta classis continet quinque testimonia, quæ pro stabiliendo libero arbitrio à Bellarmino allegantur, & leguntur, Deut. 30. v. 15. 29. Johan. 24. v. 15. Syr. 31. v. 10. 1. Cor. 7. v. 37. 2. Cor. 9. v. 7.*

63. Resp. 1. Confunduntur testimonia legalia cum Evangelicis. 2. Non fit distinctio renatorum & non renatorum, de quibus est quæstio: Illos obedire posse Deo non quidem ex viribus naturæ, sed ex gratiâ ex scriptura docemus. 3. In actionibus politicis, & externo cultu habere hominem liberum arbitrium extra dubium est. 4. Dei verba non sunt merè narrantia, & præcipientia, sed simul sanantia. 5. Adjuvat nos Deus non veteres vires, quippe quæ nullæ sunt, excitando, sed novas largiendo. 6. Homo non renatus habet in spiritualibus noluntatem, sed non voluntatem, habet potestatem oblatam gratiâ repudiandi, sed non eam promovendi, & acceptandi.

64. Quæstio secunda: *Qui fiat, quod cum omnes homines ante conversionem sint æquales, alter præ altero ex verbi auditoribus convertatur?*

65. Resp. Æquales sunt omnes 1. *respectu peccati originalis*, in quo omnes concipiuntur, & nascuntur, *Job.* 14. *Psal.* 51. *Joh.* 3. 2. *Respectu naturalis contemptus*: Omnes sunt oves errantes, Esai. 53. Omnes naturâ filii iræ, *Eph.* 2. 3. *Respectu idoneitatis passivæ, atq; sic respectu virium negationis in spiritualibus*: Omnes enim in peccatis sunt mortui, *Eph.* 2. Inæquales verò sunt respectu obstaculorum, quæ Spiritui S. per verbum trahenti opponuntur. Nam nonnulli non tantùm naturaliter, sed etiam hostiliter resistunt, atque sic suâ ipsorum culpâ non convertuntur. Et hinc alii aliis citius participes donorum Spiritus S. fiunt, ut arguit 1. exemplum legisperiti *Matt.* 12. 2. Meretricum & publicanorum respectu Pharisæorum. 3. Pauperum respectu divitum.

66. Quæstio tertia: *An homo sit cooperarius Dei?*

67. Resp. Homo non ante conversionem, sed post conversionem est cooperarius Dei non ex se, sed ex virtute Spiritus S. Nam Deus est, qui bonum in nobis inchoatum perficit, *Phil.* 1.

Non nostra igitur, sed Dei virtute custodimur in fidem 1. *Pet.* 1.

Finis Disputationis XLIX.

DISPUTATIO L.

De gratia Dei, prior

Resp. Hermanno Hasphordio Rintelensi Westphalo.

THESIS I.

EXAMINAVIMUS *errores Pontificiorum, quos alunt de statu innocentiæ, & miseriæ, ac proinde demonstravimus imaginem Dei esse deperditam, huic successisse in mente hominis cæcitatem, in voluntate aversionem; atque propterea hominem esse peccati servum, in spiritualibus mortuum, nihil conferre ad sui conversionem, habere se in eâ mere passive. Restat igitur ut Pontificiorum examinemus errores de statu gratiæ. Seu egimus de gratiæ collatione, & amissione. Pergimus agere de gratiæ reparatione.*

2. Quare conferendum deinceps est de ipsa gratiâ: De Prædestinatione, eique opposita reprobatione; de justificatione, & denique de bonis operibus.

3. Quæstio prima: *An Pontificii sint Pelagiani: Et quæ sit appellationis* GRATIÆ *vera notatio?*

4. Resp. Pelagius, quem hostem divinæ gratiæ nominat Augustinus, in principio suæ disputationis finxit vocabulum *gratiæ* in epistolis Paulinis significare beneficia creationis, seu ea naturæ humanæ dona, quæ per naturalem procreationem, sive regenerationem ipsi sint à Deo donata: Nam antequam essemus, non poteramus promereri, ut aliquando homines nasceremur. Ideò verè esse gratiam Dei, quod nos tales ipse nasci voluerit, ut essemus non sicut cadaver quod non vivit, nec sicut arbor, quæ non sentit, neque animal brutum quod nihil intelligit; Sed homines rationales, præditi potentiis mentis, voluntatis, & cordis. Referebat huc illud Apostoli, 1. *Cor.* 4. *v.* 7. *Quid habes*, quod non accepisti. Videatur Augustinus Epist. 95. ad Innocentium.

5. Inscitè verò confundebat Pelagius *gratiam creationis cum gratiâ redemptionis, & justificationis*. Hæc præsupponit qnidem illam: Sed non est definienda per illã. Nam 1. Illa facit, ut sint homines corpore naturali, & anima rationali prædiri; Hæc præstat, ut homines jam prognati, peccatis infecti, & ob ea æternæ damnationis rei transferantur ex statu iræ, in statum gratiæ, ex statu damnationis in statum justificationis. 2. Donum creationis omnibus hominibus ratione utentibus, tam impiis, quam piis est commune, imò sæpe in excellentiore illud deprehenditur gradu in impiis, quam in piis secundum illud Christi, *Luc. 16. v. 8. Filii hujus seculi sunt prudentiores filiis lucis in generatione suâ.* 3. Rectè igitur disputavit contra Pelagium Augustinus, donum illud creationis nusquam in scriptis Prophetarum, Evangelistarum, & Apostolorum nominari gratiam. Serm. 11. dicit: *Si gratia est, quod conditi sumus, cum nihil merebamur: quantò major est gratia, quòd, cùm tantum malum merebamur, salvati sumus gratis, per ipsius gratiam.* 4. Si naturâ illam gratiam haberemus, quâ nos salvari docet Apostolus frustrà Christus esset mortuus. 5. Apostoli dictum 1. *Cor. 4. v. 7. Quid habes, quod non accepisti*, intelligendum est, non de donis naturalibus, sed spiritualibus, quia addit Apostolus, τὶς διακρίνει σε hoc est, quis te dijudicat, & ex aliorum hominum numero exemplum præstantiorem reddit.

6. Animadvertens igitur Pelagius opinionem illam suam de bono naturæ ne probabili quidem specie posse defendi, cæpit in aliam se transmutare formam, & Gratiam, qua salvamur, in eo duntaxat consistere dixit, quod, cum homo naturâ ignoret Dei voluntatem, decretum, ac consilium, ipse ex arcana sua luce prodiens in scriptura voluntatem suam patefecerit; Hac divinæ patefactionis gratia accepta, hominem, dixit, posse propriis viribus se applicare, & credendo, & satisfaciendo ad ea, quæ in scriptura proponuntur. Vitalis ad Augustinum scribit Epist. 106. *Deus operatur in nobis velle, eo tantum, quod voluntatem suam nobis revelet.* Exaggerabat hoc loco Pelagius immensum Dei beneficium voluntatem suam homini in tanta mentis suæ caligine patefacientis, ita tamen ut postmodum id, quod ex verbo didicit, propriis naturæ viribus possit præstare, & per naturæ bonum illa impletione salvari.

7. Resp. 1. Confundebat Pelagius revelationem rei cum re, quæ revelatur: Evangelium gratiam quidem revelat, sed revelatio doctrinæ

ctrinæ Evangelicæ non est ipsa justificans gratia. 2. Graviter labebatur propugnando integritatem virium humanarum post lapsum. 3. Manifestum errorem de satisfactione Christi inculcabat: Non enim ideò mortuus est Christus, ut lex in monte Sinâ promulgaretur: Lex enim erat in mundo, *Rom.5.v.13.* Sed quia lex ob peccatum accusabat, & damnabat, ideò oportuit Filium Dei pro nobis mori, ut per illum acciperemus gratiam ad vitam æternam, & ut gratia illa nobis proponatur, & ostendatur, ideò datum est Evangelium, quod propterea etiam vocatur verbum gratiæ.

8. Scholastici Doctores appellatione *Gratiæ* intelligunt *donum supernaturale, quo mens & voluntas hominis illuminata, Legi Dei debitam obedientiam præstat, diligitq; Deum super omnia, & proximum suum sicut semetipsum.*

9. Resp.1. Confundunt illi legem cum Evangelio. 2. Gratiam non ex Evangelio, sed ex lege definiunt contra illud Apostoli, *Rom.6.v.14. Non sumus sub lege, sed sub gratia.* 3. Impiè fingunt vires hominis in statu iræ esse integras. 4. Atque propterea ineptè Philosophantur, hominem ex viribus suis naturalibus posse perfectè legem Dei implere.

10. Pontificii Pelagii quidem linguam mutant, sed mentem tenent. Nam Jesuitæ Colonienses p. 26. Censuræ, Gratiam Dei in Christo, qua justificamur, & salvamur, eam esse definiunt, *qua Deus rectè operantibus, hoc est, legem implentibus vitam æternam promittat. Bellarminus nomine Gratiæ intelligit qualitatem nobis inhærentem, & infusum dilectionis habitum, qui credentibus Spiritus S. efficacia obtigerit, & cujus merito renati postmodum justificentur.* Scopus igitur Bellarmini est Pelagianismum tegere, licet in ipso fundamento, cum Pelagio faciat. Nam 1. indo libero arbitrio gratiam adjungit in speciali titulo, ne videatur omnia libero arbitrio adscribere; Sed ad idem relabitur principium, quia in generali titulo nominat reparationem gratiæ, & *gratiam* interpretatur habitum charitatis ad justificationem homini gratis infusum. *Reparationem gratiæ* acquisitionem justificantis habitus per liberum arbitrium à gratia adjutum. In speciali titulo appellatione *gratiæ* intelligit suasionem moralem, cujus efficacia ab hominis ingenio pendeat.

11. 2. Rationem tituli exponens Bellarminus, *hæc*, inquit. *sunt fundamenta totius ædificii reparandi.* At Apostolus unum tantum a-

gnoscit fundamentum, 1. *Cor.* 3. *v.* 11. Bellarminus verò præter illud unum ponit duo, nimirum habitum charitatis infusum, & vires humani ingenii.

12. 3. Pelagius ne videretur hostis gratiæ liberum arbitrium nominabat gratiam creationis, & in progressu agnoscebat gratiam prædicationis Evangelii, & regenerationis, & has gratias semper concurrere dicebat, *Prosper in Epist. ad August. de reliquiis Pelagianæ hæresis*; Bellarminus idem sentiens liberum arbitrium alio colore vocat auxilium sufficiens omnibus datum, cui tribuit, posse velle credere.

13. 4. Pelagius gratiam, quâ liberum arbitrium excitatur, & adjuvatur vocabat *legem & doctrinam*; Bellarminus vocat suasionem moralem, cujus efficaciam uterque suspendit ab ingenio humano.

14. 5. Pelagius principium salutis in homine esse statuebat; & ideò eum adjuvari, quia voluit; Bellarminus lib. 4. c. 15. p. 742. *Ex quo* inquit, *sequitur, ut licet in eodem momento temporis, & naturæ, Deus, & voluntas operari incipiant, tamen Deus operatur, quia voluntas operatur, non contrà. Et hoc est, quod aliqui dicunt, voluntatem prius naturâ operari, quam Deum, non proprietate instantis in quo, sed à quo.*

15. 6. Pelagiani asserebant, *doctrina Evangelii cognita, posse hominem liberi arbitrii viribus cursum perficere.* Prosper de ingratis; Idem statuit Bellarm. lib. 6. de Grat. & lib. arb. c. 15. Costerus in Ench. pag. 210. 211.

16. 7. Pelagiani docebant, *possibilitatem illam à Deo esse homini insitam, ut possit flore virtutum nitere*, Augustinus lib. de Grat. contra Pelag. & Cœlest. c. 18. Eadem est opinio Bellarmini lib. 5. cap. 19. In hominis, ait, esse potestate bonum aliquod morale perficere.

17. 8. Pelagiani fabulantur, *mandata Dei esse facilia, & observatu possibilia*, Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem; idem affirmat Bellarminus lib. 5. cap. 20.

18. Quare *gratiam* dictam esse volunt à *gratis dando*. Bellarminus lib. 1. de Grat. & lib. arb. c. 1. p. 517. *Gratia inde nomen accepit*, inquit, *quod gratis detur*, Probat ex Augustino, *gratia*, inquit, ille *meritò nominatur, quia gratis datur.* Tannerus in L. II. Thomæ Disput. 4. pag. 386. *Gratia divina*, inquit juxta Augustinum in Psalm. 49. *Sic dicta, quia gratis datur, etsi nonnunquam tum in Scripturis Sap. 16. tum à SS. Patribus, speciatim in 6. Synodo act. 11. accipiatur pro quovis gratuito beneficio Dei: In proposito tamen donum Dei aliquo modo supernaturale significat, quo*

cat, quo aut beati sumus, aut ad beatitudinem ducimur. Itaque Pontificiis gratia significat propriè donum à Deo gratis datum. Becanus scribit Disp. de auxiliis gratiæ par. 2. c. 1. th. 1. *Gratia propriè est gratuitum, & supernaturale Dei donum, quod per Christi merita nobis confertur ad vitam æternam consequendam.*

19. Contra opinionem hanc ita inferimus: Legitima notatio est adæquata notato, ut definitio definito. Jam verò illa gratiæ notatio est nimis stricta, quia non omni competit gratiæ: Est enim gratia, quæ non gratis datur, sed gratis dat omnes gratias, nimirum misericordia, & favor Dei. Ergo. Quamvis igitur gratia in Scriptura sæpe significet gratuita Dei dona, non tamen notatio ea competit omni gratiæ, sed tantum gratis datæ. Quam ob causam alii gratiam dictam volunt ἀπὸ τῆς χάριτος, seu à grato, quod significat rem acceptam, & exoptatam.

20. Quæstio secunda: *Quid igitur appellatione gratia intelligatur.*

21. Resp. Vocabulum *Gratiæ* sumitur vel, ἁπλῶς absolutè, notatque essentialem Dei proprietatem, atque ratione ἕξεως est ταυτὸ quiddam cum Dei sapientia, & potentia, licet ratione κατηγορίας nonnihil distinguatur ab eis; vel σχετικῶς relativè, quatenus videlicet ad extra progreditur, & foras sese exerit, significatque 1. κατα χρησικῶς *gratiam creationis*, qua Deus nos homines præ reliquis animalibus brutis condidit rationali anima præditos. 2. *Gratiam sustentationis, & conservationis:* In Deo enim sumus, vivimus, & movemur. *Act.* 17. *v.* 25. 28. 3. *Gratiam reparationis*, qua motus Deus & quidem misertus generis humani lapsi dedit Filium suum, *Joh.* 3. *v.* 16. 4. *Gratiam manifestationis*, quâ Deus voluntatem suam partim in lege, partim in Evangelio revelavit, *Joh.* 1. *v.* 16. Lex per Mosen, data est; Gratia & veritas per Jesum Christum facta est. 5. *Gratiam vocationis*, quâ verbum revelatum annunciatur universæ creaturæ, quæ sub cœlo est, Sacramentisque tanquam quibusdam sigillis obsignatur. 6. *Gratiam prædestinationis & justificationis, seu salvationis*, quæ est Dei misericordia, & gratia, quâ servamur per fidem, idq; non ex nobis: Dei donum est, ne quis glorietur, *Eph.* 2. *v.* 4. 8. 9. 7. *Gratiam renovationis, & sanctificationis*, quæ denotat sanctitatem vitæ, & pietatis exercitium, quo caro cohibetur, & peccati corpus destruitur, *Rom.* 12. *v.* 6.

22. Vel vocabulum gratiæ sumitur propriè, vel impropriè. Propriè

gnificat *favorem, misericordiam, benevolentiam, misericordem & clementem voluntatem.* In hebræâ lingua usurpatur חָנַן gratia affecit, ex gratiâ donavit, gratuitò beneficium præstitit. LXX interpretes reddiderunt voce ἐλεέω misereor: Sic enim usurpatur, *Exod.* 33. *v.* 19. Miserebor, cui voluero, quod Apostolus reddidit, *Rom.* 9. *v.* 15. ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω. Sæpe in N. Testamento usurpatur vocabulum χαρίζομαι, & χαριτόω quod gratia complecti, & dona conferre significat. In hac igitur principali significatione gratia propriissimè opponitur debito, merito, & operibus nostris, ut, *Rom.* 3. *v.* 24. *justificati gratis per gratiam ipsius. Roman.* 4. *v.* 4. *operanti merces imputatur, non ex gratia, sed ex debito. Rom.* 6. *v.* 14. *Non estis sub lege, sed sub gratia, Rom.* 11. *v.* 6. *Si per gratiam jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia Eph.* 2. *v.* 8. *Gratia servati estis per fidem.*

23. Impropriè denotat. 1. Per Metonymiam causæ pro effecto beneficium, & donum Dei ex illo favore promanans, quod in scriptura appellatur græcè non tantum χάρις sed etiam ut effectum à causa significantius distinguatur χάρισμα: Ponitur igitur pro dono principium donationis, causa pro effecto. Gratia igitur in prima significatione est fons inexhaustus, ex quo omnis generis beneficia, & dona gratuita profluunt; In secunda significatione est rivulus ex illo fonte derivatus: Illa est salutis nostræ causa; hæc ipsa etiam complectitur effecta: Apostolus dicit, *Eph.* 4. *v.* 7. Unicuique vestrum donata est gratia secundum mensuram doni Christi, 1. *Pet.* 4. *vers.* 10. Gratiam ut quisque accepit in alterum administrantes. Stephanus dicitur plenus gratia, *Act.* 6. *v.* 8. De Barnaba dicitur, *Act* 11. *v.* 22. Cum vidisset gatiam Dei, gravisus est.

24. 2. Denotat gratiositatem, & comitatem, qua se quis aliis amabilem, & gratum reddit, ut *Luc.* 1. *v.* 26. 30. Maria dicitur gratiosa: Invenit gratiam apud Deum, *Eph.* 4. *v.* 29. Sermo vester adferat gratiam auditoribus. *Col.* 3. *v.* 16. Cum gratia cantate in corde vestro Domino.

25. Bellarminus lib. 1. de Grat. c. 1. p. 517. tres etiam numerat vocabuli *gratiæ* significationes, sed sensu longè alio: *Primum amplissima significatione,* inquit, *accipitur pro quovis beneficio Dei, sive illud naturale sit, sive naturæ ordinem gradumq; transcendat, ut Sap.* 16. *vers.* 25. *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deservit. Secundò pro supernaturalibus beneficiis, quæ non ex merito Christi, sed ex sola Dei liberalita-*

beralitate, neq; in indignos, & peccatores, sed in non dignos, & non justos conferuntur, quæq; non tam indebita, quam non debita nominanda sunt. Talem gratiam, ait, fuisse justitiam originalem. *Tertiò maximè propriè pro solis illis beneficiis, quæ non modo supernaturalia, & non debita sunt, sed etiam indignis hominibus ex Christi merito conferuntur, ut Rom. 3. v. 34. Justificati gratis gratia ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Rom. 6. v. 23. Stipendium peccati mors. Gratia Dei vita æterna.*

26. Resp. Distinctiones illæ gratiæ non sunt veræ, & justificationis articulo accommodatæ, nec sunt sufficientes. Veræ non sunt, nec huic negotio accommodatæ, 1. quia vel in sacris literis non inveniuntur, vel sunt ambiguæ, & à Pelagio ad sua pallianda somnia excogitatæ. 2. Locus ex *Sap. 16. v. 25.* allegatus est depravatus in editione vulgata: In græca enim editione legitur non vocabulum gratiæ, sed doni, non χάριτος, sed δωρεᾶς. 3. Justitia originalis nuspiam dicitur in scriptura gratia. 4. distinguere debebat Bellarminus inter χάριν & χάρισμα, gratiam, & donum gratiæ, causam & effectum, regenerationem, & renovationem: Gratia, qua justificamur, significat Dei misericordiam, & favorem, quo nos Deus complectitur, remittens peccata, & justificans gratis per Christum. Pertinet vero ad prædicamentum relationis, quod dixerunt Dialectici minimæ entitatis, & maximæ virtutis esse: Pendet enim remissio peccatorum simpliciter ex promissione, quam fides accipit, non ex nostris operibus, & meritis, sed ex eo, quod Deus gratuito nos ad se revocat, per compunctionem legis, ut agnoscamus eum largitorem esse gratiæ. Donum seu χαρίσματα sunt, quæ à Deo reconciliato per Christum, post remissionem peccatorum credentibus donantur, videatur *B. Lutherus Tom. 4. Jen. lat. super Psal. 51. p. 397.*

27. Denique sunt distinctiones illæ Bellarmini insufficientes: Principalis enim Gratiæ significatio, quæ significat clementem, & misericordem Dei voluntatem, omittitur.

28. Quæstio tertia: *Particula* GRATIS *quomodo usurpetur, & cur Apostolus Rom. 3. vocabulum gratis addat vocabulo gratiæ?*

29. Resp. Non punit Deus gratis, hoc est, non punit illos, in quibus nullam invenit causam *Ezech. 6. v. 10. cap. 14. v. 23.* Justificat vero gratis, hoc est, nihil in nobis invenit, propter quod justificet, *Rom. 3. v. 24. Justificamur gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo*

Christo Jesu. Augustinus dicit Tom. 10. de verb. Apost. ser. 15: *Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis, unde salves, & multum invenis, unde damnes,* Rationem verò hanc reddit idem Augustinus Tom. 7. lib. 3. contra Julianum cap. 18. *Bonus est Deus: Justus est Deus: Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quenquam sine meritis damnare, quia justus est.*

30. Notavimus igitur significationes vocabuli *gratis*, & cur illud Apostolus addat vocabulo gratiæ, cum propter particulam exclusivam magnus vocabuli ejus sit usus. Quare appellatio *gratis* opponitur 1. *pretii solutioni, seu satisfactioni,* denotatque idem, quod gratuito, ut *Gen. 29. v. 15: Nunquid servies mihi gratis, dic mihi quid mercedis accipies. Exod. 21. v. 2. Egrediatur gratis absque pecunia,* hoc est. Inveniat gratiam, ut sine pecunia liber dimittatur, 2. *Reg. 24. v. 24.* Non offeram Deo holocausta gratis, sine pretio acquisita. *Matt. 10. v. 8. Gratis accepistis. 2. Corinth. 11. v. 7. Gratis evangelizavi. Apocal. 21. v. 5. Accipiat aquam vitæ gratis.*

31. 2. *Opponitur veræ, & justæ causæ, & significat idem, quod temerè, iniquè, ut absque ratione ex levitate, & petulantia,* ut *Psal. 35. 19. Psal. 69. v. 5* Oderunt me gratis, *Psal. 109. v. 3. Psal. 119. v. 6* expugnaverunt me gratis, *Psal. 118. v. 161.* Persecuti sunt me gratis. *Proverb. 24. v. 28.* Ne gratis sis testis contra proximum. *Cap. 26. v. 2.* Maledicto gratis non eveniet, *Gal. 2. v. 21.* Christus gratis mortuus est.

32. 3. *Opponitur sperato, & intento eventui,* significatque idem, quod inaniter, & frustrà, ut *Gal. 2. v. 21.* Si per legem est justitia; Christus gratis mortuus est. 4. *Opponitur merito sive ad bonum sive ad malum,* ut 1. *Reg. 19. v. 5.* Quare peccabis in sanguine innoxio interficiens David gratis, *Cap. 25. v. 31.* Effundetis sanguinem gratis, 3 *Reg. 2. v. 31.* Auferes sanguines gratis effusos. *Syrac. 29. vers. 8.* Acquiret inimicum non gratis. *Jer. 15. v. 3.* Dabo thesauros tuos in direptionem gratis.

33. Prima, & ultima significatio locum habet in testimoniis Scripturæ, in quibus dicimur justificari gratis per gratiam. Particula igitur gratis explicat, limitat, & restringit vocabulum gratiæ. Nam gratia significat interdum beneficium renovationis, & dona, ut *Gen. 39. v. 4.* de Josepho dicitur: Invenit gratiam in oculis Potipharis. Additur autem: *Quia erat vir fortunatus,* hoc est, interprete Dn. Chemnitio part. 1. Exam. p. 251. propter egregia dona, quæ in Josepho animadverte-

madvertebat, diligebat, & magnifaciebat illum. Ne quis igitur opinetur eodem modo & nos gratiâ Dei justificari, & salvari, addit Apostolus particulam *gratis*, quæ ostendit. 1. Nullum in nobis hærere meritum justificationis, & salvationis. 2. Deum in nobis multas invenire causas, ob quas nos possit justè damnare. Denegat igitur sic homini meritum, ut ejus contrarium innuat, sicut dicitur, *Syr. 29. v. 8. Possidebit inimicum gratis*, hoc est, sine suo merito, cum contrarium potius esset promeritus. 3. Ne ullam in nobis inveniri rationem, quæ Deum ad gratiam impertiendam moveat. 4. Deum igitur nos indignos, & longe aliud meritos ex mera bonitate, & misericordia propter Filium recipere in gratiam, & acceptare ad vitam æternam, ut sit idem, quod David dicit: Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Et quod Daniel inquit: Non in justitiis nostris, sed in misericordia tua. Ambrosius particulam *gratis* his explicat verbis in cap. 3. Epist. ad Roman. cap. 9. *Justificati sunt gratis, quod nihil operantes, neq; vicem reddentes sola fide justificati sunt dono Dei*, hoc est, nec præcedentibus operibus meremur, nec consequentibus compensamus.

34. Quæstio quarta: *Vtrum gratia justificans, & salvans notet in epistolis Paulinis qualitatem inhærentem, & per modum habitus permanentem; An verò propriè gratuitum Dei favorem, clementem & misericordem voluntatem?*

35. Resp. Pontificiis gratia justificari est infusis qualitatibus, & bonis operibus justificari. Vocabulum igitur *gratiæ* docendi causa, non referunt ad prædicamentum relationis; Sed ad prædicamentum qualitatis. Concilium Tridentinum his verbis anathema dicit illis, qui statuunt gratiam, quâ justificamur esse tantùm favorem Dei. Sess. 6. can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.* Catechismus Rom. cap. de Baptismo pag. 310. *Gratia*, inquit, *est divina qualitas in anima hæreus, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasq; animas pulchriores, & splendidiores reddit.* Bellarminus lib. 2. de justific. cap. 3. *Gratia justificans, ait, non est solum favor Dei, sed donum animæ inhærens.* Costerus in Enchirid. scribit pag. 231. *In ho-*

minis peccatoris justificatione immittit Deus pro suâ misericordia in animam divinum, & admirabile quoddam Spiritus S. donum, videlicet gratiam, quæ est qualitas quædam divinitus infusa animæ, quâ non aliter fugantur peccata, quàm tenebræ adventu luminis: Per hanc accipit anima nitorem, divinamque pulchritudinem, quâ non modò jam dicatur, sed revera sit grata Deo, & homo gratia præditus jam nominetur, ut sit amicus, imò filius Dei. Stapletonus part. 2. Exp. 12. p. 348. *Duo*, inquit, *sunt in bonis operibus: Primum gloria illorum, & honor, & hic soli Deo debetur, juxta illud: Soli Deo, honor & gloria. Secundus est merces, & meritum eorum, & hoc homini Deus largitur. Operatur igitur Deus in nobis: fructum autem laboris vult esse nostrum.* Ibidem: *Quamobrem vitam æternam exspectamus à Deo, partim per gratiam illius, partim per merita bonorum operum.*

36. Docent verò Protestantes, gratiam, qua justificamur significare gratuitum favorem, & misericordem Dei voluntatem, quæ gratia, ut & Dei dilectio, est duplex, generalis, quæ apparuit, & illuxit omnibus hominibus, *Tit. 2. vers.* 11. & specialis, quæ solos respicit credentes. Probè verò in statu quæstionis distinguendum est 1. ex *Rom. 5. v. 15. 16. 17. inter gratiam, & donum per gratiam*: Nam justificatio tribuitur gratiæ, ut à dono distinguitur. 2. *Inter gratiam justificationis*, & renovationis: Illa cum hac quidem semper est conjuncta; sed propter illam solùm justificamur, & salvamur. Hunc esse legitimum controversiæ statum agnoscit Tannerus in 1. 11. Thomæ Disput. 4. t. 4. *Dari gratiam quandam creatam, ac inhærentem, eamq; tum habitualem, tum actualem, nec hæretici quidem universim negant. Illud in controversiam vocant, an gratia sanctificans, per quam verè, ac formaliter coram Deo justi sumus, sit inhærens animæ qualitas.*

37. Confirmamus igitur sententiam Protestantium sequentibus fundamentis 1. *Ab electione*: Quâ gratiâ sumus electi, eâdem justificamur: Habent enim se Electio, & Justificatio, ut decretum, & decreti executio. Apostolus dicit *Eph. 1. v. 3. 4. Benedixit nos quemadmodum elegit. Et 2. Tim. 1. v. 9. Salvos nos fecit, non secundum opera nostra, sed secundum præpositum, & gratiam, quæ data est nobis ante tempora secularia.* Atqui gratia, quâ sumus electi, non denotat qualitatem inhærentem, & habitum infusum, sed gratuitam, & meram misericordiam, atq; dilectionem, *Eph. 1. v. 4. Elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti. Rom. 9. v. 11.* Nondum natis pueris, cum neque boni quippiam feciſſent, neque mali &c. E. 38. 2.

38. 2. *Ab illustri antitheſi, quâ Apoſtolus gratiam hanc Dei, & opera quævis ſibi ἀντιφατικῶς, & è diametro in hoc negotio oppoſita eſſe confirmat*: Nam Apoſtolus in pertractando Articulo juſtificationis opponit gratiam debito, merito, legi, operibus. Ergo gratia juſtificans non ſignificat infuſum juſtitiæ habitum. Vel: Cui gratia opponitur, illud non ſignificat. Atqui gratia in Articulo juſtificationis opponitur infuſis qualitatibus, & bonis operibus, quæ ex hypotheſi Pontificiorum ſunt effectus infuſarum qualitatum. Ergo. Minor legitur paſſim in Scriptura, ut *Rom.* 4. *v.* 4. 5. 16. Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam. Ideò ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio. *Rom.* 3. *v.* 21. Sine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt. *Gal.* 2. *v.* 21. Si per legem juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt. *Cap.* 5. *v.* 4. Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis. *Rom.* 11. *v.* 6. Si ex gratia, jam non ex operibus. Itaque juſtificatio fit ſine operibus, licet non ſit ſine operibus.

39. 3. *Ab imputatione*: Quod imputari docet Apoſtolus, eſt extra nos & non denotat qualitatem nobis inhærentem. Atqui juſtitiam, per quam juſtificamur, imputari docet Apoſtolus, *Rom.* 4. *v.* 5. 6. 24. Ergo eſt illa extra nos, & non denotat qualitatem nobis inhærentem. Juſtitia verò imputatur nobis per gratiam. Ergo gratia juſtificans non eſt inhærens qualitas. Quemadmodum igitur Chriſtus nobis factus eſt peccator, non inhærente qualitate; Sed ſola imputatione, qua Deus in ipſo convenire fecit omniũ noſtrũ peccata. *Jer.* 56. *v.* 6. Et eũ, qui peccatũ nõ novit, pro nobis peccatũ fecit 2. *Cor.* 5. *v.* 2 Ita credẽtes in Chriſtũ juſti efficimur ut peccata quãvis intimè adhæreãt nobis, nõ tamen adjudicẽtur; juſtitia quãvis minimè inſit, ex Chriſto tamẽ imputetur.

40. 4. *A juſtificantis gratiæ æternitate*: Gratia, quâ juſtificamur, eſt æterna. Dona verò novitatis non ſunt æterna, ſed in tempore nobis obtingunt, quando Chriſto inſerimur, eumque induimus. E. dona novitatis non ſunt gratia, qua juſtificamur. Major legitur, 2. *Tim.* 1. *v.* 9. 10. *Salvos nos fecit, & vocavit vocatione ſancta: Non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum, & gratiam, quæ data eſt nobis per Chriſtum Jeſum, ante tempora æterna. Manifeſtata autem nunc per manifeſtationem Salvatoris noſtri.* Conjungit Apoſtolus propoſitum, & gratiam

Dei: Et dicit, gratiam esse nobis datam in Christo Jesu ante tempora secularia. Non igitur competit nobis per inhæsionem, nec renovatio ejus est causa. Minor, quod donum renovationis in tempore nobis obtingat, legitur, *Rom. 6. v. 3. 4. Quicunq; baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus. Sepulti igitur sumus, unà cum illo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum etiam Christus excitatus est ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Vide etiam, *Johan. 15. v. 2. 3.*

41. 5. *Ab effecto justificantis gratiæ, quod est vocatio:* Gratia, quâ justificamur, est causa vocationis. Atqui donum renovationis non est causa vocationis, sed hæc potius præcedit illam. Ergo donum renovationis non est justificans gratia. De Majore dicit Apostolus, *Gal. 1. v. 15. Deus vocavit me per suam gratiam.*

42. 6. *Ab exclusione gloriationis:* Quo justificamur, eo non possumus nos gloriari. *Eph. 2. v. 8. Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Atqui qualitatibus infusis, & bonis operibus potest quis gloriari, idque in allegato loco docet Apostolus. Ergo habitibus infusis non justificamur, nec gratia, quâ justificamur, significat qualitates infusas.

43. 7. *Ab æquipollentia, & συνωνυμίᾳ vocabulorum, & phrasium.* Nam in scriptura gratia, misericordia, φιλανθρωπία: dilectio, & Dei charitas συνωνύμως conjunguntur, istisque tribuitur justificatio, & salvatio. Non denotat igitur gratia justificans qualitatem infusam. Antecedens habetur, Rom. 3. v. 24. Justificati gratis per ipsius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Hic Apostolus nomine *justificationis* notat imputationem: appellatione *gratiæ ipsius* notat gratiam, non quæ in nobis, sed quæ in ipso est: Addit particulam *gratis*, ut limitet vocem gratiæ, ut in præcedenti ostendimus quæstione. Idem igitur Apostolus, quod *Eph. 2. v. 8.* dicit: *Gratia estis salvati*, sic explicat, *vers. 4. 5. Deus, qui dives est in misericordia, propter multam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, in Christo vivificavit.* Et sæpe gratiam, & misericordiam conjungit, ut *1. Tim. 1. v. 2. 2. Tim. 1. v. 2. 9. Tit. 1. v. 4. c. 3. v. 45.* Gratiam Dei vocat ἔλεον θεοῦ misericordiam Dei, *Tit. 3. v. 5.* Nominat benignitatem, & humanitatem, *Tit. 3. v. 4.* Apostolus Petrus. *1. Epist. 1. v. 3.* magnam misericordiam. Johannes, *1. Epist. 4. v. 9.* charitatem Dei: Et *Johan. 1. v. 16.* Dilectionem Dei, *v. 16. 17. De plenitu-*

plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia: Quia lex per Mosen data est gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Accipimus igitur ex plenitudine beneficiorum Christi, & quidem gratiam pro gratia, h e, gratis, vel propter Christum.

44. Bellarminus lib. 2. de Justif. c. 3. Disputat appellatione *gratis doceri Rom. 3. v. 24. favorem Dei; Sed appellatione per gratiam notari effectum illius favoris, nimirum justitiam infusam, quæ sit causa justificationis formalis.*

45. Resp. Invertimus argumentum: Nam quia gratia interdum significat novos motus, & renovationem, ideò additur vocabulum gratis, ut vocabulum gratiæ exponatur, & gratuitus Dei favor in Christo, & propter Christum nos acceptans, notetur.

46. Instat ipse, *Præpositio*, inquiens, PER, *non rectè accommodatur favori, & benevolentiæ, sed causæ formali, aut meritoriæ, aut instrumentali. Non enim rectè diceremus: Deus per suum favorem, aut per suam benevolentiam nos justificat, rectè autem dicimus, per gratiam inhærentem, per meritum Filii sui, per fidem, & Sacramenta justificat.*

47. Resp. 1. Præpositio *per*, non habetur in textu græco, in quo sic legitur: δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ χάριτι αὐτοῦ justificati gratis illius gratia 2. Præpositio *per* notat sæpe causam efficientem in scriptura, ut *Joh. 1. v. 3.* πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Omnia per ipsum facta sunt. 3. secundum suã misericordiam salvos non fecit, *Tit. 3. v. 5.* E. non per infusas qualitates.

48. 8. *Ex Rom. 5. v. 20. & quidem à superabundantia gratiæ, & peccati*, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia: Si ibi est gratia, & superabundat, ubi est injustitia, sequitur appellatione gratiæ justificantis intelligi non qualitatem infusam, sed Dei misericordiam, qua peccatores amplectitur. Atqui verum est prius. Ergo.

49. 9. *Ex Rom. 6. v. 14. 15. Non estis sub lege, sed sub gratia. Quid igitur? Peccabimus, quòd non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.* Si verò gratia justificans significat infusum habitũ, & inhærentes novas qualitates, nõ erit locus isti objectioni, quâ Pseudoapostoli objiciũt Apostolo, quod prædicando gratiam, & docendo Dei misericordia nos justificari destruat bonorũ operum studium, & præbeat ansam securitati.

50. 10. Ex *Rom. 3. v. 24.* & quidem ex his verbis: *Gratia justificamur*: Distinguunt enim Pontificii inter justos activè & passivè: Hi dicuntur justi per habitus infusionem: illi per ipsum habitum infusum:

At passiva est locutio *gratiâ justificamur*. Si igitur per gratiam habitus infunditur, sequitur per gratiam justificari, significare per qualitates infundi qualitates.

51. 11. Ex *Heb.4.v.16. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad oportunum auxilium.* Renati accedunt non ad novas qualitates, & auxilium ipsorum non est ex renovatione, sed à Deo misericorde, *Psal.123.* Ergo gratia justificans non denotat novas qualitates, & habitum infusum.

52. Non magni sunt momenti, quæ contra sententiam hanc opponuntur à Pontificiis: Examinabimus breviter nonnulla. Objectio igitur sit prima: Gratia, quâ justificamur denotat Dei donũ, χάρισμα, δώρημα, καὶ δωρεὰν. *Rom.5.v.15.16.17.* E. denotat qualitatẽ inhærentem.

53. Resp.1. Christus est datus nobis à Patre, & sic donum Dei. At Christus, ejusq; justitia formaliter nobis non inhæret. 2. Non omne igitur donum denotat qualitatem inhærentem. 3. Gratia Dei justificans est quidem donum Dei, quia gratis donatur, & confertur, *Eph.2.v.8.* sicut & vita æterna donũ Dei vocatur, *Rom.6.v.24.* sed non notatur per istud donum qualitas inhærens, quia describitur per dilectionẽ Dei *v.* 5.8. Et Apostolus accuratè distinguit inter gratiã, & donum per gratiã.

54. Objectio secunda: Quo modo constituti sumus injusti, eo modo constituimur justi, *Rom.5.v.19. Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores sunt multi: ita per obedientiam unius hominis justi constituentur per multi.* Atqui constat nos non constitui peccatores per imputationem *injustitiæ, quæ fuit in Adamo, sed per injustitiam nobis verè inhærentem, per modum habitus, quam contraximus ob inobedientiam hominis cujus filii sumus.* E. *justi etiam constituimur, si quid Apostoli antithesis valet, non per imputationem justitiæ, quæ est in Christo, sed per justitiam nobis verè inhærentem per modum habitus, quæ nobis infunditur ob Christi obedientiam, cujus per lavacrum regenerationis filii efficimur,* Bellar.lib.1.de Grat.c.4.

55. Resp.1. Scopus Apostoli est ostendere injustitiæ, & justitiæ originem, & utriusq; amplitudinem, & non utriusq; causam formalem, & propagationis modum, evidens est illud ex versu præcedente 18. *Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes ad condemnationem: Ita & per unius justificationem propagatur bonum in omnes homines ad justificationem vitæ.* 2. Non igitur facit mentionem inhærentis nobis injustitiæ, & justitiæ. 3. Nec dicit in præsenti, peccatores sunt, vel constituuntur,

tuuntur; Sed in præterito constituti sunt, ut manifestis doceat verbis, quod de origine nostræ vitiositatis loquatur; In antithesi verò utitur futuro, & quidem non sine gravi causâ. Non enim sufficit justitiæ acquisitio, sed requiritur ejus applicatio: Et renovatio inchoatur in hac vitâ, consumabitur in alterâ.

56. Objectio tertia: *Ex quo prosilit aqua in vitam æternam, ei inest fons. Atqui prosilit ea ex justificantis, Joh. 4. v. 15. cap. 7. v. 56. Ergo.*

57. Resp. 1. Quatuor sunt termini in illo syllogismo: Major n. loquitur de fonte propriè dicto; Minor de fonte metaphorico. 2. Occasionem arripiens Christus ex proposito Samaritanæ ad aquam hauriendam egressæ, concionatur ipsi de aquâ vivâ, per quam intelligit Dei Patris misericordiam, Christi meritum, & Spir. S. in credentibus obsignationem. 3. Vocat verò aquam vivam cum ratione fontis, qui est in Christo, tum ratione effectus, quia est aqua vivificans, quâ sitis agnitione peccatorum, & sensu iræ divinæ excitata restinguitur, ne in æternum eâ torqueamur, sed habeamus vitam æternam, videatur Chemnitius in Harmonia p. 212. 4. Fides est instar situlæ ex fonte aquæ vivæ h. e. ex Christo justitiam haurientis. Perennis igitur scaturigo manet in Christo. 5. Ex fide promanant rivuli bonorum operum, qui sua habebunt ex gratuita Dei promissione præmia.

58. Objectio quarta: *Quod effunditur in corda, illud revera inest, & est donum habituale cor attingens, & renovans. Atqui gratia justificans diffunditur in corda, Rom. 5. v. 6. Tit. 3. v. 5. Ergo.*

59. R. 1. Agit Apostolus *Rom. 5. v. 6.* de gratia, non qua nos Deum diligimus, sed quâ ipse diligit nos: Nam disertè *v.* 8. dicit: *Commendavit suam charitatem erga nos Deus, cum adhuc essemus peccatores.* 2. Chrysostomus super hunc locum scribit: *Non dixit, data est (dilectio) sed effusa est in cordibus nostris, liberalitatem ostendens.*

60. Objectio quinta: *Comparatur gratia rebus permanentibus pignori, sigillo, unctioni, semini, 2. Cor. 1. v. 22. 1. Joh. 2. v. 27. cap. 3. v. 9. Ergo est charitas habitualis,*

61. R. 1. In allegatis testimoniis intelligitur Spiritus S. in renatis habitans & promissiones Evangelicas in cordibus ipsorũ obsignans, *Eph. 1. v. 13. 14. 6. 4. v. 30.* 2. Si quis intelligere velit gratiã, distinguat oportet inter gratiam justificationis, & renovationis: Hæc enim ordine est posterior illa: Et cum sit coram Deo imperfecta, non potest in ea quæri nostra coram Deo justificatio.

62. Ob-

62. Objectio sexta: *Gratia justificans, & veritas per Christum est facta Joh.1. Atqui benevolentia Dei Patris per Christum non est facta. Ergo.*

63. Resp. Gratia justificans nec potest, nec debet considerari extra Christum Mediatorem. Non absurdè igitur dicitur factam nobis esse benevolentiam Patris: Nam 1. fundatur dilectio Dei in intercessione, obedientia, & satisfactione Christi. 2. Hinc Spiritus S. dicit, nos justificari quidem Dei gratia; Sed per redemptionem Jesu Christi *Rom.3.v.24.* Remitti nobis peccata, sed in sanguine Christi, *Rom.3.v.24. Col.1.v.14.* Deum mundum sibi reconciliasse; sed per sanguinem Filii, *Col.1.v.20.* A Deo nos diligi; sed in dilecto, *Eph.1.v.6.*

64. Objectio septima: *Gratia datur secundum mensuram ab ipso Christo Eph.4.v.7. At benevolentia Dei non datur ad mensurã, nec à Christo.E.*

65. Resp. Gratiæ appellatio vel sumitur propriè pro misericordi Dei clementia, & benevolentia; vel metonymicè pro gratiæ,& favoris effecto, ut in dicto allegato.

66. Quæstio quinta: *An gratia justificans distinguatur à charitate, qua nos Deum diligimus?*

67. Resp. Scribit Lombardus lib.1.Sent.dist.27. *Charitatem non esse habitum aliquem in nobis, sed ipsum spiritum S.* Rursus lib.2.dist.27. *Gratiam esse virtutem nobis à Deo infusam: Virtutem a. esse bonam animi qualitatem. Hinc altercati inter se sunt Doctores Scholastici de charitate, & gratia, sitnè utraq; habitus idem, an diversus.* Bellarminus quatuor enumerat discrepantes opiniones lib.1.de Grat.c.6. *Quidam re, & ratione gratiã & charitatem differre, ajunt: Alii non realem, sed formalem distinctionẽ agnoscunt. Alii neq; reipsa, neq; formaliter, sed tantum ratione differre, opinantur. Alii solo nomine differre statuunt. Bellarminus tertiæ subscribit opinioni.*

68. Missis illis ineptiis Pontificiis repetimus distinctionem *inter gratiam justificationis, & renovationis,* ad hanc pertinet quidem charitas, sed non est gratia justificans 1. Quia gratia gratum faciens, seu justificans est misericors Dei voluntas, in merito Christi fundata, & fide apprehensa *Rom.3.v.24.25.c.5.v.9. Eph.1.v.6.c.2.v.8. Tit.3.v.5.2.* Charitas est effectus gratiæ & hac posterior, 1. *Joh.4.v.10.* E. realiter non sunt idem.

69. Quæ pro sua opinione opponit Bellarm. *in illis confundit justificationem, & renovationem, causam & effectum, τὸ fieri, & τὸ agnosci, ἐνέργειαν fidei duplicem, prior est quæ in Christum verbo Evangelii monstratum recumbit, ejusq; beneficia apprehendit; Posterior est, quæ per charitatẽ operatur, Gal.5.v.6.*

FINIS DISPUTAT. L.

DISPUTATIO LI.

QVÆ EST DE GRATIA DEI POSTERIOR

Resp. Menone Hannekenio Butjadiâ-Frisio

THESIS I.

GRATIA Dei nos justificans quid sit, & significet ex Scripturâ in præcedente Disputatione ostendimus, atque quomodo à veritate Bellarminus aberret, gratiæ notionem vel nesciat, vel studiosè dissimulet, monstravimus, ipsiusque sophisticationes refutavimus. Pergimus igitur considerare & examinare partitiones gratiæ, quarum sex proponit Bellarm. lib. 1. de Grat. c. 2. *Prima partitio est in gratiam æternã, ac temporariam. Secunda in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem. Tertia in gratiam permanentem, sive habitualem, & gratiam auxilii specialis. Quarta in auxilium excitans, & auxilium adjuvans. Quinta in gratiam sufficientem, & efficacem. Sexta in operantem, & cooperantem.*

2. Balduinus Junius Bellarmini Compendiator talem partitionum earum fecit typum: *Gratia alia est æterna, alia temporaria. Temporaria est gratis data, vel gratum faciens. Gratia gratum faciens est permanens, seu habitualis, vel auxilium speciale. Permanens est fides, spes, charitas. Auxilium speciale est excitans, vel adjuvans, Auxilium adjuvans dividitur in sufficiens, & efficax, quod subdividitur in operans, & cooperans.* Quid de partitionibus his sentiamus, indicabimus ordine.

3. Quæstio prima: *Quid sit sentiendum de partitione Pontificia gratiæ in æternam, & temporariam?*

4. Resp. Bellarminus lib. 1. de Grat. c. 2. *Gratia æterna, inquit, ille est amor, quo nos Deus ante mundi constitutionem ab ipsa æternitate dilexit, in cujus gratiæ laudem, & gloriam nos à Deo prædestinatos esse, atque electos in adoptionem filiorum testatur Apostolus ad Eph. 1. Prædestinavit nos in laudem gloriæ suæ. Gratia temporaria dicuntur beneficia vocationis, & justificationis, quæ ex*

æterna gratia, ut effectus ex causa derivantur. Nam quos prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & justificavit, ad Rom. 8.

5. In proponenda verò partitione eâ Bellarminus non fuit memor notionum gratiæ capite primo ab ipso propositarum. Nam ad nullam illarum commodè referri potest. Deinde non distinguit Bellarminus inter gratiam justificationis, & renovationis, seu sanctificationis: Agit ipse de vocatione ad participationem bonorum Ecclesiæ & de justificatione, & appellatione temporariæ gratiæ, & intelligit qualitatem inhærentem: Scriptura verò intelligit favorem, misericordiam, & gratuitam Dei voluntatem, *Eph.* 2. *v.* 8. *Gratia estis salvati per fidē, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Aliud igitur est justificans gratia, & aliud donum per gratiam.

6. Tertiò non realiter videtur distinguere gratiam æternam à gratia temporariâ. Est verò gratia respectu sui una, & eadem. Nā in Deū non cadit distinctio temporum: Est enim ens simplicissimum, perfectissimum, & immutabile. Non datur igitur in Deo successio essentiæ: Ergo nec successio in duratione, quæ est existentia durans. Aliud est tempori coëxistere, & aliud in tempore existere: Deus coëxistit tempori, quia est quando tēpus est; Sed non existit in tempore, quia in se partes succedentes nō habet. Anselmus dicit in Monologio cap. 22. *Si usus loquendi admitteret, cōvenientus dici videretur, Deum esse in alio, quam cum dicitur esse cum alio. In nullo itaque loco, vel tempore propriè dicitur, quia omninò à nullo alio continetur, & tamen in omni loco, vel tempore suo quodammodo dici potest esse, quoniam quicquid aliud est ne in nihilum cadat ab essentia præsente sustinetur, in omni loco, & tempore est, quia nulli abest, & in nullo est, quia nullum locum aut tempus habet, nec in se recipit distinctiones locorum, aut temporum, aut illic, vel hic, vel alicubi, vel tunc, vel nunc, vel aliquando, nec secundum labile præsens, quo utimur, tempus est, aut secundum præteritum, vel futurū fuit, vel erit, quoniā hæc circumscriptorū, & mutabiliū propria sunt.*

7. Quare aliud est gratia, & aliud gratiæ opus, ejusq; manifestatio: Gratia Dei est æterna; opera ejus, ut missio Filii, collatio donorum, sunt temporalia.

8. Denique gratia, & dilectio Dei ratione objecti est duplex: Generalis, & specialis. Generalis dilectio est, qua Deus dilexit totum humanum genus, & hæc in tempore fuit manifestata per Filii missionem & Evangelii annunciationem; Specialis dilectio est, qua nos ab æterno dilexit, in dilecto, & elegit, hæc manifestatur in tempore per justifi-

cationem, & in sanctitate conservationē. Non distinguit Bellarminus inter gratiam generalem, & specialem, quia qua gratiâ nos sumus electi, eâdem nos vocari scribit.

9. Quæstio secunda: *An partitio gratiæ in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem sensu papistico sumpta sit erronea?*

10. ℟. Excogitarunt divisionem illam recentiores Scholastici: Bonaventura scribit: Gratia generaliter dicitur adjutorium divinū, creaturæ liberaliter, & gratis impensum ad quemcunq; actum indifferenter. Gratia gratis data est adjutorium divinitus datum, ut quis præparet se ad suspiciendum Spir. S. donum, quò perveniat ad statū meriti. Gratia gratum faciens est adjutorium divinitus datū ad merendum. Jesuitis gratia gratis data signi ficat peculiaria dona; Gratia gratis faciens infusos habitus. Bellarm. dicit lib. 1. de Grat. cap. 2. *Gratia gratis data est donum supernaturale, absq; ullo debito, ad aliorum spiritualem salutem præcipuè collatum.* 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt, &c. Gratia gratū faciens est donum supernaturale absq; ullo debito, ad propriam unius cujusq; spiritualem potissimū datū* 2. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Idem habet Becanus Tom. 1. opus. 9. p. 361. *Gratia dividitur in gratiam gratis datam, inquiens, & gratiā gratū facientem: Illa confertur homini ad utilitatem aliorum; Hæc ad propriā salutem, & justificationem.* Tannerus in 1. 11. Thomæ Disp. 4. th. 15. scribit: *Neq; putes, gratiam gratis datā, cujus partes quasdam subjectas numerat Apostolus.* 1. Cor. 12. *ideo gratis datam dici, quod gratia gratum faciens illi opposita, gratis data nō sit; Sed quia illa propriè, ac per se ad utilitatem aliorum, non habentis, ordinata, per se hominem Deo gratum non facit, ut ista: idcirco apud Theologos hæc quidem speciale, ac proprium nomen commeruit, illa commune generis nomen retinuit.*

11. Partitio v. illa Scholasticorum, & Jesuitarū 1. impingit in leges bonæ distributionis: Differentia n. generica nequit esse subjecta species. At partitio hæc facit ex gratiæ differentiâ genericâ speciem unā & huic adjungit alteram, quæ nuspiā datur, perinde ac si dicas: homo aliq; est rationalis, alius biceps. Nā omis homo est rationalis, & nullus biceps. Quare cū dari gratis sit genericum πάθος, nequit esse subjecta species.

12. Regerit Bellarminus pag. 519. *Partitio hæc non sic accipienda est,* inquiens, *quasi aliqua sit gratia non gratis data, sed unius speciei, quod proprio nomine careat, relinquitur proprium generis.*

13. Resp. 1. Omnis temporaria gratia gratis datur. E. hoc ipso non differt à gratia alia, & nequit esse contradistincta species. 2. Quicquid

non habet differentiam specificam, illud nequit esse species. Non habet verò eam gratia gratis data, à gratia generica. Ergo. 3. Quod igitur proprium non habeat nomen, causa est, quia caret differentia specifica & cum genere coincidit.

14. 2. Donum Spiritus solis renatis proprium non reperitur in non renatis. Atqui fides est donum spiritus solis renatis propria, *Phil. 1. v. 6. Deus, qui cœpit in nobis opus bonum. vers. 29. Ex gratia vobis donatum est per Christum non solum, ut credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. 2. Cor. 3. v. 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est. Joh. 6. v. 44. Nemo potest venire ad me nisi Pater eum traxerit. Phil. 2. v. 13. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere, pro bona voluntate sua.* Hinc dicitur *Col. 2. v. 12. Fides operationis Dei, Gal. 5. v. 23. Fructus Spiritus. Joh. 6. v. 29. opus Dei.* E. Quare errant Scholastici statuentes gratiã gratis datam interdũ reperiri in homine nondum renato, atq; fidem, discretionem Spirituum isti annumerantes. Nam novem præcipua gratiæ gratis datæ tradunt genera ex 1. Cor. 12. vers. 8. ut sunt: *Sapientia: scientia: fides: gratia sanitatum: Operatio virtutum: Prophetia: Discretio Spirituum: Genera linguarum: Interpretatio sermonum*, videatur Becanus p. 362.

15. 3. Quod non est, nequit realiter existentem constituere speciem. Atqui gratia gratum faciens sensu papistico explicata non est. Ergo. Nam non per justitæ qualitatem inhærentem, sed per solam justitiam Christi per fidem nobis applicatam, & nobis imputatam, nos Deo acceptos reddi, ostendimus in Disputatione præcedente. Salvator dicit, *Luc. 17. v. 10. Si omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* Itaq; non est in nobis gratia gratum faciens. Apostolus ait, *2. Cor. 5. v. 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Et Rom. 4. v. 5. 6. Ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam. Quemadmodum & David explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat justitiam absque operibus.*

16. 4. Omne Dei donum, & quicquid gratis datur, ad gratiam gratis datam, & non ad gratiam per inhærentem qualitatem gratum facientem est referendum. Atqui quicquid est in nobis vel virtutum, vel bonarum qnalitatum, illud est donum Dei, & gratis datum. *Omnis donatio bona, & omne donum bonum cœlitùs est à Patre luminum. Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ergo.

17. Di-

17. Dictum prius, quod allegat Bellarminus ex 1. *Cor.* 12. *v.* 4. non agit de beneficiis vocationis, & justificationis, sed de donis miraculosis Ecclesiæ Apostolicæ potissimum competentibus. Alienum igitur est. Posterius, quod allegat ex 2. *Cor.* 12. *v.* 9. nihil habet de gratia gratum faciente, quæ sit habitus infusus; intelligi debet de gratuitâ dilectione Dei erga Paulum, utpote de gratuita ejus vocatione, justificatione sanctificatione, & assistentiâ divinâ. Ambrosius dicit super locum hunc: *Hoc sibi dicit responsum, ut sufficeret sibi gratia Dei, qua aut vires tolerandi addebantur, aut tempus pressuræ abbreviabatur, ut devotio dum infirmitate pressuræ accedentis, non frangitur, probata videatur.*

18. Quæ porrò disputat Bellarminus cap. 6. & Becanus cap. 1. th. 4: de subjecto gratiæ gratum facientis, quod ille dicit essentiam animæ; Hic potentias animæ, illa nos missa facimus. Quod enim non est, ejus subjectum, cui realiter inhæreat, ut indagemus, necessarium non est.

19. Quæstio tertia: *Num consentiat cum scriptura Pontificiorum divisio gratiæ gratum facientis in gratiam permanentem, & auxilii specialis?*

20. Resp. Bellarminus, *tertia partitio est gratiæ gratum facientis*, ait, *in gratiam permanentem, sive habitualem, gratiam auxilii specialis. Gratia permanens dicuntur habitus infusi, fidei, spei, & charitatis. Gratia auxilii specialis definiri posse videtur his verbis: Est motio Dei, qua homo ad operationes, quæ naturam suam aliquo modo superant, adjuvatur.* Becanus Tom. 1. pag. 362. th. 4. *Gratia gratum faciens*, inquit, *dividitur in habitualem, & actualem. Habitualis complectitur omnes habitus supernaturales, qui nobis à Deo infunduntur, cujusmodi sunt Fides, spes, charitas, & Gratia justificans. Fides est in intellectu: Spes & charitas in voluntate: Gratia justificans in essentia animæ. Actualis dividitur quatuor modis, in excitantem, & adjuvantem, &c.* Tannerus in 1. 11. Thomæ Disp. 4. t. 13. 14. *Ad gratiam habitualem*, inquit, *pertinent, tum in primis ipsa gratia sanctificans, tum tres virtutes theologicæ, item septem dona Spiritus S. Ac demum virtutes quoq; morales infusæ, etsi quæ etiam ex gratiis gratis datis, in habitibus censeri possunt. Ad actualem gratiam spectant, tum actus omnes virtutum, ac donorum supernaturalium; tum omnia auxilia actualia gratiæ, ac in primis divinæ inspirationes, illuminationes, ac motiones Spiritus S. quas sibi excitans gratia propriè vindicat.*

21. Quamvis verò non negemus, dari gratiam habitualem, siquidem per quotidianam carnis mortificationem, & pietatis exercitium, re-

um renati habitualiter fiunt boni, sunt justi, & justè operantur: Non tamen partitionem illam sensu Pontificio approbamus. 1. Quod non est, ejus frustrà fingitur partitio; Non entis nullæ sunt affectiones. Atqui gratia habitualis gratum faciens non est. Ergo.

22. 2. Quæ totis differunt prædicamentis, non sunt propriè species ejusdem proximi generis. Atqui gratia habitualis, & actualis, seu auxilium totis differunt Prædicamentis: Illa enim docendi causa refertur ad Prædicamentum qualitatis; Auxilium ad Prædicamentum actionis. Ergo.

23. 3. Quicquid fit paulatim, pedetentim, & propediem, illud non perfectè infunditur primo conversionis tempore. Atqui habitus renovationis, charitatis & aliarū virtutum producitur in conversis paulatim, pedetentim, & propediem. Ergo. Peccatis enim remissis incipit fieri renovatio, sequitur carnis, & veteris Adami mortificatio, & novi hominis productio. Docet id imaginis Dei in homine restitutio. Nam per renovationem restituitur in homine habitus justitiæ, & sanctitatis, adeòq; paulatim recuperatur amissa imago Dei. *Eph.* 4. *v.* 23. 24. Unde renati dicuntur nova creatura. *Gal.* 6. *v.* 15. Docet idem veteris & novi hominis oppositio: Nominatur enim vetus homo ab injustitiâ cum actuali, tum maximè ab habituali. Ergo novus homo nominatur à justitia cum actuali, tum maximè ab habituali, quæ paulatim recuperatur, ut novus resurgat homo, *Eph.* 4. *v.* 24.

24. 4. Quæ gratia nos Deo reddit gratos, ea justificat. Atqui auxilium speciale, de quo philosophatur hoc loco Bellarminus, nos non justificat, quia ipse Bellarminus auxilium aliquod nominat inefficax; Et justificationem adscribit charitati habituali. Ergo.

25. 5. Is dicitur adjuvari, qui aliquid potest, sed sibi non sufficit. Jam verò homo ex suis viribus in spiritualibus nihil potest, est in eis mortuus. E. in eis opus habet non adjutione, sed nova creatione, *Eph.* 2. *v.* 1. *Cum essetis mortui in peccatis, Deus vivificavit vos in Christo, cap.* 3. *v.* 10. *sumus factura Dei, creati in Jesu Christo. Gal.* 6. *v.* 15. *In Christo Jesu nihil valet nisi nova creatura Psal.* 121. *v.* 2. *Auxilium meum à Domino, qui fecit Cœlum & terram.* Vires igitur hominis in spiritualibus sunt omnino fractæ. Nihil igitur ipse potest in reparatione salutis.

26. Distinctio virtutum habitualium respectu subjectorum, quam proponit Becanus 1. repugnat ex parte Scripturæ: Nam justificamur

camur non gratiâ nobis inhærente, sed imputatâ. 2. Virtutes in eo dicuntur esse subjecto, quod dirigunt, & perficiunt. Cum autem quædam virtutes perficiant intellectum, quædam voluntatem, ideò vel intellectui, & voluntati dicuntur inesse. 3. Fides distinctas habet partes, ex quibus quasi composita est, ut sunt, notitia, assensus, & fiducia, Johan. 14. *vers.* 10. 11. 12. Partes hæ consideratæ ut unum quid sunt, unum habent subjectum, nimirum animam; consideratæ ut diversæ partes in distinctis sunt animæ potentiis.

27. Quæstio quarta: *Quid sit sentiendum de partitione auxilii specialis in auxilium excitans, & auxilium adjuvans.*

28. Resp. Bellarminus, *quarta partitio, inquit, est auxilii specialis, in auxilium excitans, & auxilium adjuvans; ad gratiam auxilii excitantis divinæ illustrationes, atque inspirationes pertinent, quibus Deus cor nostrum pulsat, ut à somno peccati, vel negligentiæ in bonis operibus excitemur: Ad gratiam auxilii adjuvantis spectat divina cooperatio, directio, ac protectio, quibus juvamur, tum ut eligamus, tum ut faciamus, quod Deus prævenies inspiravit, Apoc. 3. v. 20. Ecce sto ad ostium, & pulso: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam.* Becanus dicit Tom. 1. p. 362. *Gratia excitans consistit tum in illustratione intellectus; tum in pia motione voluntatis. Dicitur autem excitans, quia excitat, allicit, & invitat voluntatem nostram ad liberum boni operis consensum: Et operans, quia sola quodammodo operatur nostrum consensum, non quidem physicè, & effectivè, sed formaliter: Sola enim est, quæ allicit, & suadet voluntati ut consentiat. Adjuvans est, quæ juvat voluntatem nostram, & effectivè cum eâ concurrit ad consensum boni operis efficiendum. Unde & cooperans dicitur, quia cum voluntate cooperatur: Et subsequens, quia subsequitur prævenientem seu excitantem.* Videatur etiam Tannerus p. 396.

29. Terminos hos non simpliciter improbamus, ut nec ipsam partitionem dextrè explicatam. Colligi enim potest ex Scripturâ, ut ex illo *Eph. 5. v. 14. Excitare qui dormis, & illucescet tibi Christus.* Gregorius dicit Homil. 9. in Ezech. *Nos prævenit, ut velimus; & volentes subsequitur, ne inaniter velimus.* Augustinus scribit lib. de nat. & grat. c. 32. *Deus prævenit, ut sanemur, subsequitur, ut sanati vegetemur: prævenit, ut piè vivamus; Subsequitur, ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere.* Et in Enchir. c. 32. *Voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Ibidem: *Misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.*

30. Qua-

30. Quare non simpliciter ipsos terminos, sed terminorum explicationem sensu Pontificio intellectam improbamus. Adscribunt enim aliquid viribus nostris in conversione. At non sumus idonei, ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed si aliquid idonei sumus, id ex Deo est, 1. *Cor.* 2. *v.* 14. In peccatis enim concepti sumus, *Psa.* 51. *v.* 7. Itaque figmentum cordis humani malum est à pueritia, *Gen.* 8. *v.* 41. Sumus filii iræ *naturâ*, *Eph.* 2. *v.* 3. Quare homo in conversione habet sese merè passivè. Deus aufert cor lapideum, & dat cor novum, *Ezech.* 36. *v.* 26. *c.* 11. *v.* 19. *c.* 32. *v.* 39. Sicut igitur lapis seipsum non emollit, ita homo semetipsum non evertit. Deus operatur in nobis & velle, & perficere, *Phil.* 2. *v.* 13. Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi nõ acceperis? 1. *Cor.* 4. *v.* 7.

31. Quæstio quinta: *Quid sit sentiendum de partitione gratiæ in gratiam sufficientem & efficacem?*

32. Bellarminus scribit lib. 1. de Grat. c. 2. *Quinta partitio est auxilii, sive gratiæ in auxilium sive gratiam sufficientem, & efficacem. Auxilium sufficiens dicitur, quo Deus ita hominem vocat, & excitat, & juvare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut revera possit ille sic excitatus, & vocatus, velle credere, velle converti, velle bonum aliquod facere. Auxilium efficax dicitur, quo Deus ita hominem vocat, & excitat, & juvare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est,* ut infallibiliter reipla velit ille, qui sic excitatur, & vocatur, *& reipsa credat, convertatur bonum faciat.* Capite 11. 12. 13. duas pertractat de partitione hac quæstiones. Prior est, an partitio hæc sit admittenda. Posterior unde sumatur efficacia gratiæ, sive quid propriè sit gratia efficax.

33. Becanus eandem proponens partitionem Tom. 1. pag. 364. *Gratia efficax est, inquit, quæ effectum habet in nobis; Sufficiens, quæ potest quidem habere effectum, re ipsa tamen non habet. Alii vocant efficacem, & inefficacem: Alii congruam, & non congruam.*

34. Tannerus in Thomam pag. 396. th. 24. *Gratia sufficiens,* inquit, *ut contra efficacem distinguitur, generatim est gratia, qua cum aliquis potest converti, suamve salutem operari, etsi suo vitio interim, re ipsa non convertatur. Efficax autem illa, cui ut individuus comes nectitur consensus, sive conversio.*

35. Ostendit Becanus l. d. partitionem illam ex Augustino, & ex Scriptura: *Utriusque*, inquiens, *meminit Augustinus in libero de correptione &*

ne & gratia cap. 11. 12. *Et lib.* 1. *ad Simplicianum, q.* 2. *De efficaci intelligendum est illud* Joh. 6. Omnis, qui audierit à patre, & didicit, venit ad me. *De sufficiente, seu inefficaci illud,* Act. 3. v. 51. Vos semper Spiritui S. resistitis.

36. Tannerus dicit pag. 396. *dari aliquam gratiam sufficientem, quæ non sit efficax, non minus ex fide certum est, quam dari gratiam excitantem, quæ suo effectu careat, adeòq; converti potuisse multos ad Deum, qui reipsa conversi non sunt, de quibus dicitur Esa.* 5. *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ. Esai.* 65. *Rom.* 10. *Tota die expandi manus meas ad populum meum non credentem, & contradicentem. Prov.* 1. *Hierm.* 7. *Vocavi vos, & non respondistis. Matt.* 23. *Quoties volui congregare filios tuos. Act.* 7. *vos semper spiritui S. resistitis. Quisquis igitur hanc gratiæ divisionem è medio tollit, aut impiè in fidem impingit; aut inscitè de vocibus malè intellectis contendit.* Videatur etiam Bellarminus lib. 1. de Grat & Lib. Arb. c. 11.

37. Frustrà verò partitionem ipsam contra nostros laboriosè probant Pontificii, siquidem non simpliciter eam improbamus. Quemadmodum enim voluntas, & potentia Dei alia est simplex, & alia conditionalis: quemadmodum aliud est ad participationem bonorum Ecclesiæ vocatio, & aliud vocationis singularis dispensatio: quemadmodum conversio alia est ordinaria: alia extraordinaria, singularis & miraculosa: Ita & gratia est ordinaria vel extraordinaria. *Voluntas Dei simplex est, quæ nullam habet adjunctam conditionem.* Itaq; fit semper, *Psal.* 113. v. 3. Damascenus dicit lib. 2. cap. 29. *Quæcunque vult, fiunt. Voluntas Dei conditionata est, quæ conditionem habet additam.* Non igitur fit, nisi conditio impleatur.

38. Potentia absoluta dicitur posse suum, vel potestas sua absolutè considerata sine respectu habito ad aliquod attributum divinum: vel, *Potentia Dei absoluta dicitur, quæ simpliciter & absolutè id respicit omne, quod non includit contradictionem.* Potentia ordinata dicitur, potentia Dei ordinata ad aliquod attributum, vel *potentia ordinata vocatur, quam Deus in agendo exercet conformiter ordini, & legibus à se statutis.* Nomen igitur hæc habet ab executione secundum ordinem; A quo illa est absoluta. Itaque voluntas simplex est, quæ agit secundum potentiam absolutam, hoc est, quando Deus facit simpliciter, quod non involvit contradictionem, non habita ratione ordinis.

39. Vocatio est universalis ratione Dei intentionis, ratione mandati, ratione universalium promissionum, & ratione ipsius executio-

nis; Dispensatio vocationis est singularis, ut quando quis vocatur extraordinariè, & miraculosè.

40. *Conversio ordinaria est, quæ fit per verbum, & Sacramenta, quæ sunt verbum visibile:* Per verbum enim Deus mentem illustrat, ut intelligat verbum, & voluntatem movet, ut verbo intellecto assentiatur, & in eo acquiescat. *Conversio extraordinaria est, quæ immediatè fit ab ipso Deo, vel miraculosè, & quidem infallibiliter.* Exempla hujus conversionis habemus in Abrahamo, & Paulo: Ille enim idololatra existens; hic Christum, ejusque discipulos persequens vocabatur ad Ecclesiam & ad fidem, & extraordinariè convertebatur. Causam verò conversionis hujus petunt nonnulli ab his ipsis eximiis organis: Prævidisse, ajunt, Deum, Abrahamum, & Paulum eximia, & singularia organa in Ecclesia Dei fuisse futura. Ideóque per singularem dispensationem eos esse vocatos, & conversos. Alii exempla hæc ad occultas referunt vias, & ad profunditatem divitiarum sapientiæ Dei. Proinde in Dei acquiescunt voluntate.

41. Sic gratia Dei alia est ordinaria, & alia extraordinaria: Hæc provenit à voluntate Dei simplici; Illa à voluntate Dei conditionali, & ordinata. Illa non absurdé dici potest sufficiens: hæc efficax. Quemadmodum enim duplex est agendi modus absolutus seu extraordinarius & ordinatus, ita & gratia Dei est extraordinaria, vel ordinaria: Illa provenit à voluntate, & potentia Dei absoluta. Itaque est, & dicitur ineffabiliter efficax; Hæc provenit à voluntate, & potentiâ Dei ordinatâ, & conditionatâ. Itaq; licet semper sit sufficiens, non tamen semper est efficax.

42. Quare gratia ordinaria, & extraordinaria distinguuntur respectu agendi modorum. Gratia verò Dei ordinaria, quæ omnibus offertur, & exhibetur hominibus licet respectu sui sit sufficiens, ab eventu tamen dici potest inefficax. Efficax igitur dicitur respectu conversorum, sed sufficiens quidem in se, verum inefficax respectu non conversorum, quia non sortitur actu ipso, quod sua vi sortiri poterat: Est enim verbum per se efficax ad salutem medium, *Rom. 1. v. 16.*

43. Desideramus verò in partitione illa sensu Pontificio intellectâ sequentia: Primò facit Bellarminus gratiam sufficientem, hoc est inefficacem speciem gratiæ gratum facientis. Si igitur gratiam inefficacem non ab eventu, sed per se inefficacem statuat, ita ad absurdum opinio-

opinionem illam deducimus: *Nulla gratia gratum faciens est per se inefficax. Atqui quadam gratia gratum faciens ex mente adversariorum est per se inefficax. Ergo quadam gratia gratum faciens non est gratia gratum faciens.*

44. Secundò non explicant adversarii, uti debebant gratiam efficacem, atque propterea non ex Scriptura, sed ex suis præconceptis respondent opinionibus, si ex iis quæratur, qui fiat, quod, licet idem verbum eadem gratia omnibus auditoribus offeratur, non tamen omnes convertantur? Quid gratiam illam in illis auditoribus faciat efficacem, in his inefficacem?

45. Bellarminus lib. 1. de Grat. cap. 12. tres recensèt hac de re opiniones. *Prima opinio eorum est*, inquit, *qui gratiam efficacem constituunt in assensu, & cooperatione humanâ, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, & ideò sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque existimant hi autores, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quæ alioquin ex se non esset nisi sufficiens.* Hanc opinionem alienam esse à sententia Scripturarum divinarum rectè dicit.

46. Alteram sententiam esse, ait, eorum, *qui docent gratiam, efficacem esse actionem Dei physicam, quæ determinat voluntatem ad volendum, & eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum; & quia non potest fieri, ut Deus physicè determinet voluntatem, quia ipsa voluntas determinetur, ideò fieri non potest, ut gratia ista non habeat effectum infallibilem*: Et hanc sententiam improbat.

47. In propria verò proponenda opinione valde dubius est, modò facit cum Calvinianis modò cum reliquis Pontificiis: Nam cap. 12. lit. C. refert in arcanum divinæ voluntatis, cur uni detur gratia efficax, alteri non detur. Refutat ibidem reliquos Pontificios, qui censent, gratiam ideò sortiri effectum, quia voluntas humana cooperetur. At sui oblitus cap. 13. lit. C. Eandem opinionem, quam in præcedente capite improbaverat, approbat: Nam causam, cur duo, qui eâdem gratia vocantur, non simul convertantur, refert ad liberum arbitrium, in hoc tamen ab aliis nonnullis dissentiens, quod primariam inæqualitatis hujus causam referat ad voluntatem Dei, secundariam ad liberum arbitrium. Alii nonnulli contrà primam inæqualitatis hujus causam in libera hominis operatione collocant.

48. Pariter lubricus est Tannerus: Nam modo cooperationem improbat, modò approbat Disp. 4. t. 26. scribit: *Gratiæ efficacis appellatio quanquam ita explicari possit, ut generatim complectatur omnia auxilia gratiæ, etiam adjuvantis, quæ per modum sive principii, sive actualis concursus Dei ad conversionem adjuvant; per quandam tamen antanomosiam tribuitur illi gratiæ vocanti, quam Scriptura, respectu prædestinatorum, vocationem secundum propositum Rom. 8. Augustinus etiam altam, atq; secretam, & quâ nonnulli congruenter vocantur; multi Scholastici recentiores congruam dixerunt.* Et th. 27. scribit: *Unde fit, ut gratia efficax hac quidem ratione, in actu secundo (quasi efficiens dicta) sit ipsa gratia excitans sive praveniens, quatenus cum libero arbitrio per gratiam cooperante, reipsâ efficit consensum.*

49. Reliqui verò Pontificii plæreque absque ejusmodi ambagibus causam inæqualitatis hujus ponunt in libero hominis arbitrio. Becanus Tom. 1. de Auxiliis gratiæ pag. 366. t. 6. 7. scribit: *Gratia ex se habet quidem vim sufficientem ad agendum, sed tamen quia vis illa partialis est, non potest exire in actum, aut habere effectum, sine cooperatione liberi arbitrii; ac proinde, ut effectum habeat, & sit efficax in actu secundo, pendere à libero arbitrio. Si ergo quæratur prima radix: quare hæc gratia sit efficax, illa inefficax, recurrendum est ad liberam cooperationem voluntatis.*

50. Idem his proponit verbis Gregorius de Valentiâ: *Quia cum hic esset liber, ut Deo efficaciter adjuvante converteretur, eamq; ipsam gratiam ab eodem adjutus per conversionem suam tanquam per aliquid prius in alio genere (scilicet causæ naturalis) acceptaret. Ita planè conversus est & eam gratiam acceptavit, scilicet ab eadem adjutus. Alter autem cum ad id faciendum liber quoque esset, id non fecit. Quapropter is, qui id non fecit, soli suæ voluntati debet adscribere, quod non fecit, sed inprimis gratiæ efficaci Dei, & simul etiam suæ voluntati, ut adjutæ per eam gratiam. Atq; ita gloriari potest, non quidem in se solo, sed tum in Domino, tum deinde in se, cum adjutorio gratiæ consenserit, & cooperatus fuerit Domino.*

51. Ut verò sententiam Scripturæ hac de re ordine examinandam exhibeamus, subsequentibus eam includimus propositionibus. Sit prima: *Causa inæqualitatis hujus, seu inæqualis eventus non est ipse Deus, nec ordinaria offerens gratia.* Nam apud Deum non est προσωπολημψία, *Act. 10. v. 28. 34. Gal. 2. v. 6. Eph. 6. v. 9. Col. 3. v. 25. 1. Pet. 1. v. 17.* Quia verò dives est in misericordiâ, decretum hoc reparationis fecit de genere humano lapso, & reparando: *Semen mulieris conteret caput serpentis, Gen. 3. v. 15.*

3.v.15. Hanc igitur promissionem omnibus offert, ejusque vult omnes fieri participes. Quare serio, internoque beneplacito vult Deus omnium, singulorum hominum salutem, 1. *Tim.* 2.v.4. *Tit.*2.v.11. *Rom.* 11.v. 32. *Matt.*11.v.28. *Ezech.*18.v.33. *cap* 33 v.11. 2. *Pet.*3.v.9.

52. Propositio secunda: *Quare causa illius inæqualitatis non est collocanda in absoluto aliquo decreto efficaciam gratiæ impediente.* Horribile enim illud decretum non tantum ignorat, sed etiam damnat Scriptura. Sumus enim electi voluntate Dei misericordi, *Eph.*1.v.34. *Joh.* 13.v. 18. 2. *Thess.* 2.v.13. *Rom.*11.v.5. 2. *Tim.* 1.v.9. Ergo non voluntate & decreto horribili. Deinde Electio est ordinata misericordi Dei voluntate, fundata in merito Christi, & fide apprehensa, *Eph.* 1. *vers.* 4.5.6.9.2. *Thess.* 2.v.11. *Johan.*3.v.16.c.6.v.40. 2. *Tim.* 1.v.9. 1. *Cor.*1.v 21. *Jacob* .2.v. 5. Ergo non est absoluta.

53. Propositio tertia: *Causa illius diversi eventus non est petenda à particularitate meriti Christi*: Nam Christus non pro electorum tantùm sed pro omnium, & singulorum hominum, etiam istorum, qui pereunt peccatis satisfecit, eos redemit, & Patri reconciliavit, 1. *Joh.* 2.v.2. *cap.* 4.v.14. 1. *Tim.* 3.v.16. 2. *Cor.*5.v.19. *Rom.*14.v.16. 1. *Cor.*8.v.11. *Heb.*6.v. 4.5.6.c.10.v.26.27.28.29. 2. *Pet.*1.v.9.c.2.v.1. *Joh.*15.v.1.

54. Propositio quarta: *Causa hujus inæqualitatis, & diversi eventus non est ponenda utrinq; in liberi arbitrii cooperatione, seu in liberâ voluntatis cooperatione.* Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti: Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. *Cor.*4.v.7. Ex hoc loco solidè, sed contra semetipsum sic infert Bellarminus pag. 560. *Si vera esset opinio istorum, fidelem ab infideli planè discerneret liberum arbitrium: Nam si duo sint, qui eundem concionatorem audiant, & eundem interius inspirationem habeant, & unus credat, alter non credat, nonne dicere poterit is, qui credidit, se discerni ab infideli per liberum arbitrium; quia ipse inspirationem acceperit, quam alter rejecit? Nónne gloriari poterit contra infidelem, quod ipse Dei gratia cooperatus sit, quam ille contempsit? Et tamen Apostolus hoc omninò prohibet, & ideò non solùm posse credere sed etiam ipsum credere, dicit, esse donum Dei, Phil.*1. v. 29. *Et Deum in nobis operari non solùm ut possimus velle, sed etiam ut velimus, Phil.*2 v.13.

55. Nos hinc ita inferimus: Quo non potest fidelis contra infidelem gloriari, illud non est inæqualitatis, & eventus hujus causa. Atqui libero arbitrio, seu libetâ voluntatis cooperatione in ipsa conver-

sione non potest fidelis contra infidelem gloriari. Ergo. Deinde donum solius Dei non pependet originaliter à facultate virium humanarum. Atqui & posse credere, & ipsum credere est donum Dei. E. Tertiò: Qui solus operatur in nobis ut possimus velle, & ut velimus, ille solus eventus hujus & inæqualitatis est causa. Atqui illa operatur Deus. E. Quartò mortuus nihil confert ad sui vivificationem. Atqui homo non renatus in spiritualibus est mortuus, *Col.2.v.13. Eph.2.v.1. Matt.8.v.22.* E. in illis nihil confert ad sui vivificationem: Et per consequens non est ponenda eventus hujus causa in liberi arbitrii cooperatione.

56. Propositio quinta: *Vera inæqualitatis, & eventus hujus causa ponenda est in hominis liberè repugnantis malitia, & contumacia. Prov.1.v.24.25.* Vocavi, & renuistis: Extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Similia vide *Esai.65.v.11. cap.66.v.4. Jer.7.v.13. Matt.23.v.37. Act.7.v.51. 13.v.45. Ex his sequentia colligimus* 1. *In hominis potestate est verbo repugnare, vel non repugnare,* 2. *Audientes verbum Dei & illi repugnantes, non convertuntur; Illi verò non repugnantes, convertuntur.* 3. *Inefficax redditur gratia ob hominis actualem malitiam, & hostilem repugnantiam.* 4. *Quævis igitur efficacitas gratiæ sit ordinatè à Deo, inefficacitas tamen est ab homine.* 5. *Addimus, repugnantiam esse posse majorem, vel minorem ob circumstantias.* Hinc Legisperitus propior dicitur regno Dei, quã cæteri Pharisæi pertinaciores, *Marc.* 7. Et divites longè difficilius salvantur, quam pauperes, *Matt.*19.

57. Contrà adversarii efficacitatem giatiæ à liberi arbitrii cooperatione dependere vociferantes, sic insurgunt. 1. *In quo reliquum manst, quod ipsum ἀναπολόγητον coram Deo reddat, in illo manst aliqua rerum divinarum, quæ ad vitam immortalem pertinent, cognitio. Atqui in homine irregenito manst, quod ipsum ἀναπολόγητον coram Deo reddat Rom.1.v.20.* Ergo. 2. *Qui se in obsequium Evangelii addicit, causa est istius addictionis. Atqui homo se in obsequium Evangelii addicit, Joh.6.v.4. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Ergo.* Vel ita: *Qui se in Evangelii obsequium addicit, & assensum Evangelio præbet, ab illo non tantum est velle, sed etiam bene velle. Atqui voluntas se in Evangelii obsequium addicit, & Evangelio assensum præbet homo. Ergo.*

58. Major illustratur præsuppositahac distinctione, quod actio sit vel indifferens, vel per se bona, & honesta: In actione indifferente & adiaphora ad finem bonum comparata distingui potest inter actũ, qua indiffe-

indifferens est, & ejus bonitatem extrinsecus advenientem; Sed non in actione per se bona & honesta. V.g. Ne concipi quidem potest, quomodo à voluntate sit velle bonum, velle converti, obedire Deo, credere in Christum; A gratia verò bene credere, obedire, velle bonum; cum ab illis actionibus inseparabilis sit bonitas, & per se honestatem habeant, Certè in actu benevolendi, numero non differt actus volendi, ab eodē, quatenus est benevolendi actus. Bonitas n. nō est aliquid superadditum actui per se bono. Hocigitur superadditum esse nequit causa multitudinis in actu, cui adhæret, quia bonitas: si forte modificat actionem tamen non facit, ut actio bona numero, differat à se, qua actio est. *Quare cujus in sui conversione est & velle, & bene velle, ille est etiā causa fidei & regenerationis. Atqui voluntatis est velle, & bene velle.* E. Nam de eodem actu singulari, puta fidei, aut pietatis non dixeris unquam, velle credere, velle piè vivere esse voluntatis; At bene credere, benè velle piè vivere esse solius gratiæ, & non voluntatis. Voluntatis n. hæc sunt, non ex se aut suis viribus operantis, sed gratiæ prævenientis, & comitantis auxilio instructæ: *ἀκατάληπτον, & incomprehensibile prorsus est quomodo benè velle non sit à voluntate, & tamen ipsum velle, quod in singulari actu, numero idem est cum actu benevolendi, sit à voluntate.*

59. 3. *Cujus est actio, ille est actionis causa. Atqui fides est actio hominis. Ergo homo est actionis causa. Qui igitur Deum sic conversionis causam esse volunt, ut voluntatem proximam actum conversionis esse negent, alterutrum statuant necesse erit: Aut hominem ipsum credere, velle bonum, Deo fidere, &c. Aut Deum ipsum in homine. Si hoc dicant, antiquos errores recudunt eorum, qui causas secundas nihil operari contendunt, sed Deum in ipsis. Si illud utique homo est causa actus credendi, quia omne suppositum, quod ab actione denominatur agens, actionis causa est.*

60. 4. Vel: *Si sola conversionis causa est Spiritus gratia, non cooperante voluntate, & hæc ex innato principio reluctans Spiritui Sanct. ad obedientiam flectitur; certè non alius hic est agendi modus, quam si ex lapidibus filios Abrahæ esset facturus Deus, aut contra naturalem inclinationem molem aliquam saxeam sursum attoleret. Imò nullum esset discrimen operationis divinæ in homine, & trunco, desumptum ex modo, & efficaciâ operandi, sed solum ex parte subjectorum, hominis & trunci. Vel non magis Spontaneè ad sui conversionem concurreret homo, quàm cum truncus aut lapis motu non naturali à motore impellitur.*

61. Resp:

61. Resp. de modo conversionis egimus in Disputationibus de libero arbitrio, ad quas remittimus, & pauca ex eis repetimus, monentes caute in his resolvendis procedendum esse, ut ab utroque extremo nempe Calvinianorum & Pelagianorum nobis caveamus. 1. *Actiones aliæ sunt naturales: aliæ politicæ: aliæ œconomicæ: aliæ Ecclesiasticæ externæ*, ut audire verbum, & quidem studio discendi: *Aliæ spirituales*. Ecclesiasticæ externæ in homine convertendo requiruntur, non respectu cujusdam meriti; sed ut pars ordinis divinitus instituti. 2. Finis notitiæ naturalis non est, per se salvare; quia sine Christo nemo venit ad Patrem Joh. 14. v. 6. Sed Deum quærere, *Act.* 17. v. 27. De modo quærendi piè dicit Dn. Chemnitius pag. 50. in Loco de Deo: *Cum omnes naturaliter agnoscant esse Deum, & illum esse glorificandum ut Deum, & simul cogantur fateri: se ignorare quomodo sit colendus: Deum inseviisse ipsis hanc notitiam, ut quærant annunciationem revelationis divinæ in Ecclesiâ, quam Deus propterea semper in aliquo illustri loco constitutum conspicuam in toto orbe reddidit. Ipsi v. magis, magisq; sunt occæcati. Cum Deum cognoverint, non ut Deum glorificaverunt*, Rom. 1. v. 21. *Suis cultibus Deum contumeliâ affecerunt*, v. 23. *Ideò sunt* ἀναπολόγητοι. Non est verò hoc quærere actio interna, nec habet respectum meriti, sed annumeratur ordini. 3. *Distinguimus inter voluntatẽ sanam & corruptam*, quæ ob suam corruptionem in spiritualibus non potest bene velle. Piè dicit Bernhardus: *Simpliciter velle hominis est, malè velle corruptæ naturæ, bene velle supernaturalis gratiæ.* 4. Est igitur in hominis potestate Spiritui S. repugnare, vel non repugnare, sed non est pro lubitu assentiri, vel non assentiri. 5. Potest homo, quod conversionem impedit removere, sed nequit eam promovere. 6. *Distinguimus inter conversionem, & velle conversionis.* Illa adscribitur tanquam causæ soli gratiæ, hoc tanquam subjecto, non Deo, qui conversioni non indiget; sed homini. 7. *Inter ipsam velle, & causam rẽ velle*: Voluntas humana vult converti. Ut autem velit, habet ex verbo.

66. Quæstio sexta: *Quid sit sentiendum de partitione gratiæ in operantem & cooperantem?*

Ez. Rs. Partitio hæc, quam sextam facit Bellarminus, eo incidit cum partitione quarta, idq; fatetur Becanus cap. 2. th. 1. sano sensu eam approbamus: *Gratia enim operans dicitur respectu conversionis, & in ea: Deus enim convertit nos sine nobis; Cooperans dicitur in pietate, & renovatione, in qua sumus cooperarii Dei, & in quâ nos Deus cum nobis perseverare facit.*

Finis Disputationis LI.

DISPUTATIO LII.

QUÆ EST

DE ÆTERNA PRÆDESTINATIONE Credentium ad vitam, prior.

Resp. Ægidio Hunnio

THESIS I.

QUID gratia significet in Scriptura, ostendimus Disputationibus præcedentibus, & figmenta Pontificiorum refutavimus. Quare de Prædestinatione agere pergimus. De hac verò non per omnia inter se consentiunt Pontificii. Nam Bellarminus verbotenus saltem in multis subscribit opinioni Calvinianorum, absolutum, & horribile decretum propugnantium. De Bellarmini igitur opinione in hac agemus Disputatione; De aliorum Pontificiorum respectu prævisionis operum nos electos esse statuentium in Disputatione subsequenti.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. *Prædestinatio igitur, sive electio est actio Dei immutabilis, quâ ante jacta fundamenta mundi, & merâ suâ gratia, ex misericordia in Christo juxta propositum & prænotionem suam homines finaliter in Christum credituros ad salutem æternam elegit, ut laudetur gloria gratiæ suæ.*

3. Vocabula *Prædestinationis, & Electionis* in scriptura semper in bonâ accipiuntur partem, & idem sub ratione subjecti seu rem eandē significant, *Rom.* 8. *v.* 30. *Eph.* 1. *v.* 4. 5. Sed alia, atq; alia ratione. Nam electione homines à reliqua hominum colluvie separantur, & deinde ad finem, sive ad æternam beatitudinem prædestinantur, sive ordinantur. Quare electio est gradus prædestinatione superior.

4. Vocabulum *Electionis* usurpatur vel tropicè, vel non tropicè. Tropicè pro ipsis electis, *Rom.* 11. *v.* 7. Electio consecuta est, h. e. electi. Non tropicè usurpatur vel generaliter, vel specialiter. Generaliter significat *primò segregationē, selectionē, & separationē vel hominū* ad aliquod

munus, seu officiũ, utpote ad Sacerdotium, seu ad summũ Pontificatũ, *Deut.* 18. *v.* 5. 1. *Sam.* 2. ad regnũ, 1. *Sam.* 10. & 12. *Psal.* 78. *ad apostolatũ Luc.* 6. *v* 13. *Joh.* 6. *v.* 70. *c.* 15. *v.* 19. Hæc igitur electio dicitur officialis, quod ea quis eligatur ad certum officium. *Vel aliarum rerum ad certum usum*, sic civitas, in qua erat domus Domini, dicitur locus, quem elegit Dominus, *Deut.* 12. 15. 17. Secundò denotat *visibilem vocatorum cœtum*, cui cœtus electorum est inclusus, *Deut.* 4. *v.* 37. Dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. *cap.* 7. *v.* 6. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris. Tertiò significat *rei præstantis dilectionem, & approbationem*: Eligimus enim, quæ reliquis præstant, *Esai.* 58. *v.* 6. Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi. *Gen.* 23. *v.* 6. In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum. *Exod.* 15. *v.* 5. Electi principes ejus submersi sunt.

5. Specialiter significat hominum finaliter credentium ordinationem ad vitam æternam ante jacta fundamenta mundi factam, atque ita hoc loco usurpatur, dicunturque græcè electi ἐκλεκτοί: vel ἐκλελεγμένοι nominaliter & participialiter: Hæc enim vocabula non quidem formatione, sed significatione idem esse patet ex *Mar.* 13. *v.* 20. διὰ τοὺς ἐκλεκτούς, οὓς ἐξελέξατο ἐκολόβωσε τὰς ἡμέρας.

6. Causæ Electionis eædem sunt, quæ justificationis. Quem admodum enim in tempore nos Deus salvat, ita ab æterno salvare decrevit, cum omnis mutationis sit expers, cumque justificatio sit æterni decreti executio. Itaq; Apostolus dicit *Eph.* 1. *v.* 3. 4. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali, in Christo, sicut elegit nos in ipso.*

7. Causa igitur Electionis efficiens principalis & primaria est sola Dei voluntas, seu est solus Deus Pater, Filius, & spiritus S. *Eph.* 1. *v.* 4. Elegit nos in ipso *v.* 11. Prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, 2. *Thes.* 2. *v.* 13. Elegit nos Deus primitias in salutem, *Luc.* 12. *v.* 31. Ne time pusille grex, quia placuit Patri tibi dare regnum.

8. Causa impulsiva, seu potius quodammodo invitans, quâ Deus ad decretum reparationis, & consequenter ad decretum electionis, atque justificationis est commotus, est extrema humani generis miseria, in qua post lapsum hærebat, *Joh.* 3. *v.* 16. *Rom.* 5. *v.* 8 *Heb.* 2. *v.* 15. Causa impulsiva interior est gratuitus Dei favor, bonitas & φιλανθρωπία, *Rom.* 3. *v.* 24. *Tit.* 3. *v.* 4. Dilectio, seu charitas, *Joh.* 3. *v.* 1. 6. *Rom.* 5. *v.* 8. *Eph.* 2. *v.* 4.

*Eph.2.v.4.1.Joh.4.v.9.10.*Misericordia,*Eph.2.v.4.Tit.3.v.5.1.Pet.1.v.3.* Divinæ voluntatis beneplacitum,*Eph.1.v.9.2.Tim.1.v.9.*

9. Causa Electionis meritoria est meritum Christi: In mediatione verò hac sunt intercessio, λύτρα sponsio: λύτρα persolutio: In persolutione considerandus est æternus intuitus, & temporalis, atque transitorius actus: Deus enim considerandus est non tantùm ut misericors, sed etiam ut verax & justus. Itaque cum legem transgredientibus mortem minatus fuisset, & nos in Adamo legem transgressi essemus, Deo reconciliari non poteramus, quin ipsius justitiæ satisfieret, quippe quæ peccata non relinquit impunita, nisi satisfactione intercedente. Christus igitur pro nobis vitâ suâ, & morte durâ legem implevit, & sic nos Patri reconciliavit. Inde Apostolus non simpliciter dicit, nos esse à Deo electos, sed medium, & fundamentum addens dicit, in Christo, *Eph.1.v.4.6.9.* Per Jesum Christum, *Eph.1.v.5.* Christus igitur est mediator inter Deum & homines, adeóque Electionis fundamentum.

10. Causa instrumentalis Electionis, qua Gratia Dei in Christo nos eligentis apprehenditur, est fides: Meritum enim Christi nobis non prodest, nisi fiat nostrum. Requiritur igitur ejus apprehensio & applicatio, quæ fit fide, *2.Thess.2.v.11. Joh.6.v.40.c.3.v.16.2.Tim.1.v.9.1.Cor.1.v.21. Jacob.2.v 5.*

11. Forma, sive differentia specifica Electionis, est ordo, quem Deus in eligendis hominibus observat. Finis respectu Dei est gratiæ Dei celebratio, *Rom.8.v.30.Eph.1.v.6.12.* Respectu hominũ electorum est in regno gratiæ sanctificatio, *Eph.1.v.4.* in regno gloriæ glorificatio, salutisq; æternæ fruitio: Ideò enim nos elegit Deus, ut sanctè vivamus & cum ipso æterna beatitudine fruamur.

12. Causas Electionis breviter comprehendit Apostolus, *2. Thess.2.v.13.14. Nos debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quod elegerit nos Deus ab initio in salutem, in sanctificatione Spiritus, & in fide veritatis. In quam & vocavit nos per Evangelium nostrum, in acquisitione gloriæ Domini nostri Jesu Christi.*

13. Ostendit insigni illo testimonio Apostolus principalem Electionis causam his verbis *v.13. Dilecti à Domino.* Meritoriam *vers.14.* verbis sequentibus: *gloriæ Domini nostri Jesu Christi*, intellige quæ *ab ipso nobis parta est.* Addit Apostolus causas instrumentales duas: Prior

est offerens, quæ est verbum, seu ministerium Spiritus, eamque his inculcat verbis: *In sanctificatione Spiritus* quibus intelligit Ministerium verbi, quod nominatur, 2. *Corinth. 3. vers. 8.* διακονία πνεύματος administratio Spiritus, qui nos sanctificat in verbo veritatis, *Johan. 17. vers. 17.* Aliud igitur est sanctificatio, & aliud sanctitas, quæ differunt, ut causa, & effectus. Posterior est apprehendens, quæ his docetur verbis, *& in fide veritatis*: Additur vocabulum *veritatis*, quia hanc fides in verbo revelatam apprehendit. Inculcat Apostolus Electionis causam finalem his verbis, *in salutem.* Denique docet Apostolus, quando electio sit facta inquiens, elegit nos ab initio.

Opinio Lubrici, et vagabundi Bellarmini.

14. Valde lubricus, & dubius est in loco de prædestinatione Bellarminus: In nonnullis Calvinianis subscribit: In quibusdam sibi ipsi contradicit, negans quod in præcedentibus concesserat.

15. Fraudulenter scribit lib. 2. c. 9. ex parte nostri Prædestinationis nullam assignari posse rationem.

16. Occultam scribit pag. 603. esse causam, cur Deus hunc potius, quàm illum ad vitam prædestinet.

17. Nudam Dei intentionem dandi gloriam esse electionem, opinatur lib. 2. cap. 14.

18. Consilium de mediis salutis esse posterius proposito Electionis, statuit.

Status Controversiæ.

19. Quæritur igitur in hac Disputatione & de verbis, & de mente Bellarmini, atq; de Electionis causis. Nos hoc loco ea examinabimus, in quibus Bellarminus à reliquis Pontificiis dissentit; Ea verò, in quibus cum eis facit, in subsequenti refutabimus Disputatione.

20. Quæstio prima: *An Bellarminus in loco de Prædestinatione faciat in plærisq; cum Calvinianis?*

21. Resp. Dissentit Bellarminus in Articulo de Prædestinatione à reliquis Pontificiis, & quoad verba saltem subscribit opinioni de absoluto & horribili Electionis decreto Calvinianorum: Idq; videre est *primò ex descriptione ordinis prædestinatorii*, quem fingit: Nam scribit lib. 20. cap 9. lit. D. *Iste fuisse videtur ordo Prædestinationis in mente divinâ: Primum prævidit Deus, si hominem conderet, eum lapsurum cum omni posteritate, &*

te, & simul vidit, posse se variis modis liberare vel omnes, vel aliquos pro arbitratu suo. Deinde voluit hominem condere, ac, ut laberetur permittere, & quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massâ perditionis justè relictis. Tertiò excogitavit remedia, salvandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio, & passio Salvatoris. Quartò approbavit ea remedia, & tunc elegit Christum, & nos in ipso ante mundi constitutionem. Quintò disposuit ordinavit, & quomodo imperavit, ut ita fieret.

22. Desideramus in ordinis istius descriptione sequentia. 1. Scriptura ostendit, nullum aliud remedium homini lapso inventum esse, quàm satisfactionem Christi. Ergo non licet pro arbitratu aliud fingere: Et illud tantùm oportet nos agnoscere. 2. Condidit Deus hominem ad imaginem suam, *Gen. 1. v. 26. 27. c. 5. v. 1. Sap. 2. v. 23.* & ad vitam æternam. Hoc igitur decretum fuit summum: Et per consequens, primum non fuit decretum, hominem condere, & ut laberetur permittere. 3. Qui statuit Deum excogitasse remedia pro solis electis, ille particularitatem approbat calvinisticam, ac proinde opinatur, Deum non omnes & singulos diligere, omnium, & singulorum salutem velle, nec omnibus Christum misisse. Jam verò statuit Bellarminus, Deum excogitasse remedia pro solis electis. Ergo. 4. Qui decretum Electionis prius esse opinatur consilio de mediis ad salutem, utpote de incarnatione, & passione Salvatoris, ille subscribit Calvinianis meritum Christi Electionis non causam esse subscribentibus. Opinatur verò illud Bellarminus. Ergo 5. Qui innuit nos electos esse sine respectu fidei, ille Scripturam oppugnat, & absolutum, ac horribile Electionis decretum approbat. Facit verò illud Bellarminus. Ergo.

23. Secundò idem colligitur ex verbis Bellarmini, ut lib. 2. c. 12. lit. D. *Scriptura docet, reipsa non credere, nisi illos, qui habent auxilium efficax, quo fit ut homo non solùm possit credere, sed etiam credat, & hoc auxilium non omnibus dari.* Ibidem lit. D. p. 614. *Donum Dei est, ipsum velle credere, quod non habeat, nisi qui credunt; quoniam eis solis Deus dignatur ita suadere, ut persuadeat.* &c.

24. Tertio, commendatur propterea à Calvinianis Bellarminus: Pareus scribit lib. 2. c. 9. de grat. & lib. arb. p. 304. *Hic Bellarmino astipulamur per totũ, ideò nihil castigabimus.* Et pag. 305, *Bellarminus Prædestinationẽ merè gratuitam esse, nec ullam in nobis causam habere, rectè asserit, atque demonstrat. A causâ igitur Prædestinationis tàm præviſam fidem, quàm præviſa*

opera rectè excludit. Festus Hommius in Collegio Anti-bellarminiano pag. 387. *Bellarminus*, ait, *secundum scripturam rectè docet, nullam ejus rationem ex parte nostra assignari posse, ac proinde causam Electionis non esse prævisionem fidei, aut boni gratiæ divinæ usum, sed solam, & unicam causam esse liberam, & misericordem Dei voluntatem, & gratuitam εὐδοκίαν, seu propositum voluntatis suæ. Quare ineptè hac in parte Bellarmino, atque ipsi Scripturæ contradicunt recentiores Jesuitæ.*

25. Quæstio secunda: *An scriò scribat Bellarminus, ex parte nostri Prædestinationis nullam assignari posse Prædestinationis causam?*

26. Resp. Proponit Bellarminus lb. 2. cap. 9. de Prædestinatione hanc propositionem: *Quamvis gratia sufficiens omnibus detur, tamen Prædestinationis divinæ nulla ratio ex parte nostri assignari potest.* Explicat ibidem propositionem hanc his verbis: *Dicimus, nullam rationem assignari posse, ut excludamus non solùm merita proprie dicta, sed etiam bonum usum liberi arbitrii, aut gratiæ, aut utriusq; simul à Deo prævisum, etiamsi non dicatur vera causa, sed conditio sine qua non prædestinaretur is, qui prædestinatur.* Confirmat propositionem eandem cap. 10, 11. 12.

27. Verùm 1. Oppugnat Bellarminus, & refutat reliquos pontificios, & Jesuitas. Nam Stapletonus in Antidotis Apostolicis pag. 526. contendit, homines ad gtatiam quidem primam electos esse gratis; Ad gloriam verò non gratis, sed propter prævisa, & futura media. Et in Explicat. Cathol. par. 3. p. 363. scribit: *Considerandum est, quod ordo divinæ providentiæ erga electos plures habet gradus: Nam alii gratiam justificantem præcedunt, alii sequuntur. Qui præcedunt, sunt dilectio, electio, prædestinatio, & vocatio: Qui verò sequuntur, sunt augmentum gratiæ, justitiæ profectus, & adeptio summæ felicitatis. Si percontaberis igitur, an opera prævisa sint causa meritoria divinæ prædestinationis. Respondendum est, atq; omninò negandum, opera nostra priorum illorum graduum causam esse meritoriam. Sed si interroges rursus de posterioribus gradibus, dicendum est absque dubio illa meritoriam esse causam.* Idem habet Becanus Tom. 1. in Disput. de Prædest. th. 5. *Constat*, inquit, *ex Scripturis, vitam æternam dari ex meritis, & ideò vocari mercedem, bravium, stipendium, coronam: ergò dubitari non potest, quin ab æterno præparata sit ex prævisione meritorum.* Et paulò post: *Hoc facile ostendo in proposito*, inquit, *quia Deus non tantùm prædestinatis, sed etiam reprobis proponit hoc præmium vitæ æternæ, & affectu simplici desiderat, ut omnes illud consequantur, ideòq; dat omnibus præcepta, & sufficientia media, quibus*

possint

possint assequi, si velint: Et tamen efficaciter non vult dare illis, qui non merentur. Ergo quod aliis efficaciter dare velit, ideò est, quia revera merentur.

28. 2. Bellarminus aut non seriò idipsum scribit, aut apertè sibi contradicit: Nam primò ait lib. 2. c. 14. pag. 627. lit. D. *Dicendum est electionem æternam duobus modis considerari posse: Uno modo, ut est intentio dandi gloriam; Alio modo, ut est dispositio executionis, & quasi executio in mente divina. Priore modo electio est merè gratuita, & nullam prærequirit prævisionem operum bonorum. Posteriore modo præexigit prævisionem meritorum: Non enim vitam æternam sub ratione præmii Deus dare disposuit, nisi iis, quos bene operaturus esse prævidit.*

29. Secundò. Constringunt Bellarminum propriæ ipsius hypotheses, ut aliter statuere nequeat: Nam homines, ait, mereri ex congruo justificationem, ex condigno glorificationem: Et decretum non differre causaliter ab executione decreti. Quæ igitur sunt causæ Electionis, eædem sunt causæ justificationis, & contrà. Atqui Electionis causæ secundum Bellarminum non sunt nostra opera. Ergo nec justificationis. Vel si sunt justificationis causa, erunt & Electionis. Tertiò rationem Prædestinationis in præscientia potius, quam in voluntate consistere, ait Bellarminus. At præscienta rerum non est causa, sed intuetur secundum ipsum nostra opera. Quis igitur non videt secundum eum electionem esse factam respectu prævisionis bonorum operum?

30. Quæstio tertia: *Num occulta sit causa, cur Deus hunc potiùs, quàm illum ad vitam æternam prædestinet?*

31. Resp. Statuit Bellarminus lib. 2. cap. 9. ex parte Dei generalem quidem Electionis posse dari causam; Specialem verò non quidem deesse, sed eam nos latere, *ex parte Dei*, inquiens, *assignari potest causa in genere, ut ostendatur misericordia, & justitia ipsius: In particulari quoq; dubitari non potest, quin Deo non desit sua ratio, cur istum potius, quàm illum prædestinare voluerit ad vitam, quamvis ea occulta sit.*

32. Verùm quæ sint Electionis causæ non obscurè, sed manifestissimè docet Scriptura, ex quibus patet, cur hic præ illo eligatur. Augustinus dicit: *Ambula per fidem, ut pervenias ad Prædestinationem.* Quod igitur Deus revelavit in Scriptura, illud non est occultum. Atqui quæ sint Electionis causæ Deus revelavit in Scriptura. Ergo.

33. Minorem ostendimus in præcedentibus. Nam 1. Misericordem Dei voluntatem esse Electionis causam docetur, *Eph. 1. vers.* 34. 69. *Joh.*

69. *Joh.* 13. *v.* 18. 2. *Thess.* 2. *v.* 13. *Rom.* 11. *v.* 5. 2. *Tim.* 1. *v.* 9. Meritum Christi Electionis esse causam, negatur, Eph. 1. v. 4. 5. 6. 9. Fidem ejusdem esse causam instrumentalem, seu medium docetur, 2. *Thess.* 2. *v.* 11. *Joh.* 3. *v.* 16. c. 6. *v.* 40. 2. *Tim.* 1. *v.* 9. 1. *Cor.* 1. *v.* 21. *Jacob.* 2. *v.* 3.

34. 2. Quæ sunt causæ justificationis, & benedictionis, eædem sunt causæ Electionis *Eph.* 1. *v.* 3. 4. Atqui prænominatæ illæ causæ sunt causæ justificationis, *Rom.* 3. *v.* 24. 25. 28. *justificamur gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, &c.* Ergo. Non sunt verò occultæ causæ justificationis, sed in scriptura manifestatæ. Ergo nec sunt occultæ causæ Electionis.

35. 3. Quæ Dei gratia nobis peccata in tempore remittit, ea ab æterno nos elegit, *Eph.* 1. *v.* 5. 6. 7. 2. *Tim.* 1. *v.* 9. *Rom.* 11. *v.* 5. Atqui Dei gratia non occulta, sed in scriptura revelata, non absoluta, sed ordinata, & meritum Christi fide sibi applicante determinata nobis peccata remittit. Ergo.

36. 4. Si quis quærat, *cur hic, vel ille damnetur*, hanc ex scriptura exhibebimus causam, quia non credidit in nomen unigeniti Filii, *Joh.* 3. *v.* 18. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ibidem *v.* 36. Christus dicit *Joh.* 16. *v.* 9. Spiritus S. arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.

27. Si quis pergat quærere, *cur non crediderit?* Respondebimus ex Scripturâ. 1. Quia verbum prædicatum sprevit, & hostiliter oppugnavit. 2. Adeóque Spiritui S. per verbum prædicatum trahenti obstaculorum positione non tantùm naturaliter, sed etiam hostiliter restitit. 3. quia semen auditi verbi passus est ex corde sibi eripi, vel voluptatibus hujus mundi suffocari. Hinc licet ad tempus crediderit, non tamen in eâ fide perseveravit, sed à veritate defecit.

38. Quare Scriptura causam esse docet, non absolutum, & occultum decretum, sed hominis malitiam: Nam quidam verbum audiunt, ut habeant calumniandi occasionem, ut Judæi, *Act.* 13. Quidam cum præjudicio sophisticis opinionibus dementati, ut Athenienses Act. 17. Quidam audiunt quidem libenter, sed studio novitatis, non discendi, ut Herodes, *Luc.* 23. Quidã, etiamsi in conscientiâ sunt convicti, errores, ne errasse videantur, abjicere nolunt, ut Pharisæi, *Luc.* 11. Quidam licet verbum cum gaudio suscipiant, à susceptо tamen verbo

patiun-

patiuntur vel nutu sese deterreri, vel æstu persecutionum arescunt, ne fructum ferant, Luc.8.

39. Quicunque igitur est judicatus, eò quod non credat in Christum, ejus judicii causa est incredulitas, adeoque causa non occulta, sed in scriptura revelata. Atqui incredulus judicatus est eó, quod non credat in Christum, *Joh. 3. v.18.36. Jer.32.v.33. Mar.16.v.16. Joh.6.v.53.c. 16.v.9. Ergo.*

40. 4. Arguunt idem exempla, ut *Pharisæorum, & Legisperitorum*, qui consilium Dei spreverunt in semetipsos, *Luc.7.v.30. Judæorum*, qui repellebant verbum, & sese vitâ æterna indignos judicabant, *Act.13.v.45. Rom.9.v.31.32. cap. 11.v.20. Ad cœnam magnam vocatorum, Luc.14.v.24.* Hi enim noluetunt venire: Non gustarunt igitur Cœnam magnam.

41. Urget verò Bellarminus dictum Apostoli, Rom.11.v.33. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Unde infert occultissimam esse causam, cur Deus hunc potius, quam illum ad vitam eligat.

42. Resp. 1. Multa Dei judicia nobis non esse revelata ultro largimur, idque docet Apostolus in loco allegato. Et apud Esaiam, *cap. 45.v.15.* dicitur verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator. Et *cap. 40.v.13.* Quis adjuvit spiritum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi? *Sap. 9.v.13.* Quis hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Piè de illis dicit Augustinus: *Judicia Dei occulta esse possunt, injusta esse non possunt.* Et Ambrosius de vocat.Gent.c.7. *Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: Quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne in illis illicitè curiosi, & in his damnabiliter inveniamur ingrati.*

43. 2. De absconditis illi notanda sunt duo. *Prius* est: Non esse ea ad salutem necessaria: Quæ enim ad eam spectant sunt nobis per Christum, & Apostolos revelata, *Joh.1.v.18.* Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis. *Act.20.v.27.* Non subterfugi, quò minus annunciarem vobis omne consilium Dei. Quare abscondita illa salutem non concernunt. Hujusmodi sunt: Quare Deus huic populo citius dederit verbum, quàm illi. Et similia alia. Posterius est: consilia, judicia, & facta illa non esse revelata verbo, & voluntati revelatæ contraria. Ambrosius dicit in Epist. ad Rom. capit. 39. *Manifestum est, solum*

Deum esse, qui noverit omnia consilia; Et hunc verum esse, qui nullius egeat, quod ab ipso sunt omnia: Ac per hoc consilium ejus à nullo nec comprehenditur, nec metitur: quia inferiora superioris sensum scire non possunt. Denique Judaïs credentibus impossibile videbatur, consilium esse, & voluntatem Dei ad redemptionem gentium: Simili modo & gentibus arduum, & incredulum videbatur Judæos, qui non crediderant posse converti: aut credentes suscipi, ut salvarentur. Inter cætera hoc est consilium Dei, quod latuit, nec potuit comprehendi.

44. Quæstio quarta: *An nuda Dei intentio dandi gloriam sit electio?*

45. Respond. Bellarminus scribit lib. 2. c. 14. lit. D. *Electio æterna duobus modis considerari potest: Uno modo ut est intentio dandi gloriam. Alio modo, ut est dispositio executionis, & quasi executio in mente divinâ. Priore modo electio est merè gratuita, & nullam prærequirit prævisionem operum bonorum. Posteriore modo præexigit prævisionem meritorum. Non enim vitam æternam sub ratione præmii Deus dare disposuit, nisi iis, quos bene operaturos esse prævidit.* Tannerus in 1. Thom. Disp. 2. thes. 42. *Advertendum est*, ait, *duplicem esse voluntatem Dei. Prior voluntas est per modum intentionis, quæ ad Prædestinationem pertinet, & est sine prævisis meritis. Altera, est voluntas executiva, seu ad ordinem executionis pertinens, quæ est ipsa dispositio executionis in mente divina, post prævisionem meritorum. Postquam enim Deus vidit jam prædestinatos ad gloriam per certa media rectè usuros auxiliis præparatis, voluit illis etiam in ipsa executione conferre gloriam tanquam bravium ob prævisa merita.*

46. Labitur verò Bellarminus, ut & Tannerus, gravissimè. Nam. 1. Aliud est Dei dilectio, & aliud electio: Dilectio est generalis, respicitque omnes, & singulos homines, Johan. 3. vers. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Electio est particularis: Multi enim sunt vocati, sed pauci electi, *Matth. 20. vers. 16.* Intentio illa dandi gloriam dependet à dilectione, sed non est ipsa dilectio. Nam intentio dandi gloriam est universalis: Vult enim Deus omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. *Timoth. 2. versic. 4.* Non constituit nos Deus, ut iram nobis concitemus, sed ut salutem consequamur per Dominum nostrum Jesum Christum, 1. *Thess. 5. vers. 9.* Atqui electio est particularis,

Matt.

Matth. 20. vers. 16. c. 22. vers. 14. Pauci electi, *1. Corinth. 1. vers. 26. 27. 28.* Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, contemptibilia elegit Deus. *Jacob. 2. vers. 5.* Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Ergo.

47. 2. Quod distinguitur ab electione, illud non est ipsa electio. Atqui propositum, & intentio dandi gloriam distinguitur ab electione: Sumus enim electi secundum propositum, *Ephes. 1. vers. 5. 9. 11.* Ergo.

48. 3. Quicquid causis inclusis est ordinatum, illud non est nuda Dei intentio dandi gloriam. Atqui Electio causis inclusis est ordinata, *2. Thes. 2. v. 13.* Ergo.

49. 4. Electio est facta secundum præscientiam, *Roman. 8. vers. 29. 1. Petr. 1. vers. 2.* Ergo non est nuda Dei intentio dandi gloriam. Includit enim præscientia prius & posterius, quod datur in ordinatione fidei. Ambrosius dicit in Epist. ad Roman. cap. 22. *Hi secundum propositum vocantur, quos credentes præscivit Deus futuros sibi idoneos.* Et paulò pòst: *Istos, quos præscivit futuros sibi devotos elegit ad promissa præmia capessenda, ut hi, qui credere videntur, & non permanent in fide capta à Deo electi negentur.*

50. 5. Octava Bellarmini propositio libr. 2. c. 9. hæc est: *Quamvis gratia sufficiens omnibus detur, tamen prædestinationis divinæ nulla ratio ex parte nostri assignari potest.* Confirmat eam capitibus subsequentibus. At capit. 14. disputat, prævisionem operum esse Electionis causam efficientem. Contradicit igitur sibi ipsi, & parum considerate reliquos oppugnat Scholasticos.

51. Quæstio quinta: *Num consilium de mediis salutis sit posterius proposito electionis?*

52. Resp. Bellarminus proponens ordinem Prædestinationis dicit cap. 9. *Excogitavit remedia, salvandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio, & passio Salvatoris.* Statuit igitur, consilium de mediis salutis esse posterius proposito Electionis. Tannerus Disput. 2.

th. 34.35.36.37. de ordine ac progressu prædestinationis enumerat opiniones, & demùm quartæ, quam hanc esse ait subscribit: *Quarta, ac nostro judicio probabilior sententia universim prædestinationem, seu electionem ad gloriam, respectu omnium tam hominum, seu adultorum, seu parvulorum, quàm angelorum, factam asserit ante prævisionem meritorum, seu mediorum, quibuscum iidem salvandi essent.*

53. Contra opinionem hanc ita insurgimus: Omnis causa naturæ ordine prior est causato: Est enim ab ea causatum. Nequit igitur esse posterior suo causato. Atqui medium illud nempe incarnatio, & passio salvatoris est Electionis causa, & quidem meritoria. Ergo.

54. Minor patet multipliciter: Nam 1. In quo, per quem, & propter quem sumus electi, ille est electionis causa. Atqui in Christo, per Christum, & propter Christum sumus electi. Ergo est electionis causa. Intellige meritum Christi non nudè, sed prout perseveranti fide est applicatum. Assumptio legitur, *Eph.*1. v.4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. *v.*5. 7. Prædestinavit nos per Jesum Christum, In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus. 2. *Tim.*1.*v.* 9. Vocavit nos vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.

55. 2. Causa benedictionis est etiam causa Electionis, *Eph.*1. *v.*4.5. Benedixit nos in benedictionibus spiritualibus in Christo *sicut* elegit. Atqui Christus est causa benedictionis; Nam per, & propter Christum benedicimur. Ergo.

56. 3. Causa gratificationis, redemptionis, & peccatorum remissionis, est etiam causa electionis. Atqui Christus est causa gratificationis, redemptionis, & peccatorum remissionis, *Eph.*1.*v.*6. 7. 11. Ergo.

57. 4. Causa justificationis est etiam causa Electionis: Eædem enim sunt causæ decreti, & executionis decreti, quia non est Deus quasi homo, ut mutetur, *Num.*23.*v.*19. Atqui meritum Christi est causa justificationis, *Rom.* 3.*v.*24. *Gal.*2.*v.*16. *Act.* 4.*v.*12.*c.*10.*v.*43. *cap.* 15.*v.* 11.1. *Cor.*1.*v.*30. *Ergo.*

58. 5. Electio est facta secundum præscientiam, *Rom.*8.*vers.*29. 1.*Pet.*1.*v.* 2. Ergo determinatur merito Christi fide apprehenso. Deus enim in eligendo prævidit, præscivit, & consideravit meritum Christi fide apprehensum.

59.5

59. 6. Idem ostendemus de fide in quæstione ultimâ, quod nimirum sit pars prædestinatorii ordinis, ac proinde fidem includat: Evidens est locus, *Eph.1.v.12.* Prædestinati secundum propositum ipsius, qui ante in Christo speravimus, hoc est, credidimus: Nam sperare sæpe significat credere, ut 1.*Tim.4.v.10.2.Thess.2.v.16.* Quare consilium mediorum prius est Electionis proposito.

60. Quæstio quinta: *Num media salutis pro solis electis sint excogitata?*

61. Resp. Non obscurè illud innuit Bellarminus dicens lib. 2. c.9. Deum excogitasse remedia salvandis electis idonea. Si enim pro his tantum media illa sunt excogitata, sequitur promissiones Evangelicas esse particulares.

62. In faciem verò Bellarminus contradicit Spiritui S. & sibi ipsi. Refutamus igitur opinionem illam duplici testimoniorum Scripturæ classi. Prior agit expresse de omnium hominum salute, eamque ex parte, & intentione Dei universaliter additis particulis universalibus describit, ut, 1.*Tim. 2.v.4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire* Joh.3.v.16.17. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium in mundum, ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum similia leguntur,* Tit.2.v.11. Rom.11.v.32. 1.*Thess.5.v.9.* 2.*Pet.3.v.9.Matt.11.v.28.*

93. Regeris, *Particulas universales*, inquiens, *esse intelligendas de generibus singulorum, & non de singulis generum. Itaque particulam,* OMNIS, *notare omne genus humanum per quascunq; differentias distributum. Appellatione verò* MUNDI, *intelligendam esse optimam mundi partem h.e. solos electos.*

64. Resp. 1. Particulam, *Omnis*, interdum usurpari distributivè interdum collectivè: Interdum usurpari explicitè universaliter, interdum limitatè nos ipsi docemus. In allegatis verò testimoniis intelligenda est explicitè universaliter, notatq; singula generum. Nam. 2. opinio illa, quasi promissiones illæ tantùm de generibus singulorum sint intelligendæ, eripit individuis solidam consolationem, & deducit ad desperationem: Facit Deum προσωποληπτην: Inefficacia reddit salutis media, nimirum verbum, & sacramenta. 3. Ex loco 1. *Tim.* 2. ita argumentamur: Quorum Deus est Deus, Christus Mediator: Quibus verbum annunciare debebat Apostolus: Pro quibus Deus orandum

præcepit: Quos Deus vult ad agnitionem veritatis venire; eos vult salvos fieri. Atqui Deus est Deus non tantum generum, sed etiam singulorum, Christus eorũ est Mediator: Apostolus ipsis annunciare debebat verbum: Deus pro ipsis, etiam pro impiis præcepit, ut oremus, idq; suo nos docet exemplo Christus, *Luc.*23.*v.*34. Ut & Jeremias *cap.* 29. *v.* 7. Vult eosdem Deus ad agnitionem veritatis venire. Ergo. 4. Ex loco *Rom.*11.*v.*32. Quoscunq; Deus voce legis conclusit sub peccatum, eorum vult misereri. Atqui conclusit Deus sub peccatum universos, & singulos, *Rom.*3.*v.*12.22.23. *Gal.*3.*v.*22. Ergo. 5. Ex loco *Tit.* 2. *v.*11. Qui sunt arguendi, & abnegare debent iniquitatem, illis illuxit Gratia Dei. Atqui universi & singuli ob peccatum sunt arguendi, & abnegare debent iniquitatem. Ergo.

65. 6. Vocabulum, *mundi*, notat in scripturâ vel infideles tantùm, ut *Joh.*17.*v.*9. Ego pro eis rogo, non pro mundo: vel fideles & infideles simul, sed nuspiam denotat solos electos, 7. Ille mundus intelligitur *Joh.*3. cui annunciandum est Evangelium, & qui continet credulos, & incredulos: Nam vers.18. dividitur in fideles & infideles. Atqui Evangelium annunciari debet non solis electis, sed omni creaturæ, quæ sub Cœlo est, *Mar.*16.*v.*15. *Matt.*28.*v.*19. *Luc.*24.*v.*47. *Act.*17.*v.* 30. *Col.* 1.*v.*23. Et numerus tantùm electorum non continet fideles, & infideles. Ergo.

66. Posterior testimoniorum Scripturæ classis agit de benevolentia erga morientes, *Ezech.* 18.*v.*31.32. *cap.* 23. *vers.* 11. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ, & vivat: convertimini à viis vestris peßimis: Et quare moriemi domus Israël* 2. *Pet.*3.*vers.* 9. *Tardat Dominus, qui promisit (quemadmodum nonnulli tarditatem existimant) verum patiens est erga nos, dum non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ex his ita argumentamur: Deus non vult mortem morientium, idque juramento confirmat. Ergo eorum vult salutem. Item: Quoscunque Deus invitat ad pœnitentiam agendam, & ad quos refertur Dei longanimitas, & patientia, eorum nullum vult perire. Atqui Deus invitat ad pœnitentiam agendam, etiam eos, qui in impœnitentia suâ pereunt: Et Dei longanimitas refertur ad manifestos peccatores. Ergo.

97. Quare cum dilectio Dei sit, & extendat se ad universos, & singulos homines: Christus etiam non electis tantùm, sed omnibus, &

bus, & singulis est datus, & pro singulis, etiam pro iis, qui pereunt, satisfecit. Nam mortuus est 1. Pro omnibus hominibus, *Esai. 55. vers. 6. Roman. 5. vers. 18. cap. 8. v. 31. Joh. 1. v. 9. cap. 12. vers. 32. Luc. 2. vers. 10. 2. Corinth. 5. vers. 14. 15. Col. 1. vers. 20. 1. Tim. 2. vers. 6. c. 4. vers. 10. Tit. 2. vers. 10. Heb. 2. vers. 9.*

68. 2. Obtulit sese pro toto mundo, *1. Joh. 2. v. 2. c. 4. v. 14. Joh. 3. v. 16. 17. cap. 4. v. 23. c. 6. v. 51. cap. 12. v. 47. c. 17. v. 21. 2. Cor. 5. vers. 19. Matt. 13. v. 38. 1. Tim. 3. v. 16.*

69. 3. Mortuus est, & satisfecit etiam pro his, qui sua ipsorum culpâ pereunt, *Rom. 14. v. 16. 1. Cor. 8. v. 11. Heb. 6. v. 4. 5. 6. c. 10. v. 26. 27. 28. 29. 2. Pet. 1. v. 9. c. 2. v. 1. Joh. 15. v. 1.*

70. Quamobrem Dei est intentio, ut omnes credant, in Filium, & salvi fiant, & media salutis non solis excogitavit electis, sed etiam illis, qui ea contemnunt, & sua ipsorum culpa pereunt, fidem offert omnibus, *Act. 17. v. 31.*

71. Quæstio septima: *An simus electi respectu prævisæ fidei?*

72. Resp. Disputat Bellarminus Prædestinationem ita esse absolutam, & puram, ut non tantum excludat prævisionem propriorum meritorum, sed etiam prævisionem fidei, & hanc dari quibusdam eò, quod sint in numero Electorum. Cap. 12. lib. 2. dicit: *Scriptura docet, reipsa non credere, nisi illos, qui habent auxilium efficax, quo fit, ut homo non solum possit credere, sed etiam credat, & hoc auxilium non omnibus dari.* Et paulò pòst: *Videmus causam reddi, cur Judæi isti non crederent, non quia non haberent auxilium, quo possent credere; Sed quia non haberent gratiam illam, quæ ita suadet, ut persuadeat, & ideò non habuisse, gratiam illam, quia non erant de electis ovibus, neq; dederat eos Pater Filio.* Statuit igitur Bellarminus tantùm electos esse datos Filio, & illis tantùm dari gratiam efficacem, ut possint credere, ac proinde nos non esse electos respectu prævisæ fidei, sed fidem esse Electionis effectum. Commendant assertionem hanc Calviniani, ut in præcedentibus ostendimus ex Pareo.

72. Docent verò Protestantes 1. Nos esse electos non propter fidem, sive ob præcognitam fidem, tanquam causam meritoriam, vel principalem, & impellentem, nec propter dignitatem fidei; Sed in fide, & per fidem, *2. Thess. 2. v. 23. 1. Pet. 1. v. 2.* Eleganter dicunt Græci, nõ *διὰ τὴν πίστιν*, sed *διὰ τῆς πίστεως*. 2. Sumus enim electi respectu prævisæ fidei consideratæ non absolutè, sed relatè, non divisim, sed conjunctim

ctim, non in Prædicamento qualitatis, Sed in Prædicamento Relationis quatenus, est correlatū meriti Christi. 3. Est igitur pars prædestinationis ordinis, vel correlatū, instrumentum, & medium partis decreti, nempe meriti Christi. 4. Fides est vel temporaria, quâ ad tempus quidam credunt, & posteà deficiunt, *Luc.* 8. *v.* 13. vel finalis, & perseverans: Salvatur qui in fide finaliter perseverat, *Matt:* 10. *v.* 23. *Mar.* 13. *v.* 13. 2. *Tim.* 4. *v.* 7. 8. *Heb.* 3. *v.* 14. Quem igitur perseveranter, seu finaliter Deus vidit crediturum, eum elegit.

71. His præmissis, electionem esse factam respectu fidei prævisæ probamus *primò Scripturæ dictis*, & quidem 1. ex 2. *Thess.* 2. *v.* 13. *Elegit nos ab initio in salutem, in sanctificatione Spiritus, ac fide veritatis.* Qui igitur sunt electi fide, illi non sunt electi absque fide. Atqui nos sumus electi fide. Ergo non absque fide: Et per consequens fides est Electionis medium, instrumentum, & suo modo pars. 2. *Ex Joh.* 17. *v.* 20. *Pro his rogo, qui credituri sunt per sermonem eorum in me.* Elegit igitur Deus, qui credituri erant. Ergo elegit respectu fidei intuitus. 3. Ex catenâ illâ Apostoli, *Rom.* 8. *v.* 29. *Quos præscivit, hos prædestinavit, quos prædestinavit hos & vocavit; Et quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Catenæ hujus gradus reliqui requirunt fidem. Ergo includit eandem prædestinatio; De paribus enim idem est judicium. 4. Ex *Rom.* 11. *v.* 20. *Per incredulitatem defracti sunt; Tu verò fide constitisti.* Gentiles per fidem cætui electorum in tempore inseruntur. Judæi propter incredulitatem reprobantur. Fecit igitur Deus tale decretum ab æterno. Exactissima enim decreti, & ejus exocutionis est convenientia,

74. Secundò *legitimis consequentiis:* Nam 1. Electio est facta secundum præscientiam, 1. *Pet.* 1. *v.* 1. 2. Ergo respectu pravisæ fidei, quam Deus præcognovit. 2. Sine fide placere Deo impossibile est. *Heb.* 11. *v.* 6. *Rom.* 14. *v.* 23. Jam verò electi placent Deo. Ergo. 3. Sine fide nemo est filius Dei, *Joh.* 1. *v.* 12. Electi sunt filii Dei, *Eph.* 1. *v.* 5. Ergo. 4. Meritum Christi includitur Electionis decreto. Ergo & ipsius correlatum, nempe fides: *Ingreditur enim relatè, quatenus fide apprehenditur. Quare ambula per fidem, ut pervenias ad Prædestinationem.*

Finis Disputationis LII.

DISPUTATIO LIII.

Quæ est
DE ELECTIONE POSTERIOR.

Resp. M. Joachimo Zachovio Wismariâ-Megapolitano.

Thesis I.

CAusas Electionis ostendimus in Disputatione præcedente: Et ea, in quibus potissimum singularis vult esse Bellarminus refutavimus: Restat igitur ut examinemus ea, quæ communiter reliqui propugnant Pontificii statuentes nos respectu prævisionis bonorum operum esse electos. Becanus Tom. 1. De prædest. Carhol. cap. 3. th. 6. p. 85. *Eadem est omnium salvandorum ratio*, inquit, *Omnes enim ex meritis consequuntur vitam æternam, juxta illud Pauli: Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certaverit: Ergo juxta regulam assignatam; omnes ex prævisis meritis ad vitam æternam prædestinati sunt.*

Status Controversiæ.

2. Itaque potissimum quæritur hoc loco de causa Electionis, num ea sint prævisa bona opera? quæritur de propria electione, num videlicet de ea quis possit esse certus? Et his subjunguntur nonnulla de electione Angelorum.

3. Quæstio prima: *Num simus electi propter prævisa bona opera?*

4. Resp. Pelagii hæresin de Electione proponit Augustinus lib. de Prædestinat. Sanctor. c. 18. his verbis: *Præsciebat Deus ait Pelagianus, qui futuri essent sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideò eos ante mundi constitutionem in ipsâ suâ præscientia, quâ tales futuros esse præscivit elegit.* Idem fatetur Bellarminus lib. 2. de Grat. & lib. arbit. cap. 8. *Pelagiani*, inquiens, *distinguebant posse, velle, & facere; Et posse quidem dicebant nos habere ex dono Dei, quoniam à Deo habemus liberum arbitrium, in quo est ipsa possibilitas; At velle, & facere dicebant esse nostrum.*

5. Opinionem hanc improbat caput Scholasticorum P. Lom-

bardus lib. 1. Sentent. dist. 41. lit. A. scribens: *Si quærimus meritum obdurationis, & misericordiæ, obdurationis meritum invenimus, misericordiæ autem meritum non invenimus: quia nullum est misericordiæ meritum, ne gratia evacuetur, si non gratis donetur, sed meritis redditur. Miseretur itaq; secundum gratiam, quæ gratis datur.*

6. Sententiam Lombardi improbavit Gabriel Biel in lib. 1. Sentent. distin. 41. Art. 2. dicens: *Alicujus prædestinationis est aliqua causa, quia aliqui ideò prædestinantur, quia prævidet Deus in eis bonum usum liberi arbitrii, & merita.* Ambrosius Catharinus, fatente Becano Tom. 1. pag. 85. distinguit duos ordines hominum, quorum altero comprehendit paucos quosdam, qui præ aliis eximiè à Deo dilecti sint, & ab æterno ante prævisionem operum, ad gloriam prædestinati; cujusmodi sunt Beata virgo, Apostoli, & nonnulli alii, quibus etiam eximia quædam dona gratiæ in hac vita concessa sint. Altero comprehendit reliquam hominum turbam, quos Deus contentos esse voluit communibus gratiæ auxiliis, eâ lege, ut qui benè iis uteretur salvi fierent, qui malè à salute exciderent, & damnarentur.

7. Hodierni Pontificii, & Jesuitæ verbis quidem improbant Pelagii, & Scholasticorum Pelagio subscribentium opinionem, licet in rebus ipsis subscribant illis, & inter se mirè dissentiant. De Bellarmini singularitate egimus in Disputatione præcedente. Stapletonus dicit part. 3. Explic. Cathol. pagin. 363. Electio sine ullis præcedentibus meritis datur per gratiam Dei. Et paulò post: Electio neque fit operibus prævisis, neque ex fide ante visâ. Et pag. 364. dicit: Qui dicunt, opera prævisa causam esse prædestinationis, & de prioribus gradibus (dilectione, electione, prædestinatione, & vocatione) sentiunt, profectò decipiuntur: Qui verò de posterioribus (augmento gratiæ, justitiæ profectu, & adeptione summæ felicitatis) sentiunt, rectam habent doctrinam.

8. Ob candorem commendamus Becanum qui Pontificiorum opinionem ob prævisa opera electionem esse factam statuentium, expressè fatetur. Nam Tom. 1. Opuscul. cap. 3. de Prædest. Cathol. th. 2. pag. 80. scribit: *Quicquid Deus in tempore confert alicui ex meritis, hoc ab æterno decrevit conferre ex meritis. Et quicquid in tempore confert sine meritis, hoc ab æterno decrevit conferre sine meritis. Ex hac regula tres propositæ quæstiones discutiendæ sunt. Nam si ostendimus, hunc, aut illum effectum prædestinatio-*

destinationis dari nobis ex meritis, jam ostensum erit, prædestinationem, quoad illum effectum, factam esse ex prævisis meritis: Et è contrario similiter. Sunt autem merita distinguenda: Nam alia sunt merita liberi arbitrii, quæ fiunt per solas vires naturales; Alia sunt merita gratiæ, quæ partim à gratia, partim à libero arbitrio tanquam â duabus causis partialibus dependent. Rursum, merita gratiæ, vel sunt à gratia tantùm actuali, vel etiam ab habituali, & sanctificante. Denique, aut sunt merita de condigno, aut de congruo. Et thes. 5. ait: *Tertia quæstio, an electio ad gloriam facta sit ex prævisis meritis, patitur etiam duplicem sensum: Unum de condignis meritis liberi arbitrii: Alterum, de condignis meritis gratiæ. Prius meritum, quod asserebant Pelagiani, jam pridem explosum est. De posteriori est controversia. Scholastici divisi sunt, & in utramque partem citant Augustinum, de cujus mente non satis constat. Si regula superiùs data teneatur, facilè negotium expeditur. Constat enim ex Scripturis, vitam æternam dari ex meritis, & ideò vocari mercedem, bravium, stipendium, coronam: Ergo dubitari non potest, quin ab æterno præparata sit ex prævisione meritorum, quod apertè colligitur ex illo Matthæi. 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esurivi enim & dedistis mihi manducare. Quid est paratum esse regnum à constitutione mundi, nisi quosdam ab æterno electos esse ad cœleste regnum? Et quare ab æterno hi electi sunt, non illi? Causam addit, quia hi fecerunt bona opera, illi non fecerunt, scilicet in præsentia Dei.*

9. Quamvis igitur Pontificii verbis Pelagii hæresin improbent: Reipsa tamen pelagianizant, quia neminem electum, ajunt, nisi quem Deus bene operaturum prævideri.

10. Opinionem, vel potiùs hæresin illam pelagianam, refutamus primò apertis Scripturæ testimoniis. Primum legitur Ephes. 1. vers. 4. Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti, & immaculati. Et versic. 5. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in sese, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ. Ex his dictis ita inferimus: *Qui sunt electi, ut essent sancti, & immaculati, illi non sunt electi propter sanctitatem, & sua opera. Atqui homines sunt electi, ut essent sancti, & immaculati. Ergo.*

11. *Secundum ex Rom. 9. v. 13.* Cum nondum nati essent, aut aliquid

quid boni, vel mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori. *Tertium Rom. 9. v. 10.* Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. *Quartum. 2. Tim. 1. v. 9.* Collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo ante tempora secularia. *Quintum Tit. 2. v. 5.* Non ex operibus nostris, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit Deus. Ex his scripturæ dictis ita argumentamur: *Quicquid excludit Scriptura ex numero Electionis causarum, ob illud, ejusq; prævisionem non sumus electi. Atqui meritum nostrum, & nostra opera excludit scriptura ex numero Electionis causarum. Ergo.*

12. *Sextum*, 1. *Cor. 4. v. 7.* Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Ex hoc dicto ita colligimus: *Qui nihil habent, quod non acceperunt, suæ electionis propter sua merita non sunt causa. Atqui homines electi nihil habent, quod non acceperunt. Ergo.*

13. *Septimum*, *Joh. 15. v. 16.* Non vos elegistis me, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat. *Octavum*, *Esai. 56.* A non quærentibus inventus est Deus. *Nonum Ezech. 16.* Populus in sordibus inventus est: *Decimum*, *Rom. 11. v. 35.* Quis est, qui prior dederit Domino, ut retribuat ei? *Undecimum. 1. Joh. 4. v. 10.* In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris. *v. 10.* Nos verò diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. *Qui igitur sunt inventi non quærentes, in sordibus, & quibus priùs dedit Deus; illi non sunt electi propter dignitatem suorum operum. Atqui homines, qui sunt electi, sunt inventi non quærentes, in sordibus, illisq; prius dedit Deus. Ergo.*

14. Secundò eidem Pelagianæ hæresi legitimas opponimus consequentias. 1. Homo nequit ex suis viribus aliquid boni cogitare, *1. Cor. 2. v. 14.* Ergo suæ electionis nequit esse causa. 2. Qui in spiritualibus est mortuus, ille nihil confert ad sui vivificationem: In mortuo enim non est facultas vitalis. Atqui homo post lapsum respectu sui confideratus est in spiritualibus mortuus, *Col. 2. v. 13. Eph. 2. v. 1.* Ergo.

15. 3. Nullum impurum, & imperfectum est causa inscriptionis in librum vitæ. Atqui opera nostra sunt impura, & imperfecta, *Esa. 64. v. 6. Phil. 3. v. 8.* Ergo.

16. 4. Nullum incertum est causa certi, & immoti. Atqui bona opera nostra sunt incerta, & variis modis mutabilia. Ergo non sunt causa electionis, quæ est certa, & immota: Firmum enim stat fundamentum hoc, novit Deus, qui sunt sui.

17. 5. Omnis causa meritoria dignior est, vel saltem æqualis effecto promerito. Atqui nostra opera nec sunt digna, quæ gratiam Dei prædestinantis possint promereri, nec æqualia: Etiamsi enim omnia fecerimus, quæ facere debemus, tamen dicere debemus, nos servos inutiles esse. *Luc.* 17. Ergo.

18. 6. Quicunque sunt prædestinati ex gratia, illi non sunt prædestinati ex suis operibus, *Rom.* 11. v. 6. Si ex gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia non esset gratia. Atqui quotquot sunt electi, sunt prædestinati ex gratiâ, *Eph.* 1. *v.* 4. *Rom.* 11. *v.* 6. *Rom.* 9.

19. 7. Quæcunque opinio omnes infantes in tenella ætate ante bonorum operum exercitium extinctos ex numero electorum simpliciter excludit, illa est crudelis. Atqui opinio eorum, qui statuunt illos tantùm esse electos, qui bona opera erant facturi, excludit ex numero electorum infantes in tenella ætate extinctos. Ergo.

20. Tertiò eadem est sententia piorum Patrum. Nam Augustinus scribit in Enchir. cap. 89. *Ambo enim natura filii iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit miserebor, cui misertus fuero, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam; Esau autem odio habuit per judicium debitum. Quod cum deberetur ambobus, in altero, alter agnovit, non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causâ, idem supplicium non incurrit, sed divinæ gratiæ largitate, quia non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.* Fulgentius lib. 1. ad Monimum, unus Deus est, qui gratis & vocat prædestinatos, inquit, & justificat vocatos, & glorificat justificatos.

21. Movent Pontificii contra sententiam illam ex scriptura ostensam aliquot objectiones, & ratiunculas. Prima hæc est: *Propter quod quibusdam regnum Cœlorum à constitutione mundi est paratum, propter illud sunt electi. Atqui propter bona opera prævisa est quibusdam paratum. Ergo.* Becanus dicit Tom. 1. pag. 84. Dubitari non potest, quin ab æterno præparata sit (vita æterna) ex prævisione meritorum, quod apertè colligitur ex illo Matt. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.*

Quid est paratum esse regnum â constitutione mundi, nisi quosdam ab æterno electos esse ad cœleste regnum? Et quare ab æterno hi electi sunt: non illi? causam addit, quia hi fecerunt bona opera, illi non fecerunt, scilicet in præscientia Dei.

22. Respond. Refutant opinionem pelagianam, & Pontificiam illam, singula ferè verba allegati testimonii: Nam 1. Dicuntur benedicti Patris, hoc est, quorum salus ex gratuito Dei favore proficiscitur, & qui sunt benedicti in benedicto. Nam benedictus patris significat Deo charum, & dilectum. 2. dicit Christus κληρονομήσατε hoc est, hæreditario jure possidete. Datur igitur eis regnum tanquam hæredibus. Ergo illud suis operibus non sunt promeriti. 3. Nominat ἡτοιμασμένην βασιλείαν paratum ipsis regnum. Ergo suis operibus illud sibi non præpararunt.

23. 4. Notant igitur nonnulli particulam γὰρ non esse hoc loco causalem, sed rationalem, non denotare causam rei, sed argumenti, non causam consequentis, sed consequentiæ, non esse simpliciter causativam, sed ratiocinativam, ut & 1. Cor. 10. Plures illorum non approbavit Deus: Prostrati enim sunt in deserto.

24. 5. Aliud igitur est descriptio justificatæ personæ, & aliud descriptio causæ, aliud sunt vitæ æternæ merita, & aliud fidelium Christianorum signa. Christus benedictos Patris dicit esse hæredes regni Cœlorum, argumentum petens non à causa, sed à fidelium nota, quia cum esuriret, cibarunt eum.

25. 6. Mercedem bonis operibus promitti, & illa suo præmio non carere, nos ipsi docemus: Remuneratur enim illa Deus in hac, & in vitâ futurâ, *Matt. 5. Rom. 6. 2. Tim. 4.* Sed merces illa est gratuita, quia pendet ex promissione. Et merces nostra copiosa erit in cœlo, non ipsum cœlum. Et corona justitiæ gloria est in vita æterna, non ipsa vita æterna, quæ est donum Dei per Christum Jesum, *Rom. 6.* Et dabitur non propter opera, sed secundum opera.

26. Objectio secunda: *Si Deus proponit homini vitam aternam ea lege ut nemo eam assequatur, nisi qui legitimè certaverit; certè nemini efficaciter statuit eam dare, nisi prævideat ipsius legitimum certamen. Atqui verum prius, 2. Tim. 2. v. 5. Quod si certet etiam aliquis, non coronatur, nisi legitimè certaverit. Ergo.* Becanus pag. 84.

27. Bz. 1. Cap. 1. v. 4. Ejusdem Epistolæ dicit Apostolus: Salvos fecit

nos,

nos,& vocavit vocatione sanctâ:non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum,& gratiam,quæ data est nobis per Christũ ante tempora secularia. E. bona opera nec vocationis nec dationis vitæ æternæ sunt causa.2.Aliud est ostendere ordinem, & aliud causam: Ostendit Apostolus non causam,sed ordinem,docetq; quod membra militantis Ecclesiæ non prius coronentur, quam certaverint. 3. Particula (*nisi*) ad varia potest referri argumentorum genera. Non igitur tantùm est nota causæ.

28. Objectio tertia: *Qui eò est vas in honorem,quod semetipsum emundet, ille respectu prævisionis operum est electus, Atqui homo eò est vas in honorem,quod semetipsum emundet,*2.*Tim.*2.*v.*20.*In domo magna sunt vasa aurea,& fictilia alia in honorem, alia in contumeliam. Si quis se emundaverit ab istis, erit vas in honorem utile Domino. Ergo.*

29. R. 1.Solus sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato.E.ab eo homo semetipsum causaliter non emundat.2.Dicitur verò homo semetipsum emundare, primò respectu habilitatis, quâ differt à trunco.Secundò respectu non repugnantiæ. Tertiò respectu cooperationis post regenerationem. Ambrosius dicit super locũ hunc: *Nunc alia hæresis fraude de sua convincitur, quæ asserit animas quasdam natura esse malas, quæ ad bonum cogi non possint, cum hic dicat posse malos immutari in bonum,& sordidos purificari. Poterant enim Hymeneus,& Philetus mundare sensum suum si voluissent, ut fierent vas sanctificatum præparatum in honorem.*

30. Objectio quarta: *Deus opera nostra prævidit, E. propter ea elegit.*

31. Resp. 1. Prævidit & præcognovit ipsos homines, eorumq; corpora. Num igitur & Illa sunt Electionis causæ? Augustinus dicit: *Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum.* Ergo non sunt causa justificationis. Ergo nec Electionis. 3. Prævidit Deus opera bona non tanquam electionis, & fidei causas, sed tanquam fidei fructus.

32. Objectio quinta: *Deus ex malorum operum prævisione reprobat. E. ex bonorum prævisione prædestinat: Contrariorum enim contraria est ratio.*

33. R. 1.Causa reprobationis cõsideratur vel respectu meriti, vel respectu executionis & proximi termini:Respectu meriti mala opera sũt reprobationis causa; Respectu executionis, & proximi termini causa est finalis incredulitas: Qui n.incredulus est Filio, nõ videbit vitã, sed ira Dei manet super eũ, 2. Canon ille de contrariis, q̃ nimirũ *contrariorũ contraria sit*

sit ratio & consequentia traditur à Logicis non in loco contrariorum, sed parium. Quamvis enim è contrariis oriatur, non est tamen contrariorum eadem ratio, nisi parium collatione tractantur. Non est verò malorum & bonorum operum æqualis conditio : Nam mala opera perfectè sunt mala & digna propter quæ reprobemur ; At bona opera sunt imperfecta, impura, & commaculata. Ergo non sunt digna, propter quæ eligamur.

34. Quæstio secunda : *Vtrum aliquis de propria electione positus esse certus ; An verò perpetuò sit dubitandum?*

35. Resp. *Aliud est quærere de bono futuro, & aliud de præsenti : Aliud de salute futura & æternâ ; & aliud de peccatorum veniâ : Aliud de electione & aliud de peccatorum remissione : Aliud de certitudine perseverantiæ : & aliud de certitudine dimissæ culpæ ; Prior quæstio est hujus loci ;* De posteriori agemus in disputationibus de justificatione.

36. Patres *Concilii Tridentini Sess. 6. cap.* 12. scribunt : Nemo quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certò statuat, se omninò esse in numero prædestinatorum : quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat : Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit. Et cap. 13. Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit : quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere : nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, &c. Canon igitur 15. Ejusdem Sess. hic est : *Si quis dixerit, hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum ; anathema sit.* Et canonem 16. his tradunt verbis : *Si quis magnum illud in finem perseverantiæ donum se certò habiturum, absoluta, & infallibili certitudine dixerit ; anathema sit.*

37. Concilium Tridentinum sequuntur reliqui Pontificii : Nam Becanus dicit Tom 1. Opusc. de Prædestinat. Cathol. cap. 4. t. 4. p. 92. *Certitudo, qua constet unicuique, an sit prædestinatus nec ne ; in hac vita absq; speciali revelatione haberi non potest, ut definitum est in Concil. Trident.*

38. Nec possunt aliter statuere Pontificii, salvis suis hypothesibus. Nam electos nos esse statuunt, respectu prævisionis operum.

Hæc

Hæc verò sunt impura, imperfecta & commaculata, de quorum numero, & perfectione perpetuò est dubitandum. Quare inde fluit dogma de dubitatione propriæ electionis.

39. Priùs quam opinionem illam Pontificiam refutemus, præmittimus *primò, certitudinem aliam esse objecti*, qua ut reproborum, ita & electorum definitus est numerus. Hæc igitur certitudo se aliter habere nequit. Nam firmum fundamentum Dei stat, novit Dominus, qui sunt sui, 2. *Tim.* 2. *v.* 19. Nomina vestra scripta sunt in Cœlis, *Luc.* 10. *v.* 20. Capilli capitis vestri numerati sunt, *Matt.* 10. *v.* 30. *Luc.* 12. *v.* 7. Ego cognosco oves meas, *Joh.* 10. v. 11. Scio, quos elegerim. *Joh.* 13. *vers.* 18. Quos præscivit, hos prædestinavit, *Rom.* 8. *v.* 28. Omnia in pondere numero, & mensura disposuisti, *Sap.* 11. *v.* 21.

40. *Secundo certitudinem aliam esse finis*: Quemadmodum enim reprobati conjicientur in ignem æternum: Ita prædestinati fruentur perpetuo gaudio: Neque altitudo, neque profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à Dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, *Rom.* 8. *v.* 39. Oves meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea, *Johan.* 10. *v.* 27. 28.

41. *Tertiò, certitudinem aliam esse subjecti*, quæ est hominis cognoscentis, de hac hoc loco quæritur.

42. *Quartò, certitudinem perseverantiæ non esse absolutam, sed hypotheticam*: Ille enim certo statuat ad se pertinere Prædestinationem, qui non contemnit media perseverantiæ, sed in Christo manet per fidem.

43. *Quintò, ostendendum est Deum in nobis, opus bonum quod cepit perficere ex Phil.* 2. *v.* 13. Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Promissiones igitur Dei sunt universales, non particulares. Itaque Deus serio, internóque beneplacito vult omnium hominum, & singulorum salutem. Non vult mortem impii, sed ut convertatur à viâ suâ pessimâ, & vivat *Ezech.* 33. *v.* 11. *cap.* 18. *v.* 31. 32. Vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. *Tim.* 2. *v.* 4. Vocat renuentes, extendit manum suam ad non aspicientes, *Proverb.* 1. *v.* 24. Christus missus est universis, & singulis, & pro his sese obtulit: Est salvator omnium, maximè fidelium, 1. *Tim.* 4. *v.* 10. Est lux verâ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum *Joh.* 1. *v.* 9. Spiritus S. stat ad ostium, & pulsat, si quis audierit

vocem suam, & aperiat januam, intrat ad ipsum, *Apoc.3.v.20.* Præbet fidem omnibus, *Act.17. v.31.* Per verbum Deus est efficax gignit per illud fidem, nos per illud salvamur, & servamur, *Rom.1.v.16.cap.10.v. 17.1.Tim.4.v.16.1. Cor.1.v.21.2. Corinth.1.v.12 Act.11.v.14. Gal.3.vers.2. Joh.17.v.20. Act.11.v.14.*

44. Quare ita argumentamur 1. Qui rectè utitur salutis mediis, ille de suâ non debet dubitare salute. At qui sese non opponit Spiritui S. per verbum trahenti; Sed verbum Dei audit studio discendi, ille rectè utitur salutis mediis. Ergo.

45. Urgendæ hoc loco sunt universales promissiones, earumque firmitas, ac veritas juramento confirmata. *Num.23.v.19.* Non est Deus, quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? Locutus est, & non implevit? *Psal.32.v.4.* Rectũ est verbum Domini, & omnia opera ejus in fide, & veritate. *Heb.6.v. 18.* Deus cum eximiè vellet hæredibus promissionis ostendere firmitatem consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immutabiles (*Promissionem videlicet & juramentum*) in quibus fieri non posset, ut mentiretur Deus, validam consolationem haberemus, qui huc confugimus, ut potiamur proposita spe. Hieronymus scribit Tom.2. Epist. 46. *Idcircò jurat Deus, ut si non credimus promittenti Deo, credamus saltem pro salute juranti.* Augustinus super Psalmum 110. *Cur non jurat Dominus,* inquit, *quando Domini juramentum promissionis est firmamentum?* Juratomninò. *Quid ergo tu facis, cum juras? Testaris Deum. Hoc est jurare, Deum testari: Et ideò molestum ne ad aliquam falsitatem testem adhibeas Deum. Si ergo tu jurando testaris Deum: cur ergo non & Deus, jurando testetur seipsum? Vivo ego dicit Dominus, juratio Dei est.* Et lib.16. de civ. Dei c.32. *Quid est Dei veri, veraciq; juratio nisi promissi confirmatio, & infidelium quadam increpatio?*

46. Erigere sese in tentationibus gravioribus promissionum Dei veritate Bernhardus est solitus, idq; ipse testatur Serm.3. de Fragm. septem panum: *Tria considero*, inquiens, *in quibus tota spes mea consistit: charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret jam, quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens: Quis enim es tu? aut quanta est illa gloria tua, quibus meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio, cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimiâ adoptavit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione: Licet eum facere, quod voluerit. Hic est funiculus triplex, qui difficilè rumpitur: quem vobis à patria nostra in hunc carcerem usq; dimissum firmiter obsecro teneamus, ut ipse nos sub-*

levet, ipse trahat, & pertrahat, usque ad conspectum gloriæ magni Dei, qui est benedictus in secula.

47. 2. Quicquid vera, & immota quis apprehendit fide, de eo non debet dubitare. Atqui fidelis verâ, & immotâ apprehendit fide divinas promissiones de æterna salute. Ergo de eis, earumque participatione non debet dubitare, sed potius piè dicere: *Sum in Christo per fidem. Non igitur dubito ad me pertinere prædestinationem.* Ne verò propterea securus reddatur ob oculos sibi ponat divinas adhortationes, & minas, quibus ad studium virtutis excitatur, & à vitâ prava deterretur.

48. Majorem confirmamus ab essentia fidei. Est enim firma & immota fiducia: Est substantia sperandarum, hoc est, vita quasi, & anima, hominem cælestia sperantem sustentans, *Heb. 11. v. 1.* Est πληροφορία firma persuasio, *Rom. 4. v. 21. Heb. 6. v. 11. 6. 10. v. 22.* Est παῤῥησία confidentia, *Joh. 16. v. 33. Matt. 9. v. 2. 22.* Quare ab homine fideli exulare debet dubitatio, & hæsitatio, quam excludit fiducia. Itaque certitudine fidei de sua potest esse certus salute. Minoris veritas patet ex scripturæ dictis: Apprehendit enim fides Christum, & divinas promissiones *Joh. 1. v. 12.* Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.

49. 3. Ex dicto Jacobi *cap. 1. v. 6. Postulet in fide nihil hæsitans: Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur* Unde ita colligimus: Qui postulare in fide debet nihil hæsitans certitudine fidei debet de illo, quod postulat esse certus. Qui enim est incertus, hæsitat. Atqui fidelis postulare debet in fide nihil hæsitans. E.

50. 4. Ex *Eph. 3. v. 12. In Christo Jesu habemus* τὴν παῤῥησίαν, καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ, *fiduciam, & accessum in confidentia illius.* Qui verò habet fiduciam, & confidentiam, ab eo exulat omnis hæsitatio, & servilis timor. Atqui fidelis habet fiduciam, & confidentiam Ergo.

51. 5. Ex *Rom. 5. v. 1. 2. Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum Dominum nostrum* Jesum *Christum. Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei.* Quicunque verò habent pacem ad Deum, stant in gratia, de qua gloriantur ob spem gloriæ, illi non dubitant, sed certitudine fidei sunt certi. Atqui tales sunt omnes fideles. Ergo.

52. 6. Ex 1. *Joh. 4. v. 13. In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, &*

mus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu S. dedit nobis. Et cap. 5. *vers.* 19. 20. *Scimus, quoniam ex Deo sumus: Et mundus totus in maligno positus est.* Et *scimus, quoniam filius Dei venit: Et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus.* Quod quis scit, ita ut spiritus S. perhibeat testimonium, de illo est certus. Atqui fideles sciunt, se ex Deo esse, in Deo manere, & Deum in ipsis. Ergo.

53. 6. Ex *Rom. 6. v. 16. Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus Filii Dei. Si autem filii, utique & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* 2. *Corinth.* 1. *vers.* 21. 22. 23. *Qui confirmat nos vobiscum in Christum; & qui unxit nos, Deus: Qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris Eph.* 1. *vers.* 13. 14. *credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.* Cujuscunque verò Spiritus S. reddit testimonium, & quod in cordibus fidelium obsignat, de illo fideles sunt certi. Atqui de eo quod fideles sint filii Dei, hæredes Dei, & cohæredes Christi, Spiritus S. reddit testimonium, illudque in cordibus fidelium obsignat. Ergo.

54. 7. Illustrat assertionem hanc D. Rungius in Epist. ad Rom. pag. 235. exemplo Apostoli Pauli: ipse enim negans totum populum Judaicum à Deo abjectum esse confirmat id *Rom.* 11. suo exemplo, atq; ita manifestè se electorum numero includit. Unde verò scivit se electum esse? Non ex peculiari revelatione quia ejus nusquam ulla fit mētio. Dicitur quidem σκεῦος ἐκλογῆς, sed ratione ministerii Apostolici, non æternæ salutis. Insuper si ex peculiari revelatione certus fuit Apostolus de sua electione, tum ejus argumentum non confirmat propositam quæstionem: non enim quærebant Judæi de peculiaribus revelationibus, sed de populi sui abjectione. Suspicionem igitur his animis eximere conatur argumento à suo ipsius exemplo sumpto. Itaq; Apostolus de sua electione non aliter fuit certus, quam de æterna salute & justificatione, *Rom.* 8. Habent enim se Prædestinatio, & salvatio, ut decretum, & decreti executio. Quare fundamenta certitudinis hujus ex parte Dei sunt promissio Evangelii universalis, meritum Christi universale, vocatio ad societatem regni Cœlestis universalis. Ex parte nostra fides amplectens promissionem verbo oblatam, & Sacramentis confirmatam, ex qua spes oritur, & pium Deo obediendi propositum.

55. *Contra sententiam verò hanc opponitur argumentum à dubitatione de perseve-*

perseverantia sumptum. Nam fides perseverans est causa instrumentalis Electionis secundum Lutheranos. At secundum eosdem credunt quidam ad tempus, & tempore tentationis deficiunt, Luc. 8. Et quidem vel temporaliter, vel finaliter, Quicunq; igitur sunt incerti, & dubitant de sua perseverantia, eosdem dubitare oportet de sua prædestinatione. Ex causæ qualitate enim judicium fit de effecto. Atqui fideles sunt incerti, & dubitant de sua perseverantiâ, quia fidem & totaliter, & finaliter possunt amittere. Ergo.

56. Resp. Certitudo alia est absoluta, cujus contrarium planè est impossibile; & alia hypothetica: Quamvis renatus nequeat esse certus de sua prædestinatione certitudine absoluta, & apodictica, potest tamen esse certus certitudine hypothetica, & fidei, ejusque certitudinis petere fundamenta 1. *à Dei* promissione: Perficere enim bonum nos non invenimus, *Rom. 7. v. 18.* Deus verò est, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate, *Phil. 3. v. 13.* Itaq; fiduciam talem habeamus per Christum ad Deum. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est, 2. *Corinth. 3. v. 4.* Christus dicit, *Johan. 4. vers. 13 14.* Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Piè igitur dicit Augustinus super Psalm. 148. *Quid tibi Deus promisit, ô homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede: Plus est jam, quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te Quid promisit? ut vivas cum illo.*

57. 2. *A Spiritus S. testificatione*: Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, *Rom. 8. v. 16. 17.* Qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in se. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis, 1. *Joh, 5. v. 10. 11.*

58. 3. *A peccati detestatione*: Adhæret n. nobis dum hanc animalem vivimus vitam peccatum: Unde oritur lucta carnis & spiritus in quibus hæc dominatur, illi sunt impœnitentes, qui ei resistunt, illi sunt fideles Christi discipuli: conqueritur de eà Apostolus, sed ei Spiritu menti resistit, eamque cohibet, ne dominetur, *Rom. 6. 7.*

59. 4. *A beneficiorum Spiritus S. desiderio*: Filii enim Dei ducuntur Spiritu Dei. Proinde ardent desiderio gratiæ Dei. Ex hoc igitur desiderio judicium aliquod possunt facere de sua salute.

Beati enim, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, *Matth. 5. vers. 6.*

60. 5. *Ab ardenti invocatione*: Hæc enim est fiducia, quam habemus erga eum, quod si petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, *Joh. 5. v. 14.* Quicquid petierimus, accipimus ab eo, 1. *Joh. 3. v. 22.* Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, *Joh. 14. v. 13.* Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis, *Matt. 7. v. 7.* Omnia quæcunq; petieritis in deprecatione credentes, accipietis. *Matt. 21. v. 22.* Petamus igitur à Deo perseverātiā, & eā obtinebimus.

61. 6. *A mediorum ad perseverantiam ordinatorum usurpatione*: Stamus enim fide, *Rom. 11. v. 20.* Exhibebit nos sanctos, & immaculatos coram seipso, si tamen permanemus in fide fundati, & stabiles, *Col. 1. v. 22.* Ex fide ut firma sit promissio, *Rom. 4. v. 14. & 16.* Virtute Dei custodimur per fidem in salutem, 1. *Petr. 1. v. 5.* Fidei verò medium est verbum. Qui igitur illud meditantur die, ac nocte, ac quorum in ea est voluntas, sunt beati: Et possunt esse de suâ perseverantiâ certi.

62. Proponi verò & alia solet quæstio, *de aliorum electione, & quæri, num & hanc scire possimus?*

63. Resp. 1. Unus est legislator, & judex, qui potest perdere, & liberare. Tu autem quis es, qui judicas proximum tuum, *Jac. 4. v. 12.* Tu, quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit, Rom. 14. v. 4. Repetimus distinctionem inter judicium apodicticum, & absolutum, & inter hypotheticum: De vero fidei confessore judicium ferre absolutè, ac statuere apodicticè quod sit verum electionis membrum temerarium est; At hypotheticè sub conditione perseverantis fidei eum inter electos habere charitatis est, quæ omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, 1. *Cor. 13. v. 7.*

64. Quæstio tertia: *Num in Christo electi sint Angeli?*

65. Resp. Thomas part. 1. quæst. 23. Art. 1. *Prædestinari*, inquit, *convenit Angelis, sicut & hominibus, licet nunquam fuerint miseri.* Thomæ opinionem defendere conantur reliqui Scholastici, & Pontificii. Bellarminus scribit lib. 3. de Grat. & lib. 2. b. cap. 17. *Angeli quoq; sancti gratiu prædestinati sunt ad vitam; Angeli verò mali, partim ex sola Dei voluntate partim ob præviſa peccata.* Videatur etiam Becanus Tract. 1. c. 14. quæst. 2. & 5. Tannerus in Thomam pag. 112.

66. Verùm propriè Angelos non esse electos, probamus 1. à fine mis-

ne missionis filii, & adventus Christi: Nam Christus venit salvare, quod perierat, *Luc.*19.*v.*10 Angeli verò boni nunquam sunt lapsi, & non perierunt. Ergo. 2. *Ab assumptione naturæ humanæ*: Christus venit propter illos, quorum semen assumpserat: Unde est canon ille Theologicus: *Quod non assumpsit; non curavit.* Assumpsit verò semen Abrahæ, non Angelorum, *Heb.*2.*v.*16. Ergo.

67. 4. *Ab officio mediatorio.* Quibus Christus datus est mediator, illi in fide perseverantes, sunt in Christo electi. Atqui non Angelis, sed hominibus datus est Christus mediator, 1. Tim.2.v.5, Ergo.

68. 5. *Ab electionis fundamento*: Facta enim est electio in Christo, *Eph.*1.*v.*3.4.2.*Tim.*1.*v.*9. tanquam in electionis fundamento: Et Deus mundo peccatis immerso dedit Filium, *Joh.*3.*v.*16.19. In illo igitur est facta electio, non quovis modo, sed quatenus est pro peccatis victima; & redemptor, *Eph.*1.*v.*6.7. Qui igitur per Christum non sunt redempti, illi propriè non sunt electi. Atqui Angeli per Christum non sunt redempti. Ergo.

69. 6. Vel ita *à causis Electionis, Illi sunt electi in Christo, quibus gratia Dei in merito Christi fundata per prædicationem verbi, & sacramenta offertur, quique eam perseveranti fide apprehendunt. Atqui hæc dici nequeunt de Angelis, ut sunt gratia in merito Christi fundata, redemptio, multorum vocatio, & paucorum electio, fides justificans, Sacramentorum usurpatio, & demum gloria in futuro judicio collatio. Ergo.*

70. At Bellarminus loc.d. provocat ad claram literam, *Esse*, inquiens, *Angelos electos, ac prædestinatos, docet Apostolus, cum*, ait, *scribens ad Tim. in* 1 *Epist. cap.* 5. *Testor coram Deo, & Christo Jesu, & electis Angelis, ut custodias hæc.*

71. Resp 1. Vocabulum electionis sumitur vel propriè, vel abusivè: Et aliud est electum esse, & aliud in Christo electum esse: Non statim quod est electum in Christo est electum. 2. Nonnulli in testimonio Apostoli nomine *Angelorum* intelligunt ministros verbi, qui ratione officii sui dicuntur Angeli, *Mal.* 2.*v.*3 .*cap.*3.*v.*1. 3. Sed damus intelligi posse Angelos ob essentiam suam Spiritus dictos; Sed ne sic quicquam obtinent Pontificii: Angeli enim in generali significatione dicuntur electi, hoc est, à Deo dilecti, & ipsi accepti. Ambrosius super Epistolam hanc dicit, *electos Angelos in Evangelio sanctos appellari.*

72. Quæstio quarta: *An igitur Angeli dicantur propriè libro vitæ inscripti?*

73. Resp.

73. Resp. Franciscus Suarez Tract. 2. in 1. Thom. lib. 1. cap. 1. *Ego existimo*, inquit, *etiam Angelos salvos, & prædestinatos esse per Christum, & ideò etiam illorum nomina scripta esse in libro vitæ agni.*

74. Erroneam verò hanc esse opinionem, non minus ac præcedentem censemus, hoc ostensuri explicamus prius terminos Primò, *Liber* igitur Deo attributus significat Dei notitiam. *Scriptio Dei* notat inspectionē, observationem, & curam Dei. Hujusmodi libri tres sunt: *Primus est Providentiæ*, seu universalis gubernationis, *Psal. 139. v. 10. Apoc. 5. v. 1. Secundus liber judicii, Dan. 7. v. 9. & 10.* Notat ille notitiam cogitationum, dictorum & factorum humanorum. *Tertius est liber vitæ. Exo. 32, v. 32. Psal. 69. v. 29. Esai. 4. v. 3. Ezech. 13. v. 19. Jer. 17. v. 13. Luc. 10. v. 20. Apoc. 3. v. 5. c. 12. v. 8. c. 17. v. 8. c. 20. v. 12. c. 21. v. 27. c 22. v. 19.* Intelligitur verò secundum quosdam per librum vitæ Christus, quia in ipso sumus electi, & per fidem ipsi inserimur. Alii librum vitæ interpretantur ex 2. Tim. 2. v. 19. de salvandorum notitiâ, qua Dominus novit, qui sunt sui, hoc est, *notat salvandorum numerum, quos Deus ex mera gratiâ propter Christi meritum, perseveranti fide apprehensum, ante jacta fundamenta mundi elegit.* Realiter libet iste cum electione est idem, differt ab ea tanquam catalogus scriptus ab ipsâ scriptione.

75. Ex his patet non propriè Angelos esse libro vitæ inscriptos 1. *quia non sunt propriè electi.* 2. *Illi sunt inscripti libro vitæ, qui sunt à morte liberati. At non Angeli, Ergo* .3. *Libro vitæ sunt inscripti, pro quibus mortuus est Christus: Inde dicitur liber vitæ agni, Apoc. 21. vers. 27. At pro Angelis non est mortuus Christus.* 4. *Illi sunt inscripti libro vitæ, qui in die novissimo sunt etiam judicandi, Apoc. 20. versic. 12. At non judicandi sunt Angeli* Ergo.

76. Et hæc dicta sufficiant de gratia Electionis, quibus finem imponimus verbis his Augustini super Psalm. 33. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt: Sed beneficia Dei te prævenerunt.*

FINIS DISPUTATIONIS LIII.

DISPUTATIO LIV.

DE REPROBATIONE INFIDELIVM

Resp. Henrico Twebomio Hildesiâ-Saxone.

THESIS I.

QUI non sunt in numero Electorum, dicuntur reprobi. Dissertationi igitur de electione subnectimus tanquam oppositam doctrinam de Reprobatione, ut contraria juxta se posita magis elucescant.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. *Reprobatio igitur est decretum Dei æternum de condemnandis impœnitentibus, seu finaliter incredulis.* Vel, *Reprobatio est decretum Dei, quo Deus hominibus propter inpœnitentiam, quia in Christum totius mundi redemptorem non credunt, irascitur, & æternæ damnationi adjudicat.*

3. Vocabulum reprobationis secundum literam non legitur in scriptura eo sensu, quo usurpari consuevit à scriptoribus Ecclesiasticis, nempe ut opponatur electioni: Homines dicuntur ἀδόκιμοι non reprobi, 1. *Cor.* 9. *v.* 27. 2. *Cor.* 13. *v.* 5. Mens reproba, sive sensus reprobus, *Rom.* 1. *v.* 28. reprobi circa finem, 2. *Tim.* 3. *v.* 8. Ad omne bonum reprobi, *Tit.* 1. *v.* 16. terra reproba *Heb.* 6. *v.* 8. quæ profert spinas, & tribulos. Ita reprobi salutare Dei verbum contemnunt, spinis voluptatum suffocant, in & incredulitate perseverant. Itaq; ut terræ reprobæ, ita & horum finis est εἰς καῦσιν.

4. Causa reprobationis non est *absoluta Dei voluntas:* Vult enim omnes homines salvos fieri, 1. *Tim.* 2. *v.* 4. *Joh.* 3. *v.* 16. *Rom.* 11. *v.* 32. Non est Deus volens iniquitatem, *Psal.* 5. *v.* 5. Non posuit nos Deus ad iram sed ad salutis consecutionem, 2. *Pet.* 3. *v.* 9. Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione virorum, *Sap.* 1. *v.* 12.

5. Nec causa Reprobationis est simplex *Dei decretum:* Quemadmodum enim Electio non est absoluta, ita nec reprobatio.

6. Neque causa reprobationis est *fictitia illa insufficientia, & par-*

ticularitas meriti Christi: Christum enim satisfeciſſe pro illis omnibus, qui mortui erant in Adamo, & qui suâ ipsorum culpâ pereunt, ostendimus in Disputatione præcedente.

7. Sed vera Reprobationis causa est *propria hominum malitia, & finalis incredulitas*, Oseæ 13. *v.* 9. Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei, *Joh.* 3. *v.* 18. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, *v.* 36. Itaque incredulitas est causa cum privativorum (*non videre vitam*) tum generaliter positivorum malorum (*ira Dei super ipsum manet.*) Qui non crediderit condemnabitur, *Mar.* 16. *v.* 16. Itaq; incredulus ideò judicatus est, & ideò manet super ipsum ira: quod non credat non credat in Christum. Itaq; ex intentione: voluntate, & mandato Dei debuit credere. Itaque annunciari illi debebat Evangelium de Christo, Fides enim ex auditu est: Auditus autem per verbum Dei, *Rom.* 10. *v.* 17. Itaque Christus ipsi est missus, & pro eo satisfecit, *Matt.* 1. *v.* 21. *Luc.* 22. *v.* 10. 11. Itaque Deus sic ipsum dilexit, ut ipsi daret filium, *Joh.* 3. *v.* 16.

8. Si igitur quæras, *cur hic, vel ille homo sit reprobatus, & damnetur?* Respondet Scriptura, quia non credidit in nomen unigeniti Filii, *Joh.* 3. v. 18. Qui verò incredulus est Filio, non videbit vitam, *Joh.* 3 *v.* 36. Et *Joh.* 16. *v.* 9. dicit Christus: Spiritus S. arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Si pergas quærere, *cur non crediderit?* Respondet Scriptura, quia renuit, *Prov.* 1. *v.* 24. Quia noluit, *Matth.* 23. *vers.* 37. Vocatus ad participationem beneficiorum Christi, comparere noluit *Luc.* 14. *v.* 24. Verbum Dei, quod audire & discere debebat, *Joh.* 6. *v.* 45. ipse repulit *Act.* 13. *v.* 44. 46. Consilium Dei adversum semetipsum sprevit, *Luc.* 7. *v.* 30. *Cur autem*, inquis, *verbum Dei audire noluit, sed sprevit illud.* Respondet scriptura, quia magis amavit tenebras, quàm lucem, *Joh.* 3. *v.* 19. Erant enim opera ejus mala. Itaque etiamsi ad tempus quidam credant, per peccata tamen regnantia nonnulli conscientiam repellunt, & fidei naufragium faciunt.

9. Sed nondum subsistis: *Deus*, ait, *est causa Electionis, cur non etiam Reprobationis?* Resp. In electione consideranda sunt duo, media, & finis, utriusque Deus est author: Fides enim, Electionis instrumentum est donum Dei. Dicitur igitur Deus causa Electionis. Sic in Reprobatione sunt duo, nimirum causa meritoria, & ipsa reprobatio. Causa meritoria Reprobationis est ab ipsis reprobis, & non ab ipso Deo, quippe

quippe cujus voluntati repugnat. Adscribitur igitur Deo tanquam justo Judici ipsa reprobatio, sed non ejus causa. Et refertur quidem reprobatio Dei ad voluntatem, verum non antecedentem sed consequentem.

10. *Subjectum Reprobationis* sunt homines peccatores, non simpliciter quatenus sunt peccatores, sed quatenus finaliter sunt increduli. Inde in descriptionibus reprobationis, & damnationis fieri consuevit mentio & peccati, & incredulitatis: Peecatum enim expiavit Christus, hunc qui fide non apprehendunt, sed sunt ipsi increduli, illi manent sub ira Dei, & pereunt.

11. Distinguuntur reprobi in duo suprema genera, quorum alterum est in cœtu paganorum; alterum in cœtu vocationi obtemperantium, & Christianorum.

12. In cœtu paganorum, qui sunt, eorum alii ad annos discretionis non perveniunt, alii hos attingunt, sed flagitiosè, & turpiter vivunt, *Rom.* 1. vel virtuti in proximum disponenti extrinsecus absque fide student. Hi omnes quidem sunt reprobi, & damnabuntur, sed pœnas gradibus distinctas sustinebunt. Remissiùs enim erit Tyriis, & Sidoniis, quàm Corozaim, & Betzaidæ, nec non Sodomis, quam Capernaum, *Matt* 11. *v.* 22. 24

13. In cœtu vocationi obtemperantium, & Christianorum tria reproborum genera numerat Salvator, *Luc.* 8. *Matth.* 13. 20. Alii enim voluptatibus, & curis mundi avocantur à proposito pietatis. Alii sunt irrisores, & persecutores. Alii inconstantes, qui tempore persecutionis deficiunt.

14. In numero reproborum sunt etiam indurati: Differt enim induratio à reprobatione, tanquam speciale à generali: Siquidem omnes indurati sunt etiam reprobati: sed non contrà. Indurati enim propriè dicuntur illi, quibus patefactio divinæ voluntatis innotuit quam ex destinatâ malitia abjecerunt. *Induratio est opus, cum perversi cordis humani furenter se mandatis Dei opponentis, tum Satanæ, permittente justo judicio Dei, verbo Dei petulanter resistentem, idq; blasphemantem excœcantis, ut videns non videat, & audiens verbum non intelligat, nec ad agnitionem veritatis perveniat.*

15. Nominamus indurationem *opus*, intelligentes *non naturalem cordis humani duritiem*: Siquidem secundum eam omnium homi-

num corda sunt lapidea, nec capiunt vocem Dei, nisi is ablatâ duritie substituat cor carneum *Ezech.*36. Sed *malitiam acquisitam*, quæ est præter naturam non modo integram, sed etiam corruptione naturali depravatam. Patet id ex exemplis : Nam alia ratione ruunt adversus Deum Cain, Pharao, & consimiles, quam Scipio, Pompeius, & reliqui Ethnici.

16. Scriptura nominat opus hoc excœcationem, *Esa.6. vers.*10. *Joh.*12.*v.*40 2.*Cor.*4.*v.*4. Intelligit verò cæcitatem non corporis, sed mentis : Nam mens intelligendi facultate seposita, non ea dijudicat objecta, quæ vel per se, vel Spiritu S. operante dijudicare poterat. Exemplo sunt Magi Pharaonis, qui evidentia miraculorum convicti, digito Dei à Mose, & Aarone res stupendas effici fatentur, & nihilominus in sua malitia perseverant. Si Pharisæi judicare potetant de operibus Christi, sed sua sponte nolunt.

17. Quibus appellationibus in describenda induratione utitur scriptura, eæ referuntur, vel ad cor, cujus durities novis incrementis, & accessione augetur, & incrassatur; vel ad oculos, qui spontanea malitia clauduntur, *Matt.*13.*v.*15. *Act.*28.*v.*27. Et cõsequenter excœcantur, *Joh.* 12.v.18. vel ad aures *Matt.*13.*v.*15. Indurati n. audire nolunt, & auribus à Diabolo obturatis audire nequeunt: vel ad cervicem, *Deut.* 10. *vers.*16. Metaphorâ ab indomitis jumentis sumptâ, quæ subjugari nolunt.

18. Adscribitur induratio tanquam causis efficientibus tribus, homini, Diabolo & Deo. Homo suæ indurationis est causa, quando spontaneâ, & pervicaci inobedientiâ, & malitiâ monstratæ, & manifestæ veritati repugnat, seq; à sancto proposito avertit, vel veritatem agnitam blasphemat. De Pharaone dicit Scriptura, *Exod.*7.*v.*13.22. Roboravit se cor Pharao, & non audivit eos *Exod.*8.*v.*19.*c.*9.*v.*35. Addidit Pharao ad peccandum, & aggragavit cor suum ipse, & servi ejus *Exo.*13.*v.*15. Et factum est, cum indurasset se Pharao. Sic dicitur *Deut.*10.*v.*16. Cervicem vestram ne induretis amplius 2.*Reg.*17.*v.*14. Induraverunt cervicem suam juxta cervicem Patrum suorum, *Jer.*5.*v.*3. Induraverunt facies suas sicut Petram, renuerunt reverti.

19. Secunda indurationis causa est Diabolus, qui malignum hominis propositum instigat, adjuvat, promovet, eumq; tenebris, ac peccatis subinde magis, magisq; immergit, 2.*Cor.*4.*v.*4. Deus hujus seculi excœcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.

20. Ter-

20. Tertiò adscribitur induratio in multis scripturæ locis Deo, ut *Exod. 4. v. 21.* Ego indurabo cor Pharaonis. *Exod. 9. v. 12.* Indurabit Dominus cor Pharaonis. *Esa. 63. v. 17.* Indurasti cor nostrum ne timeamus te. *Rom. 9. v. 18.* Deus, quem vult indurat. Sic dicitur, tradere in mentem reprobam, *Rom. 1.* Excæcare, *Esa. 6.* Decipere, *Ezech. 14.* Dare spiritum mendacii in ore Prophetarum, *1. Reg. 22.*

21. In his verò testimoniis explicandis cavendum est, ne ullo modo Deum peccati autorem statuamus: Repugnat n. hoc naturæ ipsius sanctissimæ, & perfectissimæ, voluntati justissimæ, & proinde verbo, in quo ea est revelata. Quare 1. tenenda est vulgaris regula: *Quando proprietas literæ impingit vel in articulum aliquem fidei, vel in alios textus manifestiores discedendum est à literâ, & recurrendum ad Phrases, vel figuras.* Et: *Prophetia tractetur secundum analogiam fidei.* Si verò testimonia illa accipiantur, quasi Deus sit peccati author, incurrunt in Scripturæ testimonia omnia, quibus Deus peccati causa negatur, & injustitiam, atq; impietatem nolle docetur.

22. 2. Non igitur indurare cor Pharaonis dicitur Deus quasi de novo duriciem in cor Pharaonis induxerit, aut in eo operatus sit (Omnia enim hominum corda naturâ sunt lapidea, *Ezech. 11. & 36.*) Nec quasi Deus cor Pharaonis, alioquin ad obediendũ Deo suâ naturâ flexibile, efficaciter suâ operatione contumacius reddiderit: *Ex mundo enim non ex Patre est concupiscentia, 1. Iohan. 2. Non per Deum, sed per unum hominem peccatum introiit in mundum, Roman. 5.* Sed indurare dicitur tanquam justus judex præcedentem hominum pervicaciam vindicans & gratia sua deserens, relinquensque hominem in cœcitate sua. Augustin. dicit de prædestin. Sanct. c. 4. *Deus dicitur indurare, quando non mollit.* Et in Epistol. 105. ad Sixtum: *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Et in Johan. tractat. 53. *Deserendo non adjuvando.* Item: *Diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit.* Itaque induratio quæ respectu sui est peccatum, respectu consequentium est causa peccati, respectu priorum peccatorum fit pœna peccati. Itaque induratio ratione ortus, & principii provenit à Diabolo instigante, & adjuvante; à voluntate hominum avidissimè consentiente. Deo verò non ortus, non principium, non causa peccati, sed finis ille bonus, ad quem ipsius gubernatione deducitur, adscri-

bitur. Deus igitur indurat deserendo,& permittendo. In permissione hac notanda est metarum constitutio,& ad usus, finesque salutares determinatio,& ordinatio. Vel secundum alios in judicio hoc divino notanda sunt quinque. 1. *Auxilii divini subtractio.* 2. *Hominis in potestate à Deo peccatum vindicante facta traditio.* 3. *permissio.* 4. *Peccatorum determinatio.* 5. *Finium ad normam justitiæ divinæ reductio.*

23. 3. Deus igitur indurat non effectivè, sed permissivè: Hujusmodi Phrasis declarationem Spiritus S. suppeditat in sacris literis. Nam quod oratio Dominica dicit, *Deum inducere in tentationem*, id Jacobus explicat negativè *cap.1.v.13. Nemo dicat, cum tentatur se à Deo tentari: Deus enim neminem tentat ad malum.* Explicationem affirmativam suppeditat nobis Apostolus Paulus, 1.*Cor.*10. *v.*13. *Fidelis est Deus, qui non* PERMITTIT *nos tentari ultra id, quod ferre possumus.*

24. 4.Inde dicunt Grammatici verba in Niphal,& Hiphil non semper operationem efficacem,& approbationem, sed sæpe permissionem significare, ut 1. *Sam.* 25. *v.*22.Fecit superesse, hoc est, permisit superesse,& vivere, *cap.*14.*v.*36. Nec relinquam ex eis virum. *Josu.*9.*v.* 15. 20. De Gibeonitis dicitur, fecit vivere, hoc est, permisit vivere, *Josu* 2.*v.*13. *de Rahab. Exod.*1.*v.*17.18.22. De obstetricibus non interficientibus infantes Hebræos, vivificarunt. *Exod.*16.*v.*19. 20. de manna: Fecit abundare, vel superesse, hoc est, fivit. *Ezech.*39.*v.* 28. Non relinquam amplius ex eis *Job.* 24.*v.*7. Nudum relinquunt *Proverb.*10.*v.*3. Fecit esurire, hoc est, permisit,&c.

25. Quare scriptura Deo adscribit indurationem *permissivè*, quando eum respicit, ut judicem, quia Dei potentiâ malitia Satanæ ita coërcetur, ut neminem citra ejus permissum possit excœcare: Et *determinativè*: Ad finem enim,& eventum bonum contra Satanæ consilium, Deus singulas species dirigit. Fulgentius dicit: *Deus licet non sit author malarum cogitationum, ordinator tamen est, & de malo opere cujuslibet mali non desinit operari bonum.*

26. Quos verò Deus velit indurare, ex gradibus peccatorum, qui indurationem antecedunt,& comitantur, colligitur. Hi sunt 1. Inobedientia adversus divinas promissiones,& Evangelium. Talis est in Saule, 1. *Samuel.*15. In Caino, *Gen.*4. In Judæis *Act.* 19. *Secundus Zelus invidiæ adversus doctrinam,& docentes.* Hujusmodi affectus cernitur in Pharaone adversus Mosen, in Saule adversus Samuelē. Tertius oratio maledica

maledica, & blasphema. Quartus verorum Christianorum persecutio. Pharao dicit *Exod.5.v.2. Quis est Jehova, ut obediam illi: Nescio Jehovam & Israëlem non dimittam.*

Sententia Pontificiorum.

28. *Pontificii & cum primis Jesuitæ duos fingunt Reprobationis actum. Prioris causam non dari, ajunt, nisi solam Dei voluntatem; Posterioris causam meritoriam esse peccata, rectè docent.* De priori errant.

Status Controversiæ.

29. Quare de verâ Reprobationis causâ est dissertatio instituenda, ut & Electionis doctrina magis eluceſcat, & error iste brevirer refutetur.

30. Quæstio prima: *An causa reprobationis partim ad solam Dei voluntatem, partim ad peccata prævisa sit referenda?*

31. Resp. Bellarminus lib. 2. de Grat. & lib. arb. cap. 16. hanc tradit propositionem: *Reprobatio, quam S. Augustinus prædestinationem ad interitum vocat duos actus comprehendit, alterum negativum, cujus nulla est causa ex parte hominum, alterum positivum, cujus causa est peccati originalis, actualisve prævisio.* Explicat propositionem hanc subsequenti pag. 636. his verbis: *Dicimus reprobationem duos actus comprehendere, alterum negativum, alterum positivum: Siquidem reprobi opponuntur electis contradictoriè, & contrariè. Primum enim non habet Deus voluntatem illos salvandi. Deinde habet voluntatem eos damnandi: Et quidem quod attinet ad priorem actum, nulla datur ejus causa ex parte hominum sicut neq; Prædestinationis. Posterioris autem datur causa prævisio peccati.*

32. Becanus Tom. 1. opuscul. idem aliis proponit verbis pag. 87. 88. *Est duplex reprobatio,* inquiens, *una, quâ quis rejicitur à gratiâ; altera, qua excluditur à gloria. Vtriusq; duo sunt effectus: Illius quidem permissio peccati, & obduratio; hujus verò, exclusio à gloriâ, & inflictio pœnæ sensus.* Ibidem causam permissionis & obdurationis inquirens dicit: *In iis, qui quidem nati sunt in peccato originali, sed ab eo per Baptismum justificati nihil est, quare permittantur labi in primum peccatum actuale: Sola Dei voluntas sufficit.* Et Tannerus in Thomam pag. 130. Reprobationis negativæ, seu omissæ prædestinationis, & præelectionis illius ad gloriam, nulla datur causa ex parte reprobi.

33. Jesuitarum hanc confessionem approbant Calviniani, videntes

dentes eam quoad verba à suâ non differre hæresi: Nam Pareus in Refut. Bellarmini lib. 6. pag. 362. scribit: *Vt & nos breves simus, propositioni huic novæ subscribimus.* Et Festus Hommius in Disputat. adversus Pontificios pag. 388. 389. Causa *Reprobationis dupliciter potest considerari*, inquit, *prout duo sunt ejus actus, secundum quos Reprobatio alia negativa, alia positiva appellatur. Illa, quia Electioni opponitur, propriè Reprobatio dicitur: Hæc potiùs reprobationis est consequens, & non nisi impropriè, aut κατ' ἐξοχὴν reprobatio vocatur. Causa reprobationis negativæ, sive Reprobationis comparativæ, hoc est, quare Deus Esavum reprobaverit, seu non tam illum, quam Jacobum elegerit, solum est Dei beneplacitum, & voluntas.* Et paulò pòst: *Quare etiam hic Bellarminus rectè negat contra recentiores Jesuitas Reprobationis hujus causam esse prævisum peccatum.*

34. Respondemus verò ad opinionem hanc ex controversiâ Jesuitarum, quam alunt inter se: De qua opinione sunt dubii ipsi Jesuitæ, & quæ ab aliis Jesuitis refutatur, illa ab eisdem nequit haberi certa, nec obtrudi tanquam vera. Atqui de opinione illa enarratâ sunt dubii ipsi Jesuitæ, imò refutatur ab aliis Jesuitis. Ergo nequit ab eisdem haberi certa: Et num consensio membrorum inter se, & cum capite est adhuc vera Ecclesiæ nota?

35. De minore dicit Tannerus pag. 130. *An simpliciter detur causa ex parte reprobi totius reprobationis, quod ad utrumq; effectū, controversia est de nomine potius, quam de re ipsa.* Controversiam verò hanc non esse nominalem, sed realem, videre est apud Gregorium de Valentiâ Tom. 1. Comment. in Thomam Disput. 1. de quæst. 23. Col. 583. Nam ipse opinionem illam Bellarmini nostrorum Theologorum refutat fundamentis.

36. Nos 1. ita argumentamur: Qui vult omnes, & singulos homines salvos fieri, ille absoluto odio neminem reprobavit. Atqui Deus vult omnes & singulos homines solvos fieri. Ergo. Minor legitur, 1. *Tim.* 2. *v.* 4. *Joh.* 3. *v.* 16. *Rom.* 11. *vers.* 32. *Tit.* 2. *v.* 11. Itaque omnes creavit ad imaginem suam, Gen. 1. 26. 27. hoc est, in justitiâ, & sanctitate verissimâ: *Eph.* 4. *v.* 24. Et post lapsum toti mundo promisit Filium, ut is genus humanum peccato immersum redimeret, *Joh.* 3. *v.* 16. 17. *Esai.* 53. *v.* 6. 2. *Cor.* 5. *v.* 19. *Gal.* 4. *v.* 4. 1. *Joh.* 4. *v.* 14. Non vult igitur ut unus pereat, 2. *Pet.* 3. *v.* 9. Jurat se nolle mortem morientis, sed ut convertatur impius à viâ suâ & vivat, *Ezech.* 18. *v.* 33. *cap.* 33. *v.* 11.

37. 2. Qui

37. 2. Qui ob propriam malitiam, & incredulitatem est reprobatus, & damnatur, ille non ob solam Dei voluntatem, & absolutum Dei odium est reprobatus, nec ob illud damnatur. Atqui finaliter infidelis ob suam propriam malitiam & incredulitatem est reprobatus, & damnatur. Ergo.

38. Minoris veritas patet ex *Sap.* 1. *v.* 12. Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione virorum. *Oseæ.* 13. *v.* 9. Perditio tua ex te Israël. B. Lutherus reddidit: Jſrael du bringeſt dich in Vnglück.

39. Reprehendit versionem hanc Wicelius in annotationibus: Nam in fonte legitur שִׁחֲתָךְ perdidit te. Wicelius reddidit verderbet hat es dich Jſrael, vernim/ daß du den Kelbern alſo nachleuffeſt/ küſſeſt/ vnd leckeſt. &c.

40. Resp. 1. Vulgatam editionem canonizarunt Pontificii. Ad hanc igitur eos remittimus. 2. Quia Propheta explicitè non ponit subjectum, sed tradit prædicatum, (*perdidit te*) ideò te subjecto sunt diversæ sententiæ. Tremellius & Piscator colligere id ex præcedente conantur versiculo, & subintelligunt, *rex tuus*. Wicelius subintelligit vitulum, cui cultum exhibuerunt Israëlitæ. Quare nos ita colligimus: Qui propterea sunt perditi, quod adorarunt vitulum, illorum perditio est ex ipsis. Atqui Israëlitæ propterea sunt perditi, quod adorarunt vitulum. Ergo ipsorum perditio est ex ipsis, & non ex absoluto odio. 3. Sensum igitur istius dicti rectè reddidit & editio vulgata, & ipse B. Lutherus.

41. Similia dicta leguntur, *Joh.* 3. *v.* 18. 36. Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, *Luc.* 7. *v.* 30. Pharisæi, & Legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab ipso. *Act.* 13. *vers.* 45. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniã repellitis illud, & indignos vos judicastis æterna vita: Ecce convertimur ad gentes. *Rom.* 9. *v.* 13. 32. Israël ad Legem justitiæ non pervenit, quia non ex fide. *Rom.* 11. *v.* 20. Propter incredulitatem fracti sunt. Hinc enthymematicè ita colligimus: *Incredulitas est causa reprobationis. Ergo non simplex, & absoluta Dei voluntas.*

42. 3. His addi possunt rationes desumptæ à Dei bonitate, misericordiâ, & justitia, atque ab Evangelicarum promissionum universalitate. Piè dicit Augustinus lib. 3. contra Julianum c. 18. *Bonus est*

Deus, justus est Deus; Potest sive bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis meritis damnare, quia justus est.

42. 4. His addi possunt exempla, ut 1. Pharisæorum, & Legisperitorum, qui spreverunt consilium Dei in semetipsos, *Luc.* 7. *vers* 30. 2. Ad cœnam magnam vocatorum, sed venire nolentium, *Luc.* 14. *v.* 24. Propria igitur ipsorum malitia est causa, quod non gustent cœnam magnam. 3. Judæorum blasphemantium, & contradicentium illis, quæ dicebantur à Paulo, *Act.* 13. *v.* 44. Propterea arguit eos Spiritus S. de peccato, *Joh.* 16. *v.* 19. Et propterea quia charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, misit illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendaciis & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, 2. *Thess.* 2. *v.* 10. Itaque incredulitate defracti sunt, *Rom.* 11. *v.* 20.

43. Verè igitur dicit August. lib. de Art. falsò sibi impositis Art. 2. *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideò creatus est, ut pereat, quia alia est causa nascendi, alia pereundi: Ut enim nascantur homines est beneficium; ut autem pereant, prævaricationis est vitium.*

44. Reponunt Pontificii effugium & distinctionem suam *inter Reprobationem negativam, & positivam, seu inter reprobationem à gratia, & à gloriâ: Illius non datur causa ex parte hominum: Hujus causa meritoria sunt mala operâ.*

45. Resp. Distinctionem illam refutamus 1. Scripturæ dictis, *Joh.* 3. *v.* 19. Hoc est judicium Dei, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. *v.* 36. Qui incredulus est filio, *non videbit vitam* (causa sic traditur privativi) *Sed ira Dei manet super eum* (ecce tibi causam mali positivi generaliter sumpti) *Act.* 13. *v.* 46. Repellitis verbum, & indignos vos judicatis æterna vita. *Luc.* 14. *v.* 16. 18. 24. Homo quidam paraverat cœnam magnam, & vocavit multos. Et cæperunt simul omnes excusare. Propterea nemo virorum illorum gustabit cœnam magnam. Ex his ita argumentantur. Primò: Quos Deus verè voluit fieri participes gratiæ, illos non absolutè reprobavit à gratia. Atqui Deus voluit eos, qui non gustant Cœnam magnam verè fieri partipes Cœnæ suæ, & gratiæ. Ergo. Deinde: Quos Deus habet voluntatem salvandi, illos non reprobavit à gratiâ, vel illos non reprobavit quoad actum negativum. Atqui universos, & singulos homines habet voluntatem salvandi. E. Confirmatid Deus juramento, *Ezech.* 33. *v.* 11. Vivo ego dicit Dominus: Nolo mortem impii, sed ut convertа-

tur impius â via sua,& vivat : Convertimini à viis vestris pessimis: Et quare moriemini domus Israël: Et *cap.*18.*v.*31.32. Projicite à vobis omnes iniquitates vestras,in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum,& quare moriemini domus Israël ? Quia nolo mortem morientis,dicit Dominus Deus,revertimini, & vivite.O *felices verò homines, quorum causa Deus jurat,sed infeliciores,qui Deo jurati fidem non habent.* Tertiò:Quibuscunq; Deus gratiam Evangelio propriã offert,& exhibet,eos vult salvos fieri:Et per consequens non absolutè eos reprobavit,nisi ex Deo vero benigno, & misericordi facere velis hypocritam, tyrannum & perjurum. Atqui gratiam Evangelio propriam offert universis & singulis,etiã illis,qui pereunt,*Matt.*28.*v.*19.*Mar.* 16.*v.*15.20.*Act.*17.*v.*30.*Ps.*18.*v.*5.*Rom.*10.*v.*18.*Col.*1.*v.*23.Ergo. Quartò: Causa damnationis est etiam causa reprobationis. Nam decretum & executio decreti sibi exactissimè correspondent : Propter quas igitur causas Deus in tempore damnat, propter easdem reprobavit,h. e. damnare constituit. Atqui Deus damnat non absolutè, sed propter hominũ malitiã,& hominum incredulitatem.E.Inde uterq; actus,negativus,& positivus adscribitur causaliter non Deo,sed incredulitati.Vel ita: Quẽcũq; Deus absolutè reprobavit,ille nequit salvari, & per cõsequens absolutè damnatur. Atqui nullus hominũ absolutè dãnatur. E.

46. 2. Quicunq; non absolutè,& simpliciter vult finẽ, ille nec absolutè,& simpliciter vult ordinata ad finẽ: Et, quicunq; non absolutè vult consequens,ille nec absolutè vult antecedens. Atqui Deus nõ absolutè vult damnationẽ,reprobationis necessarium consequens.E.nec vult absolutè,& simpliciter antecedens nempe reprobationem.

47. Opinio illa Pontificia,qua distinguitur inter reprobationem à gratia,& reprobationẽ à gloria,facit mutabilem Dei voluntatem:Nam reprobatio à gratia est absoluta Dei voluntas de hominibus quibusdã simpliciter non salvandis,ex opinione adversariorum; At reprobatio à gloria non est absoluta, sed præsupponit hominum malitiam,& incredulitatem ex sententia etiam adversariorum .Ergo adversatur naturæ Dei, eiusque verbo. Deus enim non est, ut homo,ut mutetur.

48. 4. Imò quocunque se vertant Pontificii , non possunt , quin Deum faciant supremam peccati causam , tantisper dum absolutam statuunt reprobationem à gratia : Nam quæro, quæ sit causa reprobationis à gratia ? Respondet Becanus sola

Dei voluntas. Pergo quærere, an ille qui est reprobatus à gratiâ, salvari possit? Respondeant oportet negativè, quia est absolutè à Deo reprobatus. Quare infero: Suprema causa reprobationis est etiam suprema causa damnationis. Atqui sola Dei voluntas secundum quosdam Jesuitas est suprema causa reprobationis. Ergo.

50. Conatur verò Bellarminus pag. 636. ostendere ex *Rom. 9. non dari causam ex parte hominum reprobationis negativæ: Antequam aliquid boni, vel mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori. Et Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Illud enim,* inquit, *Antequam aliquid boni, vel mali egissent, non solùm referri debet ad bona, & mala in præscientia Dei, quoniam alioqui daretur causa prædestinationis ex parte hominum.* Pergit Bellarminus refutare eos, qui censent excludi meritum seu peccatum operis, sed non originis. *Dices,* inquit, *Deum non odisse Esau propter opera mala prævisa, sed propter originale peccatum.* CONTRA, *nam originale peccatum erat commune utriq;: Igitur si propter originale peccatum odio habuit Deus Esau, debuit etiam propter idem peccatum odisse Jacob. Dices, poterat Deus justè odisse etiam Jacob, sed ex misericordia voluit eum diligere. At hoc est, quod quæritur, cur Deus unum dilexerit, ut liberaret, alterum odio habuerit, ut non liberaret, cum uterq; odio dignus & amore indignus. Non enim responderi potest unum non diligi, quia dignus est odio, cùm uterq; dignus sit odio. Restat igitur, ut hujus discretionis causa sit voluntas Dei, qua unum liberat, quia sic ei placet; alterum non liberat, quia non ei placet.* Syllogismus hic esto: Qui est reprobatus antequam malè egit, ipsius reprobationis causa non est malitia, seu peccatum, nec ille est reprobatus ob peccatum. Atqui Esau fuit reprobatus antequam malè egit. Ergo.

51. Resp. 1. Scopus Apostoli est, non ex professo agere de æterna electione, sed de temporali Judæorum rejectione, & de Gentium in tempore vocatione. Ad quæstionem hanc illustrandam argumenta quidem nonnulla ex æterna electione producuntur; Sed ulterius ea extendi non debent, quàm scopus, & quæstio proposita permittit. 2. Aliud est typus, & aliud speciale exemplum: Referuntur quidem Jacobus, & Esavus ad electionem, & reprobationem, sed tanquam typi, non tanquam specialia exempla. Typus verò cum antitypo congruit in quibusdam, sed non in omnibus. 3. Agitur non tàm de personis ipsis Esavi, & Jacobi, quàm de ipsorum posteris, ut videre est, *Mal. 1. v. 4. Gen. 25. v. 23. cap. 27. v. 29.* At quis dixerit totam posteritatem Esavi,

esse

esse reprobatam, & totam posteritatem Jacobi electam? 4. Quando igitur dicitur *Gen. 25. v. 23. Major serviet minori*, illud non de æterna Dei prædestinatione minoris ad salutem, sed de ejus prærogativâ in hæreditate promissionis est intelligendum. 5. Et quando dicitur *Malach. 1. v. 2. Jacob dilexi, Esau odio habui*, odium non denotat illud, quo impœnitentes peccatores, & finaliter incredulos Deus odit, & æternum objicit; Sed significat post habere, & postponere: Esavus enim negligitur, & Jacobo postponitur, ut patet ex ipso oraculo, *Gen. 25.* Atque hoc sensu sæpe usurpatur in scriptura, ut *Matt. 6. v. 24. Luc. 16. v. 13.* Nemo potest duobus Dominis servire: Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, &c. *Luc. 14. v. 26.* Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam, non potest meus esse discipulus, *Joh. 12. v. 25.* Qui amat animam suam perdet eam: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

52. 6. Esavum non absolutâ Dei voluntate; sed ob primogenituræ contemptum postpositum esse Jacobo, patet ex *Gen. 25. v. 32. Ad quid*, inquit, *mihi primogenita?* Et *v. 34. Parvipendit Esau primogenita.* 7. Aliud est peccati in tempore perpetratio, & aliud ad illã Dei intuitus. Docet Apostolus postpositum esse Esavum Jacobo antequam malum in tempore perpetrasset, sed non excludit Dei ad illud intuitum: Nam & hominum nativitatem in tempore excludit, non tamen Dei ad homines intuitum. Verè igitur dicit Irenæus lib. 4. c. 38. *Rejectus est Esau propter præviſam impietatem, etsi eandem nondum exercuerat.* Quemadmodum igitur postponitur Esavus Jacobo propter primogenituræ contemptum: Ita Judæi postponuntur gentibus propter incredulitatem, *Rom. 11. v. 30.* Et scandalum, *Rom. 9. v. 32.*

53. *Pergit Bellarminus, quod sola Dei voluntas sit causa discretionis hujus, qua unum liberat, quia sic ei placet; alterum non liberat, quia non placet, confirmare ex eodem capite Rom. 9. & quidem ex his dictis Apostoli: Miserebor, cujus misereor, &c. Et: Annón habet potestatem figulus luti, &c. Et: cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Figulus verò non aliam ob causam ex eadem massa facit aliud vas ad decus, aliud ad dedecus, nisi quia ita voluit. Ergo multò magis non aliam ob causam alios elegit, alios reprobavit, quia ita absolutè ipsi placuit, & voluit.

54. Resp. 1. Confundantur, qui Deum malorum authorem

arbitrantur. Cujus Deus est ofor, ejus non est author, 2. Apostolus respondet primò indirectè, temeritatem humanam acriter objurgando v 20. Deinde in eodem *cap. 9. v. 32. & cap. 11. v. 20.* objectionis Iudæorum ostendit causàm, nimirum offensionem & incredulitatem Israël qui sectabatur legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenit. Propter quid? Quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis: impegerunt enim in lapidem offendiculi. Benè dicis: propter incredulitatem defracti sunt. Quare nominatim docet Apostolus incredulitatem reprobationis esse causam

55. 3. Ambrosius dicit super cap. 9. Epist. ad Rom. cap. 27. *Magna est indignitas & præsumptio, hominem respondere Deo in adversis, iniquum justo, malum bono, imperitum perfecto; infirmum fortissimo, corruptibilem incorrupto, mortalem immortali, servum nequam Domino, creaturam conditori.*

56. 4. In simili de figulo, si nimis latè illud extendas, multa sunt dissimilia. Nam figulus utriusq; vasis in honorem, & ignominiam facti, est author; At Deus non author est, & causa reproborum, & ipsorum malitiæ: Tolerat vasa iræ præparata à Diabolo, & propria carne ad interitum, sed non facit, & præparat ea. Figulus ex libera voluntate facit vas ad ignominiam; At Deus vasa iræ gravi de causa tolerat. Figulus delectatur non tantum vasis ad honorem, sed etiam ad ignominiam factis: At Deus vasis iræ non delectatur non vult mortem pereuntium, nec delectatur morte impii. Lutũ sensus est expers non opponit se figulo; At homo infidelis resistit Deo. Ambrosius dicit loco dicto *Deus, cum omnes ex una, & eadem massa simus in substantia, & cuncti peccatores, alius miseretur, & alterum despicit, non sine justitia. In figulo n. sola voluntas est; In Deo autem voluntas cum justitia. Scit enim, cujus debeat misereri.*

56. 5. Exemplum illud de figulo explicant nonnulli de jure & à minori Apostolum argumentari ostendunt: Habet enim figulus potestatem facere vas vel in honorem vel ad contumeliam. E. multo magis Deus habet potestatem quorundam miserendi, & quosdam hostiliter repugnantes ob incredulitatem abjiciendi, & indurandi. 6. Perplacet nobis eorũ interpretatio, qui exponunt de facto: quemadmodũ enim figulus injustitiæ nequit argui, etiamsi ex eadem massa quædam vasa faciat in honorem, quædam ad ignominiam; Ita Deus injustus non est, etiamsi quorundam hostiliter sese non opponentium, & oblata bona contumaciter non respuentium misereatur; quorundã, qui sunt

sunt vasa iræ præparata ad interitum, non misereatur, sed multa animi lenitate toleret, ad ostendendam iram, & potentiam suam.

58. Ipse verò textus, ut diligenter introspiciatur, monemus. Nam 1. diversimodè loquitur Apostolus de vasis misericordiæ & iræ: De illis dicit activè, quæ præparaverat in gloriam, ἃ προητοίμασε; De his passivè, aptata in interitum, κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν. 2. Præparata verò sunt ad interitum non à Deo, sed à Diabolo, qui primos seduxit parentes Gen. 3. Et est mendacii pater Joh. 8. v. 44 atq; à propria carne, Diaboli suggestionibus consentiente. 3. Sunt vasa iræ, super quæ, propter incredulitatem, manet ira Dei. Joh. 3. v. 36. Non irascitur verò Deus operi suo, cujus est author. *Sap.* 11. *v.* 25. Nihil odisti eorum, quæ fecisti: Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Fulgentius lib. 1. ad Monimum: *Quæso Monime charissime*, inquit, *ut hunc locum Apostoli diligenter attendas: Notum namque est, iram Dei dici non posse nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse.* 4. Dicitur Deus vasa ea tolerare. Quæ verò quis tolerat, ea non placent, sed displicent. Quæ verò displicent, eorum non est author. Quis enim odio prosequitur suum opus? 5. Tolerat Deus ea magna animi lenitate seu μακροθυμίᾳ. Hujus itidem objectum est id quod displicet, finis per se est emendatio, quæ si non subsequatur, fines per accidens ex voluntate consequente sunt iræ divinæ ostensio, potentiæ manifestatio, & erga vasa misericordiæ divitiarum gloriæ illustratio.

59. Quæstio secunda: *An sola incredulitas sit causa reprobationis, & damnationis?*

60. R. Distinguimus inter meritum, & proximum terminum: causa ut reprobationis, ita & damnationis ratione meriti est omne peccatum, omnisq; malitia; At ratione executionis, proximi termini, & judicii est sola incredulitas. Dn. D. Meisnerus, amicus meus honorandus rectissimè distinguit in Disp. de Reprob. inter reprobationis, & dānationis materiale, & formale: Illud est quodlibet peccatum, hoc finalis incredulitas. Docet id Spiritus S. in Scriptura: Nam super incredulos manet ira Dei, *Johan. 3. v. 36.* Et Spiritus S. arguit mundum propter incredulitatem, *Johan. 16. v. 9.* Atque propter incredulitatem defracti sunt Judæi, *Roman. 11. v. 20.* Deinde à contrariis ita argumentamur: Sola Fides justificat, *Rom. 3* Ergo sola incredulitas damnat. Tertiò B. Lutherus de Libert. Christi: & captivit. Babyl. piè dicit: *Peccata in quantū talia non sunt proxima dānationis causa, sed in quantū hæc peccata sub*

incredulitate manent. Quare peccata damnant non absolutè, sed respectu finalis impœnitentiæ.

61. Quæstio tertia: *An detur liber mortis respondens libro vitæ?*

62. Scholastici nonnulli negativam tuentur sententiam. Thomas scribit part. 1. quæst. 24. Art. 1. *Non est consuetum, conscribi eos, qui repudiantur, sed eos, qui eliguntur: Vnde reprobationi non respondet liber mortis, sicut prædestinationi liber vitæ.* Subscribunt opinioni huic nonnulli Pontificii.

63. At si de re ipsa quæstio instituatur, absurdum non esse sentimus sententiam illorum Patrum, qui librum dari mortis affirmant. Nam Deus est omniscius, & omnia sunt subjecta oculis ejus. Ergo non minus ab æterno novit finaliter incredulos, eosque reprobavit, quàm perseveranter credituros, quos elegit. Referunt huc nonnulli illud ex Epistola Judæ vers. 4. Subintroierunt quidam homines (*qui olim præscripti sunt in hoc judicium*) impii Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem, & Dominum nostrum Christum negantes. Quare ipse Becanus Tract. 1. c. 14. quæstio. 8. Thomæ respondens scribit: *Quamvis non scribantur milites, qui rejiciuntur à malitia, solent tamen scribi: qui morte damnandi sunt.*

FINIS DISPUTATIONIS LIV.

DISPUTATIO LV.

Quæ est

De IVSTIFICATIONE HOMINIS PECCAtoris coram, Deo prima

Resp. Theodoro Berghavvero Magdeburgensi

Thesis I.

IUSTIFICATIO est æterni decreti executio: De ipso egimus decreto. Quare ipsam considerabimus executionem, & ostendemus, quomodo nos miseri peccatores in peccatis concepti, & nati, ab illis mundemur, in gratiam recipiamur, & coram Deo justificemur.

Sententia Protestantium.

2. Piè & graviter dicit B. Lutherus Tom. 4. Jen. Lat. pag. 10. *Non erit molestum repetere ea, quæ aliàs docemus, prædicamus, pingimus, cantamus, & scribimus: Jacente enim Articulo justificationis jacent omnia. Itaque sumnè necessarium, ut eum perpetuò inculcemus, quemadmodum Moses de sua lege dicit.* Et in præfat. Istius Tom. pag. 1. dicit: *In corde meo iste unus regnat Articulus, scilicet, fides Christi. Ex quo, per quem, & in quem, omnes meæ diu noctuq; fluunt, & refluunt Theologicæ cogitationes.*

3. Breviter, & rotundè doctrinam Justificationis proponit Augustana Confessio Artic. 4. his verbis: *Docent nostræ Ecclesiæ, quod homines non possint justificari coram Deo propriis viribus, meritis, aut operibus, sed gratis justificentur propter Christum, per fidem cum credunt, se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipso.*

4. Confirmat assertionem hanc confessio duobus dictis. Prius legitur, *Rom. 3. v. 34. 35.* Justificamur gratis ipsius gratiâ, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius ad declarandam justitiam suam per remissio-

nem præcedentium delictorum. Comprehendit Apostolus testimonio illo omnes justificationis causas : *Primariam & summam*, quæ est gratia Dei : *Meritoriam*, quæ est satisfactio Christi pro nobis præstita, quam tribus significantissimis proponit vocabulis, *Redemptionis, propitiationis, & sanguinis Christi* : *Instrumentalem*, quæ est fides meritum Christi apprehendens. *Formalem* descriptione remissionis peccatorum quæ remissio imputationem justitiæ Christi non excludit, sed includit. Nam Apostolus nominat modò peccatorum remissionem, modò imputationem : *Finalem*, quæ ex parte Dei est justitiæ declaratio ; Ex parte hominum, salus æterna.

5. Posterius legitur, *Rom.4.v.4. 5.16.* ubi docet Apostolus quid sit id, quod nobis imputatur, nimirum non nostra opera, sed Christi justitia fide apprehensa.

6. Describimus justificationem his verbis : *Justificatio est Dei actio, qua ex merâ misericordia propter obedientiam, & satisfactionem Christi homini peccatori per Evangelii ministerium verè in Christum credenti peccata remittit, justitiam Christi imputat, & ad salutem æternam acceptat, vel Justificatio est fidei obedientiam Christi apprehendentis ad justitiam imputatio.*

7. Vocabulum *justificationis* non usurpatur hoc loco ἐνεργῶς pro inhærente justitia, sicut in sanctificatione ; Sed παθητικῶς significatque ob Christi meritum à peccatis absolvi, pro justo censeri, & in filium Dei adoptari. Tria igitur comprehendit, ut sunt 1. Accusatum peccatorem propter meriti Christi imputationem absolvere ne judicialiter condemnetur. 2. Eum pro justo habere, & justum pronunciare. 3. Innocentis testimonium, non ob suam justitiam, sed ob Christi meritum ipsi tribuere. Habet igitur significationem forensem, significatque gratuitam à peccatis absolutionem, & obedientiæ Christi imputationem, ut inde peccator à crimine absolvatur, justus pronuncietur, laus & præmia, quæ justis debentur ipsi assignentur.

8. *Causa justificationis suprema est Deus Pater, Filius & Spiritus S. Rom.8.v.33.* Deus est, qui justificat. *De Patris dilectione legimus, Joh.3.v.16.* Sic Deus dilexit mundum. *1. Joh.3.v.1.* Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur. *De Filio* legimus, *Esa.43.v.25.* Ego sum iste, qui deleo iniquitates tuas propter me. *Gal.2.v.20.* Filius dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. *Ephes.5. vers.25.* Christus

stus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. *De Spiritu S. Rom.* 5. v. 8. Dilectio Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. 1. *Cor.* 6. v. 11. Justificati estis per nomen Domini Jesu, & per spiritum Dei. 1. *Pet.* 1. v. 2. Dilectis juxta præfinitionem Dei Patris per sanctificationem Spiritus.

9. *Causa justificationis impulsiva exterior, seu potius misericordiam Dei* irritans est extrema humani generis miseria, in quâ post lapsum hærebat, *Joh.* 3. v. 16. *Rom.* 5. v. 8. *Heb.* 2. v. 15. *Act.* 13. v. 38. Inde misericordia Dei dicitur affectus ex intuitu miseriæ natus.

10. *Causa justificationis nostræ impulsiva interior est* gratuitus Dei favor, bonitas, φιλανθρωπία, *Rom.* 3. v. 24. *Tit.* 3. v. 4. Dilectio seu charitas, *Joh.* 3. v. 16. *Roman.* 5. v. 8. *Eph.* 2. v. 4. 1. *Joh.* 4. v. 9. 10. Misericordia *Eph.* 2. v. 4. *Tit.* 3. v. 5. 1. *Pet.* 1. v. 3. Divinæ voluntatis beneplacitum, *Eph.* 1. v. 9. 2. *Tim.* 1. v. 9.

11. *Causa justificationis meritoria est Christus totius generis humani in utraque sua natura unicus Mediator, & Redemptor.* Seu est obedientia Christi in agendo, & patiendo consistens: Quemadmodum enim Deus summe, & infinitè est misericors, ita etiam summè, & infinitè est justus, adeòque ipsa justitia. Non amat igitur, sed odit peccata, *Psal.* 5. v. 5. juxta comminationem, *Gen.* 2. *vers.* 17. Justitia igitur & veritas Dei requirebat, ut quia homo legem transgressus erat, ipsi satisfieret. Filius igitur Dei homo factus dedit se ἀντίλυτρον pretium redemptionis pro omnibus, 1. *Timoth.* 2. *versic.* 6. Cum esset Dominus legis, *Matth.* 12. *vers.* 8. Propter nos tamen factus est sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, *Gal.* 4. *vers.* 4. 5. Legem igitur integram perfectissimè implevit, *Matt.* 5. *vers.* 17. 18. Atque inde finis, & perfectio legis dicitur, *Rom.* 10. *vers.* 4. Mortuus est propter peccata nostra, & excitatus est propter justificationem nostram, *Rom.* 4. v. 25. Sanguis igitur Filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. *Joh.* 1. v. 7. Itaque justificamur per redemptionem factam per Christum Jesum, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus, *Rom.* 3. v. 24. 25. Quare fundatur dilectio Dei in intercessione, obedientiâ, & satisfactione Christi.

12. *Causa instrumentalis justificationis est duplex:* consideratur enim vel respectu Dei vel respectu hominũ. Respectu Dei causa instrumentalis est, quæ gratiam Dei Evangelio propriam offert, ut verbũ Dei vel in se

considerâtum, vel visibilibus signis vestitum ut sunt Sacramenta Baptismus, & Cœna Domini, quæ sunt Evangelii sigilla, *Luc.2.v.10. cap. 24.v.47. Joh.6.v.68. Act.13.v.38. Rom.1.v.9. cap.10.v.15.17. 2. Cor.5.v.18. 1.Tim.4.v.16. 2.Tim.3.v.15. 1.Thess.2.v.13.*

13. *Causa instrumentalis justificationis respectu hominum est fides*, quæ est manus illa spiritualis, quâ gratia Dei in Christo fundata, & nobis in Evangelio oblata apprehenditur. Justificat verò fides non absolutè in se, quatenus est qualitas; Sed relatè quatenus nimirum apprehendit verâ fiduciâ Christum. Unde definitur *fides in Christum mediatorem fiducia.* Johannes dicit *cap.1.v.12.* Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Et *Rom. 9.v.30.* Gentes fide justificatæ dicuntur accepisse justitiam, quæ est ex fide. Unde scriptura de fide differens frequenter correlati mentionem facit, *Joh.3. v.16. Act.10. v.43. Gal.2.v.16.*

14. Dicitur verò fides SOLA justificare, sed in circulo causæ instrumentalis apprehendentis, quæ nec instrumentalem offerentem & dantem, nec principalem nimirum gratiam Dei, & meritum Christi excludit, sed potius præsupponit, eisq; se includit. Servator dicit, *Mar. 5.v.36.* Ne metuas, *solùm* crede. Apostolus Paulus, *Rom. 3.v.38.* Justificamur *per fidem sine operibus legis. Gal.2.* v. *16.* Non ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.

15. *Materia ex qua*, exquisitè & strictè loquendo justificationis non datur. Est enim justificatio actio, cujus non datur substantialis materia.

16. *Forma justificationis* dicitur esse vel peccatorum remissio, vel imputatio fidei ad justitiam; vel justitiæ Christi imputatio, & ad vitam æternam acceptatio: Hæc enim idem significant, quia Deus remittendo nobis peccata, imputat nobis Christi justitiam, & Christi Justitiam imputando peccata remittit, *Rom.4.v.6.7.8. Forma igitur justificationis est imputatio cum negativa, tum affirmativa*: Illa est peccatorum nobis inhærentium non imputatio, seu remissio, *Psal.32.v.1. Rom.4.v.7.8. cap.3. v.25. Luc.1.v.77. 2. Cor.5.v.19.* Hæc est Justitiæ nobis non inhærentis imputatio, & applicatio, *Jer.23.v.6. Rom.4.v.5. 1.Cor.1.v.30. 2. Cor.5.v. 21.* Unde est distinctio Apostoli *inter imputationem secundum debitum, & imputationem secundum gratiam, Rom. 4. v.3.4.5.* Illa oritur ex lege, & respicit opera; Hæc oritur ex Evangelio, & respicit fidem: Illius igitur

funda-

fundamentum est in operante; hujus in imputante. Hinc nominatur ea *imputatio fidei*, quæ definitur *iniquitatum remissio, peccatorum obtectio, & non imputatio, justitiæ Christi applicatio. Psal. 32. v. 1. Rom. 4. v. 5.*

17. *Finis justificationis consideratur vel respectu hominum, vel respectu Dei.* Respectu hominum finis est animarum salus: *1. Pet. 1. v. 9. Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Et vitæ æternæ hæreditas, *Rom. 4. v. 6. 7. c. 5. v. 1. cap 6. v. 22. Ioh. 3. v. 16. Tit. 3. v. 5. 7.* Finis respectu Dei est ipsius laus, & gloriæ, atq; misericordiæ, & justitiæ declaratio, *Rom. 3. v. 24. 25. 26.*

18. Justificationis effecta, & fructus sunt bona opera, *Gal. 5. v. 22. Eph. 2. v. 10. 2. Pet. 1. v. 8. 10. Jac. 2. v. 10. 17. 18. 21. 26.* Sed de his suo agemus loco.

19. *Subjectum justificationis, seu objectum est* homo peccator, & quidem non secundum animam tantum, sed totus, atque non quolibet modo consideratus, sed pœnitens, per ministerium Evangelii peccata agnoscens, de eis seriò dolens, eorumque remissionem à Christo verâ fide petens, & accipiens. Consideratur igitur ille secundum naturæ corruptionem, & legis maledictionem, & deinde secundum gratiam, & evangelicam consolationem: Illo respectu accusatur; hoc absolvitur.

30. *Adjuncta justificationis* sunt peccati odium, & bonorum operum studium, *Rom. 8. v. 4. 1. Joh. 3. v. 6. 8.* quotidiana renovatio, *2. Cor. 4. v. 16.* Sanctificatio, *Apoc. 22. v. 11.* Pax & conscientiæ tranquillitas, *Esai. 32. v. 17. Rom. 5. v. 1.*

21. Modus justificationis patet ex descriptione ejus formæ th. 16. Differt ille toto cœlo à modo Ethicorum: Ethicè enim dicitur justus, qui inhærente qualitate, seu justitiæ habitu est exornatus: Unde omnes actiones ejus justæ promanant; At in divino judicio requiritur non justitia finita, quæ in hominem quodammodo subjectivè cadit. Sed infinita, quæ infinitum Deum nobis placet, & justitiæ divinæ læsæ satisfacit. Hæc licet nobis non inhæreat, fit tamen nostra per fidem. *Modus igitur justificationis consistit in peccatorum remissione, atque obedientiæ, & justitiæ Christi Mediatoris per fidem imputatione, Luc. 18. vers. 14. Rom. 4. v. 6. 1. Cor. 4. v. 4. 2. Cor. 5. v. 19.*

22. Pugnantia sunt errores Pontificiorum legalem justitiam propugnantium.

Sententia Pontificiorum.

23. Justificandi verbo notatur justitiæ infusio. Costerus dicit cap. 6. Ench. p. 239. *credendum nobis est cum Ecclesia Catholica Deum in peccatoris justificatione non pretendere externam justitiam, aut sordes internas, externo velo tegere: aut per Christi justitiam, tanquam per perspicillum alieno colore infectum, hominem aliter, quam in seipso verè sit intueri: Sed revera gratiam, justitiam, & charitatem infundere, qua homo sit verè justus; sanctus, & bonus, & in seipso, & coram Deo: cujus peccata remanentia non tegantur, neq; radantur, neque occultentur, sed reipsa prorsus tollantur, abluantur, & declarantur.*

24. Est vero justificatio duplex: prima est, quâ primum justitia perfunditur, qui improbus antea fuerat: Hanc nulla merentur opera, sed gratis eam Deus concedit. Secunda est, qua magis adhuc justificatur, qui justus est. Hæc operibus comparari potest, & omninò debet, *Censura Colonienses pag.* 140. 141.

25. Si quis dixerit gratiam, quâ justificamur esse tantum favorem Dei anathema sit: *Concilium Trident. Sess. 6 Can.* 11. Est gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis proposita decrevit, non solum, per quam peccatorum fit remissio; Sed divina qualitas in anima hærens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores, & splendidiores reddit, *Catechismus Rom. de Baptismo pag.* 310. In hominis n. peccatoris justificatione immittit Deus pro sua misericordia in animum divinum quoddam, & admirabile Spiritus Sancti donum, videlicet gratiam, quæ est qualitas quædam infusa animæ, per quam non aliter fugantur peccata, quàm tenebræ adventu luminis: Per hanc accipit anima nitorem, divinamque pulchritudinem, qua non modo jam dicatur, sed revera sit grata Deo, & homo gratiâ præditus jam nominetur, ut sit amicus, imò filius Dei, *Costerus in Ench. cap. 6. pag.* 231.

26. Meritum Christi instrumentaliter tantum operari salutem scribit *Thomas.* Quidam admittunt esse illud quidem causam justificationis efficientem, sed valere tantum pro peccato originali. Alii concedunt, esse illud causam justificationis universalem, sed non totalem, & integram.

27. Fides justificat non per modum relationis, sed per modum dispositionis, *Bellarminus lib. 1. de justific. cap.* 12. Non est ea fiducia cordis

dis, sed nudus assensus, & ignorantia potiùs, quam notitia, *Bellarminus lib. 1. de justif. cap. 6.*

28. Falsum est fidem solam justificare. Falsum itidem ex ea quempiam de sua salute posse esse certum. *Patres Concilii Trident. Sess. 6. Can. 12.* scribunt: Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificemur, anathema sit. *Costerus in Ench. de Justif. p. 266.* Fides sola non satis est ad justificationem obtinendam, neq; fieri potest, ut sola hæc fides, quâ quis Christum pro suorum peccatorum remissione passum esse, & mortuum apprehendit, eamq; mortem pro peccatis suis acceptat, sine alia voluntatis motione peccata eluat. *Gregorius de Valentia lib. de Grat. c. 6. p. 2.* Docemus, inquit, neminem ex fide penitus esse certum, se ex illis esse, quibus peccata remittuntur. *Bellarminus lib. 3. c. 3. de Justif.* Non possunt homines, ait, in hac vitâ habere certitudinem fidei de suâ salute.

29. Forma justificationis potiùs consistit in renovatione, quam peccatorum remissione. Andradius dicit: *Justitia imputata est amentissima insania.* Thomas Stapletonus in Antidotis Apostolicis *nominat spectrum cerebri Lutherani.*

30. Objectum justificationis est hominis peccatoris anima. Becanus Opusc. Tom. 1. pag. 268. *Constat*, inquit, *gratiam justificantem existere in anima hominis justi, tanquam in subjecto. At quæstio est, an anima, sicut est subjectum, sic etiam sit causa materialis respectu gratiæ inhærentis.* Disputat ibidem, gratiam educi de potentia animæ, & non per simplicem creationem produci.

Status Controversiæ.

31. Quæ igitur in loco de justificatione inter Pontificios, & Protestantes sunt controversa, ea ex dictis facile intelliguntur. Ludunt enim Pontificii voce justificationis, oppugnant omnes justificationis causas, ejusque objectum, idque distinctè distinctis exponemus Disputationibus.

32. Quæstio prima: *Utrum vocabulum justificationis in ipso justificationis actu sumatur ἐκπικῶς notetque qualitatem inhærentem; An verò παθητικῶς habeatq; significationem forensem?*

33. Resp. Alphonsus Salmeron. Disp. 9. in Epist. Pauli ad Rom. p. 95. *Justificari, inquit, primo sensu est justum fieri, sive ex justo quomodo Christus*

& An-

& Angeli, & primi parentes extiterunt: Sive ex injusto, ut omnes nos, qui concipimur, & nascimur in peccato originali, & ex Adam veteri transferimur in regnum Filii dilectionis Dei. Costerus in Enchirid. cap. 6. p. 227. *Iustificatio,* ait, *propriè mutatio significat ad justitiam: Iustificare justum facere, seu justitiam dare: justificare justum fieri, seu justitiam accipere. Sicut calefactio est motus ad calorem: calefacere calidum facere, seu calorem dare: calefieri, calidum fieri, seu calorem recipere. Similis ratio est de frigefactione,, dealbatione, similibusq; motibus, vel mutationibus, quibus omnibus aliquid datur actione, & accipitur passione, habentq; nomen à termino, ad quem tenditur, hoc est, à formâ, vel qualitate.* Bellarminus lib. 2. de Justif. cap. 3. dicit à Patribus interdum justificare accipi pro eo, quod est justum facere. Et lib. 1. de Justificat. cap. 1. quatuor enumerat vocabuli *justificationis* acceptiones. *Primum,* inquit, *accipitur pro ipsa lege, quæ justitiam docet,* Psal. 119. v. 8. 12. *Deinde pro acquisitione justitiæ,* 1. Cor. 6. v. 11. Rom. 8. v. 30. 1. Cor. 6. v. 11. *Tertio pro incremento justitiæ: Nam quemadmodum dicitur calefieri, non solum qui fit calidus ex frigido, sed etiam qui ex calido fit calidior; sic etiam justificari dicitur non solum is, qui ex impio fit justus, sed ille quoq; qui ex justo fit justior,* Eccl. 18. v. 22. Iacob. 2. v. 24. Apoc. 22 v. 11. *Quartò pro declaratione justitiæ, modo quodam forensi, ut illi dicatur justificari, qui cum esset ab accusatore factus reus alicujus iniquitatis, à judice per sententiam declaratur justus, atq; absolvitur,* Proverb. 17. v. 15. Esa. 5. v. 13. Luc. 7. v. 35. Improbat verò ipse acceptionem quartam, secundam, & tertiam ait esse hujus loci. Idem habet Becanus Tom. 1. Oper. pag. 261. Justificatio, inquit, sumitur tribus modis. Primò pro acquisitione justitiæ: Is enim, quem Deus justificat, id est justum facit, dicitur acquirere justitiam. Secundo pro argumento justitiæ. Cum enim justitia latitudinem habeat, is, qui semel justitiam nactus est, potest in ea crescere, & proficere. Tertiò pro declaratione justitiæ. Nam qui antea suspectus, aut etiam reus erat justitiæ, potest pronunciari, & declarari, tanquam justus, etiamsi justus non sit. Rejicit & ipse acceptionem tertiam, & duas priores propugnat.

34. Quare opinantur Pontificii judicium de vocabulo justificationis esse faciendum ex compositione vocis, & ex similibus, ita, ut justificare, sit nihil aliud quàm justum facere, & justificari justum fieri sicut sanctificare, sanctum facere, ædificare ædes facere, calefacere calidum facere, mortificare mortuum facere, &c. Notatur igitur, secundum eos, vocabulo justificationis qualitatis infusio.

35. Pro-

35. Protestantium verò est sententia vocem *justificationis* non notari qualitatem infusam, sed esse illam forensem, & denotare hominis peccatoris ob legis transgressionem jam jam patiendi gratuitam propter obedientiam, & satisfactionem Christi θεανθρώπε peccatorum remissionem, absolutionem, in gratiam acceptationem, justitiæ Christi imputationem. Itaque comprehenduntur voce ea tria, accusati absolutio, justitiæ Christi imputatio: Unde justificato ejusmodi tribuitur testimonium, & præmia, quæ innocenti debentur.

36. Assertionem hanc confirmaturi in genere ita colligimus: *Vocabulum justificationis etiam extra doctrinam gratuitæ justificationis coram Deo habet significationem forensem, notatque principaliter aliquem absolvere & justum declarare. Ergo non simpliciter significatio hac debet improbari & rejici.*

37. Antecedens probamus per inductionem. Quod igitur latinam attinet linguam, non legitur vocabulum *justificandi* apud Ciceronem, Terentium, Cæsarem, alioſque priores, purioresq; linguæ latinæ authores. Est igitur vox ea non profana, sed Ecclesiastica, & biblica. Unde Lexiographi de vocabuli hujus genuina significatione parũ soliciti sunt, idq; fatetur Costerus in Enchiridio cap. 6. p. 227. *Nomen justificationis à prophanis scriptoribus non legimus usurpatũ, sicut nec verba ipsa justificare, & justificari: Sunt enim hæ voces Christianorum propriæ, utpote qui soli justificantur, & quid justificatio sibi velit, soli cognoscunt, & experiuntur. Vnde ab illis vera harum vocum significatio petenda est, & discenda.*

38. Apud Græcos usitatam esse vocem δικαιῶν extra dubium est, qua de re videatur vel Lexicon Johannis Scapulæ pag. 402. Denotat enim ipsis vel censere, ut apud Hærodotum δικαιῶσι Αἰγύπτιοι θεὸν æquum censent sacra facere, vel supplicio afficere, vel suum cuique tribuere. Hactenus verò à Pontificiis nullus ex aliquo probato authore dari potuit locus, in quo significet justitiæ infusionem.

39. Hebræi significata vocabuli justificationis distribuunt secundum quatuor significationes, ut eruditè notat D. Chemnitius par. 2. L. C. pag. 632. Nam in prima significatione significat justitiam habere, justum esse positivè, ut *Psalm. 19. vers. 10.* judicia Domini vera, justificata undique *Psal. 143. v. 2.* Non intres in judicium, quia non erit justus corã te omnis vivens. Similia leguntur, *Job. 9. v. 20. cap. 10. v. 15.*

*cap.*13.*v.*18.*cap.*34.*v.*5. Notandæ hoc loco sunt duæ observationes. Primò, justitiam legalem, sive inhærentem premi cruce, & tentationibus, ne se efferat, & persuasionem Pharisaicam inducat, sed ut discat quærere justitiam Evangelicam, ut *Job.*9.*v.*20. Si justus sum, os meum condemnat me. Secundò, *justitiam fidei considerari, vel respectu Christi vel respectu nostri*: respectu Christi est positiva, & in prima conjugatione; respectu nostri est imputativa, & in tertia conjugatione. Latini inde distingunt inter τό justificari à Domino, seu coram Domino, & in Domino, prius refertur ad tertiam conjugationem, & significat justum pronunciari; Posterius ad primam conjugationem, significatque nos esse positivè justos: verum non in nobis, sed in Domino, *Esai.* 45.*v.*25. In Domino justificabitur, & laudabitur omne semen Israël. 2.*Cor.* 5.*v.* 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Nam ipse nobis factus est justitia, 1. *Cor.* 1.*vers.*30.

40. In secunda conjugatione significat in genere tribuere alicui justitiam, ut *Job.* 32.*v.*2. Iratus est Elihu, quod Job justificaret animam suam. Plura vide *Jer.*3.*v.*11. *Ezech.*16.*v.*51.*Matt.*12.*v.*41. In tertia conjugatione habet significationem forensem, & significat in judicio aliquem absolvere, justum declarare, & præmium, quod innocenti debetur tribuere, *Esai.*53.*v.*11. In quartâ conjugatione significat semetipsum justificare, bonitatem causæ suæ argumentis, seu testimoniis asserere, causam dicere, ut *Gen.* 44. v. 16. dicunt fratres Josephi: *In quo justificabimus nos.*

41. Ex hisce colligimus, Pontificiam vocabuli justificationis significationem, qua fingitur significare justitiæ infusionem, ignotam esse linguæ sanctæ: Vocabulum in ea usurpatum in kal significat neutraliter justitiam habere, vel justum esse positivè; Sed in Hiphil significationem habet forensem, notatque in judicio aliquem absolvere, & justum pronunciare, sive id fiat verè, sive falsò, atque dicatur sive de creatore, sive de creaturis.

42. Exempla verò, quibus principalis illa significatio potest illustrari passim sunt obvia, ut *Gen.* 44.*v.*16. *In quo justificabimus nos?* hoc est: Quonam modo declarabimus nos esse justos, ut à furto, cujus rei perhibemur, absolvamur? *Exod* 23.2. 7. *Innocentem, & justum ne occidas, quia non justificabo impium*, hoc est, non habebo ipsum justum, nec à crimine

mine absolvam. 1. Reg. 8. v. 32. *Tu exaudies in cœlo, & facies, & judicabis servos tuos, condemnans impium, & reddens viam suam super caput ejus, justificansq; justum, & retribuens ei secundum justitiam suam*, hoc est, tu justum accusatum absolvis, justum pronuncias, atque innocentiæ testimonium attribuis. *Psal.* 82. *v.* 3. *Judicate egeno, & pupillo, humilem, & pauperem justificate*, hoc est, justum esse declarate, & absolvite. *Esai.* 5. *v.* 23. Væ qui *justificatis impium pro muneribus.* hoc est, justum declaratis, & absolvitis *Matt.* 12. *v.* 37. *Ex verbis tuis vel justificaberis, vel condemnaberis*, hoc est, vel justus pronunciaberis, vel injustitiæ convinceris, 1. *Tim.* 3. *v.* 17. *Deus est manifestatus in carne, justificatus est in spiritu*, hoc est, declaratus est Spiritus testimonio. *Jac.* 2. *v.* 21. *Abraham Pater noster, nonne ex operibus justificatus est* v. 24. Videtis quoniam ex *operibus justificatur homo. v.* 25. *Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est*, h. e. nonne Abraham ex operibus justus declaratus est? Nam Apostolus agit de ostensione fidei contra inanem vanæ fidei opinionem, ut patet ex v. 18. Et ipse Angelus interpretans exemplum Abrahæ de declaratione, *nunc cognovi*, inquit, *quod timeas Dominum.* Plura vide exempla apud Dn. Chemnitium, apud Dn. D. Gerhardi Tom. 3. Dn. D. Meisnerum in Disp. de justif. 24.

43. Quare quam significationem vocabuli justificationis improbat Bellarminus, ea est ipsius Spiritus S. loquentis in scriptura. Testimonium, quod pro confirmatione primæ acceptionis allegat, vitiosè redditum est in editione vulgata. Vocabulum enim quod legitur in fonte reddi non debebat voce justificationis, sed statutorum, vel mandatorum. Quæ testimonia allegat pro secundæ acceptionis confirmatione, illa loquuntur, non de justitia infusâ, sed imputatâ, idque ostendit ipse contextus, & comprobat analogiâ fidei. De testimoniis, quæ pro tertia allegat acceptione agemus in subsequentibus.

44. Verùm urgent Pontificii *primò grammaticam vocabuli justificandi significationem. Nam composita cum verbo facio significant effectionem seu productionem ejus qualitatis in subjecto, quam nomen verbo facio adjunctum denotat, ut purificare, significat purum facere & vivificare vivum facere. Ergo & justificare significat reipsa justum facere infusa habituali qualitate.*

45. Resp. 1. Judicium de vera vocabuli illius significatione faciendum est non ex compositione vocabuli latinâ, sed ex usu linguæ sanctæ. 2. Notatio illa allata non est perpetuò vera: Nam Deum magnificamus, & sanctificamus, non sanctitatis habitum infundendo, &

ex parvo magnum faciendo, sed magnum celebrando. 2. Sic fit quispiam justus non per habitualis justitiæ infusionem, sed per alterius judicium & declarationem.

46. Secundò, *opponunt locum, Psal. 73. v. 13. Sine causa justificavi cor meum h.e. justitiæ habitum infundendo justum reddidi.*

47. Resp. 1. *Psal. 142. v. 2.* dicitur: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Itaque homo coram Deo nequit semetipsum justum reddere. 2. Vitiosa est hoc loco editio vulgata: Nam in fonte non legitur justificavi, sed mundavi. Conqueritur enim David innocentem agentibus vitam plærunque in hac vita malè esse.

48. Tertiò, *Adduntlocum Dan. 8. v. 14. justificabitur sanctuarium, hoc est, purgabitur, & mundabitur.*

49. Resp. 1. Alienum illud est à quæstione, quia agit non de justificatione hominis, sed de mundatione sanctuarii. 2. Non notatur igitur justitiæ infusio, sed cultus collapsi restauratio, 3. Et dictum illud non absurdè potest exponi nomine declarationis, ut sit sensus, sanctum esse declarabitur.

50. Quartò, *provocant ad locum Dan. 12. v. 3. Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Bellarminus dicit libr. 2. de Justif. c. 3. pagin. 1034. in hebræo est justificantes, sive qui justificant. Et non potest hoc trahi ad judices declarantes: Significat enim Prophetæ magnam futuram esse gloriam Doctorum, qui multos ad justitiam docendo perduxerint.*

51. Resp. 1. Si vocabulum justificationis ibi nequit intelligi de judicibus justos declarantibus modo forensi, ubi significat docendo ad justitiam perducere, sequitur quod ne quidem in ipsa publicatione latæ sententiæ in forensi judicio forensem habeat significationem. 2. Non Doctores Ecclesiæ, sed Deus justitiam in corda hominum infundit. 3. Exponi verò dictum ilud potest dupliciter, vel de informatione, & adhortatione: Dicuntur enim ministri verbi justificare ad resipiscentiam adhortando, & justificationis modum docendo; *vel de ministeriali declaratione*: Quemadmodum enim Deus Magisterialiter, ita Pastores Ecclesiæ ministerialiter declarant justos, *Johan. 20. v. 23. 2. Corinth. 5. vers. 19. 1. Timoth. 4. vers. 16.* Itaque commodissimè sententiahæc ad propriam vocabuli justificationis significationem potest reduci: Deus enim justificat, h.e. peccata remittit, sed per ministerium verbi.

52. Deinde in specie argumentamur 1. *ab ipso justificationis actu. qui describitur vocabulis forensibus*, ut sunt, *reus* qui est totus mundus, *Rom.3.v.4.19. Accusator*, qui est lex, *Rom.3.v.20. Joh.5.v.45. Testis*, qui est conscientia. *Rom.2.v.15. Judex*, qui est Deus ipse *Rom.2.v.2.3.4.* & ipse filius incarnatus, cui dedit potestatem judicium faciendi, quia filius hominis est *Joh.5.v.27. Tribunal*, quod est Christus *Rom.14.v.10.2. Cor.5.v.10. Iudicium Ps.147.v.2.* Hujus processus extremus describitur *Matt.25. Talentum seu debitum Matt.18.v.24. Chirographum Col.2.v.14. Advocatus, 1.Joh.2.v.1. Absolutio Ps.32.v.1.* Quare totus actus justificationis, cum describatur vocabulis forensibus, inferimus & ipsam justificationis appellationem, esse forensem. Significat igitur hominis peccatoris coram tribunali divino constituti & ad thronum gratiæ confugientis à pœna & culpa absolutionem.

53. 2. *Ab apertis scripturæ testimoniis actum judicialem exprimentibus.* Hæc verò agunt vel de ipso justificationis Articulo & leguntur *Ps.143.v.2. Iob.9.v.2. Luc.18.v.14.* vel de rebus aliis extra justificationis doctrinam *Deut.25.v.1.2. Sam.15.v.4. Esa.5.v.23.c.43.v.9. Psal.82.v.3.3. à contrariis, ut sunt peccati imputatio, non dimissio, accusatio & condemnatio*: His enim directè justificatio opponitur *Rom.5.v.16.c.8.v.33.34. Matt.12.v.37.2. Cor.3.v.9.* Oppositа verò sub eodem dicuntur esse genere. Atqui illa omnia sunt forensia. Ergo & justificatio forensem habet significationem. 4. *A phrasibus æquipollentibus.* Nam quod *Luc.8.v.14.* dicitur justificari, id dicitur *Matt.9.v.2.* peccata remitti: Quemadmodum & Apostolus ex Ps.32.v.1. justificationem definit, quod sit peccatorum remissio. Justificare igitur est, in judicium non vocari *Psal.142.v.2.* Non judicari, aut condemnari *Joh.3.v.8.16.17.c.5.v.24.* Reconciliari 2. *Cor.5.v.19. Rom.5.v.10.* Apostolus Paulus justificare exponit per justitiam imputare *Rom.4.v.3.* Fidem imputare ad justitiam *v.5.* Tegere iniquitates, non imputare peccatum *v.7.* Condonare peccata. *Col.2.v.15.* Hæc vero singula, quibus justificatio circumscribitur, sunt forensia. Ergo & ipsa justificatio.

54. 5. Ab absurdis: Nam ex opinione Pontificia sequitur, infusionem justitiæ esse remissionem peccatorum: Justificationem enim describit Apostolus per peccatorum remissionem, *Rom.3.v.25.* sequitur ex eadem non esse justificationis causam formalem unicam, sed multiplicem, ut sunt, peccatorum remissio, qualitatis novæ infusio,

bonorum operum productio: Sequitur itidem bona opera, quæ sunt justificationis effectus infundi. Statuunt enim Pontificii, justificare esse, infundere justitiam. Et addunt bona opera justificare.

55. Quæ cum ita sint, concludimus, quod justificare cumprimis in Articulo justificationis forensem habeat significationem, & denotet hominis peccatoris ad thronum gratiæ confugientis à culpâ & pœna coram tribunali divino absolutionem, & justi pronunciationé.

56. Reponunt verò Pontificii & hoc loco nonnulla effugia. In acie ponunt illud *Esai.* 51. *vers.* 11. *In scientia sua justificabit ipse servus meus multos.* Ubi est verbum in Hiphil dicit Bellarminus pag. 1055. quod justum facere significat.

57. Resp. 1. Petit Bellarminus principium. 2. Ostensum est in præcedentibus verbum hebræum in tertia conjugatione usurpatum significare, non justitiam infundere, sed justitiam imputare, & justum pronunciare. 3. Scientia Christi sumitur vel pro notitia visionis, qua omnia novit & bona, & mala; vel pro notitia approbationis, qua novit, & approbat viam justorum; vel pro relatione in ordine ad objectum, atque ita scientia Christi, nihil est aliud, quam fiducialis assensus apprehendens promissionem Evangelii de gratuita peccatorum remissione, per meritum Christi acquisita hoc sensu intelligitur *Esai.* 53. Nã in fonte legitur non scientia sua, sed sui. Et verba notitiæ apud Hebræos non historicam duntaxat notant notitiam, sed affectum cordis. Accedit quod scientia salutis nostræ consistat in remissione peccatorũ *Luc.* 1. *v.* 77. Et hæc est vita æterna, ut cognoscant te solũ verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, *Joh.* 17. *v.* 3. Itaq; Christus ipse justus *in notitia sui*, h.e. dum vera fide agnoscitur, & apprehenditur, *justificabit*, h.e. justos pronunciabit *multos*, h.e. quotquot in eum credunt: interpretationem hanc exhibet, paraphrasis Apostolica *Rom.* 3. *v.* 26. *Vt sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.*

58. Quæstio secunda: *An differant justificatio, & salvatio?*

59. ℟ Salvatio notat vel fruitionem gloriæ, vel fruitionem gratiæ. Priori respectu distingui quidem solet à vocabulo justificationis, sed posteriori cum illo planè coincidit. Quæ enim conveniunt definitione, illa reipsâ non differunt. Atqui justificatio, & salvatio, conveniunt definitione. E. reipsâ non differunt. Vel: Quorum eædem sunt causæ, & in scriptura habentur pro ἰσοδυναμέσιν, illa realiter non differunt.

Atqui

Atqui justificationis & salvationis eædem sunt causæ. Ergo

60. Assumptio probatur. Sicut enim justificamur gratis gratiâ Dei per fidem Jesu Christi, non ex operibus, *Rom.3.4. Gal.2.3.* Eodem modo, & iisdem causis salvamur, *Eph.2.v.8.* Gratia salvari est per fidē, non ex operibus 2.*Tim.1.v.9.* Qui salvavit nos, non secundum opera nostra, sed secundum propositum, & gratiam suam. *Tit.3. v.5.* Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos non fecit. Similia leguntur. *Act.15.v.11. Rom. 11. v.5.* Apostolus igitur justificationem vocat μακαρισμὸν beatitudinem, easdem hujus, & illius causas enumerans, *Rom.4.v.6.* Quare una est fides sine operibus justificans, & sine operibus salvans: Diversa enim esse nequit, *Eph.4 v.5.* Unus Dominus, una fides, unum baptisma.

61. Quæstio tertia: *An διαίρεσις Pontificia in primam, & secundam admitti possit?*

62. Resp. Duplicem faciunt justificationem *Bellarminus lib.1. de justif. c.1. lib.2.c.3. Costerus in loco de Justif. Becanus de Justif. Cathol.c.1.th.2.* At Alphonsus Salmeron, Tom.13. Auctar. loco adjecit tertiam, dicens pag.342. *Præter primam justificationem, quâ quis ex injusto fit justus & secundam, per quam ex jam justo quis auctior fit in justitiâ, quas duas justificationes, dum vivimus, attingere & possumus & debemus: est tertia justificatio, cum quis sententia judicis absolvitur & pronunciatur justus: quæ non nisi post hanc vitam justis contingit, & ad hanc respiciens Paulus, dixit de futuro: factores legis justificabuntur, Rom.2.v.13.*

63. Refutavimus verò distinctionem illam pontificiam sequentibus fundamentis. 1. Non tradit eam Scriptura 2. Ignorat eam pia antiquitas. 3. Justitia Christi, quæ nobis imputatur & fit nostra per fidem, nullo indiget augmento. E. non augetur per justitiam aliquā secundam. Nam *Christus licet esset Dominus legis, tamen se legi subjecit, eamq; pro nobis implevit partim legem observando in minimis, maximis, ut adimpleretur Dei justitia, Matt.13.v.15.* Unde de ipso legimus, quod iniquitatem non fecerit, nec dolus in ore ejus sit inventus, Esai.53.v.9. partim maledictionem legis in se recipiendo, factus patri obediens usque ad mortem crucis, *Phil.2.v.8.* Ipse igitur est justitia nostra, *Jer.23. & 33.* Et ipse à nobis factus est justitia, 1.*Cor.1.*

64. 4. Justificatio docendi causa refertur ad prædicamentum Relationis. Ergo non admittit magis, & minus. Seu *alia est justitia operū quæ refertur ad Prædicamentum Qualitatis, & sic recipit magis & minus, &*

alia justitia fidei, quæ refertur ad prædicamentum Relationis, atq; magis, & minus non recepit. Itaq; non minus est justificatus, qui infirmam, quam qui magnam habet fidem. Est enim justitia nostra Christus, 1. Cor. 1. v. 30. *Et quidem fide apprehensus, Act.* 10. v. 43. *Itaque fundamentum nostræ justitiæ est ipse filius Dei. Mediator cum toto suo officio: Hujus igitur obedientia quando nobis imputatur, res est maximæ entitatis.*

65. 5 Formalis justificationis nostræ causa est tantum unica, ut disputat ipse *Bellarminus lib. 2. de Justif. cap.* 15. Quare si sufficit ad salutem justificatio prima, non opus erit secunda, aut si sufficit per se secunda, non opus erit prima, aut si requiritur utraque, non erit justificationis nostræ forma unica. 6. Justificatio prima aut erit perfecta, aut imperfecta. Si illud non opus est secunda; Si hoc, nemo infantum in primâ justificatione morientium salvabitur contra dictum Christi *Luc.* 18. v. 16. Et contra decretum Apostolici Concilii *Act.* 15 v. 11. *quo docetur omnes eodem modo justificari.* 7. Justitia inchoata nihil confert ad gratiam impetrandam, qua coram tribunali divino subsistere possimus: Hæc enim *primò est effectus justificatorum, & fructus* justitiæ coram Deo nos absolventis, & justificantis, *Rom.* 6. v. 23. *Gal.* 5. *Secundò est imperfecta, & languida: Lex enim informatur per carnem.* Unde & justitia dicitur inchoata: Et sancti in medio bonorum operum cursu profitentur se peccatores, Psal. 19. Eccl. 9. Rom. 7. v. 25. Joh. 1. v. 10. *Tertiò est jam ante debita* Luc. 7. v. 10. E. licet esset perfecta coram Deo tamē nō esset meritoria.

66. *Opponunt vero Pontificii dictum Apoc.* 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc.*

67. Resp. Dictum hoc à nonnullis explicatur non de incrementis justitiæ, sed de ejus innovatione, quæ fit in dies per pœnitentiam, quia quotidie in multis labimur omnes, & *de ejus continuatione*, quæ græca voce ἐπι indicatur, & pro qua orare debet omnis sanctus, Psalm. 32. v. 6. Non enim legitur in textu: qui justus est magis justificetur, sed justificetur adhuc. Non inconveniens est eorum interpretatio, qui dictum hoc interpretantur *de justitia inchoata*, quia illa cohærent, iniquus iniquè agat amplius, sanctus sanctificetur amplius. Sensus igitur est: *Sicut per ministerium verbi obstinati non emendantur, sed magis sordibus contaminantur: Ita justi, & sancti crescunt, & proficiunt ex auditu verbi in sanctitate, & justitiâ novæ obedientiæ.*

FINIS DISPUTATIONIS LV.

DISPUTATIO LVI.

DE MERITORIA IVSTIFICATIONIS NOSTRÆ CAUSA.

Resp. Friderico **Lübbern** Hildesia-Saxone

THESIS I.

OSTENDIMUS justificationis nostræ causas in genere summamque & primam justificationis causam, quæ est gratuita Dei misericordia, exposuimus in specie in Disputationibus de Gratia Dei: Pergimus igitur agere de causa justificationis meritoriâ.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Conspicitur in justificatione nostra divinæ justitiæ & misericordiæ admiranda contemperatio, quam commendat Apostolus, *Rom.3.v.22.Eph.1.v.4.5.6.Tit.3.v.4.5.6.7.* Cave igitur sejungas dilectionem, gratiam, & favorem Dei à Christi intercessione, obedientiâ, & satisfactione. Nam Deus sic est misericors, ut simul sit justus, adeoq; ipsa justitia: Non amat, sed odit peccata, *Psalm. 5.v.5.* juxta comminationem, *Gen.2.v.17.* Et sententiam legis, *Deut.27.v.27. Gal.3.v.10.* Fundatur igitur dilectio Dei in intercessione, obediētia,& satisfactione Christi. Fundamento hoc sublato, ipsum fundamentatum corruit. Itaque justificamur quidem Dei gratia; at per redemptionem Jesu Christi, *Rom.3.v.24.* Remittuntur nobis peccata, at in sanguine,& per sanguinem Christi, *Rom.3.v.24.Col.1.v.14.* Reconciliati sumus ipsi,at per sanguinem Filii, *Col.1.v.20.* Absque sanguinis effusione non fit remissio, *Heb.9.v.22.*

3. Augustinus dicit Serm.3. de annunc. Dom. *Sic voluit ruinam fragilis vasis reformare, ut nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia justus est: nec insanabile, quia est misericors. Potuit aliter fieri, quantum ad potentiam Medici; Sed non potuit commodiùs, aut doctiùs præparari, ut esset medi-*

cina ægroti, & quantum ad justitiam Dei. Confirmat sententiam hanc Augustini consideratio Dei naturæ, justitiæ, & veritatis. *Natura enim Dei est rectissima.* Huic igitur è diametro repugnat peccatum. Ergo cum seipsum nequeat Deus negare, ipsi homini peccatori succensuit. *Deus est summè justus.* At mala reddere malis est justum. Sine satisfactione igitur non potest delinquentibus peccata remittere. *Est Deus ipsa veritas.* At dixit *Gen. 2. vers. 17. Quacunque die comederis morte morieris.* Homo verò comederat. Ergo ipsi æternùm moriendum fuisset, nisi pro eo alius, & quidem Christus θεάνθρωπος satisfeciisset.

4. Quare ipse est justificationis nostræ causa meritoria, seu in utraque sua natura totius humani generis unicus est mediator, & redemptor: *Deus enim suo sanguine redemit Ecclesiam, Act. 20. vers. 19. Sanguis Jesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato* 1. *Johan. 1. vers. 8.* Angeli ad obedientiam Deo præstandam jam ante obligati erant, & homo ad pœnam ob transgressionem Legis obstrictus erat. Ideò *Filius Dei legi semetipsum subjecit, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adeptionem filiorum reciperemus, Galat. 4. versic. 4. 5.* Vel obedientia Christi activa, & passiva, sive obedientia, & satisfactio Christi est justificationis nostræ causa meritoria, quæ hoc loco rectissimè conjunguntur. Nam Christus est mediator, & redemptor noster ratione suæ obedientiæ & satisfactionis: *Christus se dedit ἀντίλυτρον pretium redemptionis pro omnibus,* 1. *Tim. 2. vers. 6.* Cum esset Dominus legis, propter nos factus est sub lege *Gal. 4. v. 4. 5.* Legem igitur integram perfectissimè implevit, *Matt. 5. v. 17. 18.* atque inde dicitur finis, & perfectio legis, *Rom. 10. v. 4.* Itaque justificamur per redemptionem factam per Christum Jesum, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus Rom. 3. v. 24. 25.

5. Nam Christus nos emit, 2, *Pet. 2. v. 1. Apoc. 5. v. 9.* At emptio præsupponit æquivalens pretium: redemit nos per proprium sanguinem: factus nobis est *ἱλαστήριον.* Empti igitur sumus magno pretio 1. *Cor. 6. v. 20.*

6. Itaque tripliciter justificationis nostræ dici potest causa: *impulsivè & meritoriè*: Ipse enim peccata abstulit, gratiam patris nobis promeruit, & ipsi nos reconciliavit, *Rom. 4. v. 25. 1. Corint. 15. v. 3. Efficienter,* quia solius meriti Christi efficacia nobis gratia est acquisita, ita ut ipsius obedientia pro totius mundi peccatis sufficiat, 1. *Joh. 1. v. 7. cap. 2. v. 2. 1. Pet. 1. v. 19. Formaliter,* quia gratiam non tantùm nobis acquisivit,

vit, sed etiam acquisitam in verbo offert, & applicat. Non igitur nostrâ sed ipsius obedientia nobis imputata sumus justi. Inde dicitur nostra justitia, *Jer. 23. v. 6.* in ipso sunt nostræ justitiæ, *Esa. 45. v. 24.* A Deo nobis factus est justitia, 1. *Cor. 1. v. 30.* Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. 2. *Cor. 5. v. 21.*

7. Ad causam hanc meritoriam clariùs exponendam adhibentur particulæ, *gratis, sine operibus vel meritis propriis*, quarum duæ posteriores removent causas falsas. Prior est declarativa: Nam clarè monstrat peccata nobis gratuitò remitti, h. e. nihil esse in nobis, propter quod peccata remittantur.

Sententia Scholasticorum, et Pontificiorum.

8. Causa instrumentaria, sed conjuncta justificationis nostræ est Christus, Bellarminus lib. 1. de just. c. 2.

9. Principium mediationis Quod totus est Christus, sed principii Quo sola humanitas, Lombardus lib. 3. distin. 19. Bellarminus lib. 5. de Christo cap. 1.

10. Maria virgo in opere Redemptionis fuit Christi adjutrix, & merito Christi merita sanctorum sunt adjungenda.

11. Nova, & inaudita impietas est, statuere quod Christus sit passus dolores inferni, *Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 8.*

12. Satisfecit quidem Christus pro peccatis, & pœnis quibusdam, sed non pro omnibus.

13. Valor satisfactionis Christi non est in infiniti meriti efficacia, licet Deus eã ob suam misericordiam loco satisfactionis habuerit.

Status Controversiæ.

14. Quamvis igitur Pontificii videri nolint, quod meritum Christi oppugnent, revera tamen ipsi detrahunt, ut patet ex jam dictis: Nam sanctorum opera ipsi associant, atq; ita illud enervant: Non pro omnibus peccatis, & pœnis Christum satisfeciſſe asserunt.

15. Quæstio prima: *Num Christi meritum habeat se ad justificationem nostram non principaliter, sed tantùm instrumentaliter?*

16. Resp. Bonaventura scribit: *Passioni Christi propriè non potest tribui causalitas justificationis.* At nullum enim genus causarum pertinet. Habet tamen *aliquam proprietatem causæ per modum meriti intervenientis, quod habet rationem dispositionis, & reducitur ad causam materialẽ.*

Thomas ab opinione ea nonnihil recedens asserit, Christum esse justificationis nostræ causam per ministerium, & instrumentaliter operari salutem. Huic subscribit Bellarminus lib. 1. de just. c. 2. Scribunt quidem Patres Concilii Tridentini Sess. sexta cap. 7. *Meritoria* (justificationis causa) *est dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus: qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.* Sed interpretantur illud vel de prima gratia, vel de infusione qualitatis. Nugantur enim Christi passione, & merito conciliatam esse eam virtutem nostris operibus, ut jam vitam æternam promereri valeant.

17. Directè verò ea pugnant cum scriptura. Nam 1. Christus est autor & dator vitæ, est justitia nostra, est Dominus gloriæ. Nequaquam igitur dici debet justificationis nostræ instrumentum, Jer. 23. v. 6. Hoc est nomen, quod vocabunt eum Jehova, justitia nostra, 1. Cor. 1. v. 29. Christus Jesus factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio, 2. Cor. 5. v. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, Rom. 5. v. 17. In vita regnabunt per unum Jesum Christum: Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sumus multi: ita & per unius obedientiam justi constituentur multi. 1. Tim. 2. v. 5. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominũ, Homo Jesus Christus. Act. 3. v. 15. Autorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, 1. Cor. 2. v. 8. Si cognovissent haud quaquam Dominum gloriæ crucifixissent Act. 4. v. 12. Non est aliud nomen, in quo Deo placere possumus. Joh. 6. v. 51. Ipse carnem suam dedit pro mundi vitâ.

18. 2. Nomina officii competunt Christo secundum utramque naturam. Atqui esse nostrum Redemptorem est nomen officii. Ergo competit Christo secundum utramque naturam. Absurdè verò dixeris Christum secundum utramque naturam instrumentum nostræ justificationis. Per Christum igitur nobis est parta remissio peccatorum, justitia, & salus non tanquam per instrumentum, sed tanquam per causam efficientem principalem.

19. *Inquis, Christum in scriptura dici servum & ministrum: Ergo*

eum

um esse justificationis nostræ causam ministerialem, & instrumentalem. Esai. 53. v. 11. In scientia sui justificavit ipse justus servus meus multos. Philip. 2. v. 7. 8. Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem: mortem autem crucis. Matt. 20. v. 28. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Rom. 5. v. 8. Dico Jesum Christum, ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei.

20. Resp. Confunditur finis incarnationis cum causandi modo: Christus venit, & carnem assumsit, ut nobis ministraret: Nobis verò ministrando, nos redemit, Patri reconciliavit, & salutem est operatus.

21. Quæstio secunda: *An satisfactionis valor consistat in infinita meriti Christi efficacia?*

22. Resp. Durandus in lib. 4. Sentent. dist. 15. *Christus*, inquit, *secundum strictum justitiæ rigorem non potuit satisfacere, quia quicquid erat in Christo secundum humanam naturam, erat obligatum Deo, & ei debitum: ideò non potuit esse satisfactio de condigno pro quocunq; peccato, considerando naturam operis, vel rei, sed solum potuit esse satisfactio secundum acceptionem gratuitam.*

23. Impiam hanc esse opinionem vident ipsi Pontificii, propterea eam improbant. Nam 1. Emptio præsupponit æquivalens pretium. Atqui Christi satisfactio est hominis lapsi emptio, & redemptio 2. *Pet. 2. v. 1. Apoc. 5. v. 9.* Ergo. 2. Inde dicimur empti pretio non exiguo, sed magno. 1. *Cor. 6. v. 20. Empti estis pretio magno.* 3. Pro infinito malo requirebatur infinitum bonum. Atqui peccatum est infinitum malum, quia committitur contra infinitum Deum. Ergo requirebatur pro eo infinitum bonum, cujusmodi est Christi obedientia, & satisfactio. 4. Infinita Dei justitia erat læsa. Ergo infinitum requirebatur meritum, per quod Deo reconciliaremur. 5. λύτρον personæ infinitæ est infinitum. Atqui λύτρον Christi est personæ infinitæ: Sanguis Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. *Joh. 1. v. 7.* Deus suo proprio sanguine acquisivit sibi Ecclesiam, *Act. 20. v. 28.* Ergo ipsius λύτρον est infinitum. Et quamvis mors ejus ratione temporis fuerit finita, ratione tamen valoris dicitur infinita. 6. Dolores enim inferni circumdederunt eum, *Psal. 18. v. 6.* Horrendum judicium adversus

peccatum sibi impositum sentiebat, *Esai. 53. vers. 5. 6. 9. Roman. 8. vers. 3. 2. Corinth. 5. vers. 21. Gal. 3. vers. 13.* Inde ad mortem adeò exhorruit, ut etiam guttas sanguineas emiserit, *Luca 22. versic. 44.* Quare recte improbat opinionem hanc Durandi Bellarminus scribens libr. 2. de Justif. c. 5. *Obedientia, passio, & mors Filii Dei, quamvis in se, & essentialiter fuerit creata, & finita, tamen ratione personæ obedientis, patientis, & morientis infinita fuit, & ex vero justitiæ rigore propitiatio fuit pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

24. Quæstio tertia: *An Christus sit mediator noster secundum utramque naturam?*

25. Respond. Lombardus libr. 3. Sent. distin. 19. litera G. *Christus*, inquit, *Mediator est in quantum homo. Nam in quantum Deus non Mediator, sed æqualis est Patri.* Inde scribit Bellarminus libr. 5. de Christo cap. 9. *Est sententia communis Catholicorum ipsum quidem Mediatorem, seu principium quod operabatur opera Mediatoris non fuisse Deum solum, vel hominem solum, sed utrumque simul, hoc est, verbum incarnatam, sive Deum humanatum. Principium tamen quo illa opera à Mediatore fiebant fuisse naturam humanam, non divinam.* Busæus in Disputat. de Persona Christi thesi. 79. *Christus*, ait, *est Mediator tantum secundum humanam naturam.*

26. Opinionem verò hanc argumentis immotis refutavimus in Disput. 6. quæst. 5. th. 71. & seqq. Nam infinitus effectus est ab infinita, & non à finita tantum causa. Atqui obedientia & satisfactio Christi est infiniti meriti. Nam justitiæ Dei satisfecit, iram Dei paravit, meritum pro peccatis æquivalens præstitit. Ergo est ab infinita causa: Et per consequens divina Christi natura, ejusq; operatio excludi non debet ab officio Mediationis.

28. Reponit Bellarminus dictum Apostoli, 1. *Timoth. 2. v. 5 Vnus Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus.* Hinc infert lib. 5. de Christo cap. 5. pag. 571. *Cur quæso addidit, homo, nisi ad exprimendum naturam, secundum quam Christus est Mediator? Prærerea hic distinguit Apostolus Mediatorem à Deo: Vnus, inquit, Deus, unus est Mediator Dei & hominum. Ergo Christus non est Mediator secundum naturam divinam, sed tantum secundum humanam, secundum quam Christus à Deo distinguitur.*

28. Resp. 1. Committitur fallacia compositionis, & divisionis:

nis: Nã homo quidem est noster Mediator, verum non φιλὸς, sed θεάνθρωπος. Inde additur Jesus Christus: Vocabulũ n. Christi est concretũ personæ utramque comprehendens naturam. 2. Expresse verò facit Apostolus mentione hominis, primò quia respicit ad *oppositionem primi, & secundi Adami:* Quemadmodum enim homo Adamus sua obedientia nos à Deo abalienavit: ita etiam homo, qui simul est Dominus de Cœlo, totum genus humanum Patri reconciliavit, *Roman. 5. & Hebr. 2.* Secundò *promissiones divinas V. Testamenti earumque complementum*: In illis enim dicitur de semine mulieris, & Ahrahæ, quod sit contriturum caput serpentis, & benedicturum omnes gentes. Tertiò *ad nostram consolationem:* Nam Mediatorem hunc nostrum nominat ab ea natura secundum quam est frater noster, ut vinculum nostræ cum Deo conjunctionis ostendat. 3. Censent nonnulli vocabulum Dei non esse absolutè, sed determinatè in dicto illo usurpatum, & eo intelligi Patrem; Sed ponatur absolutè esse positum, & intelligi Trinitatem, & nihil absurdi sequetur: In divinis enim posse aliquem esse Mediatorem apud semetpsum, docet idem Apostolus, *2. Cor. 5. vers. 19.* Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Est igitur illud singularis misericordiæ indicium?

29. Quæstio quarta: *An Christus in passione senserit iram Dei, & sustinuerit cruciatus infernales?*

30. Respond. Bellarminus libr. 4. de Christo c. 8. inauditam nominat impietatem asserere, quod Christus senserit dolores infernales.

31. Quamvis verò non statuamus, Christum desperasse, nec ad inferos descendendo dolores infernales sensisse, quia triumphum de devicta morte, & inferno agebat, attamen ex scriptura ostendimus, quod patiendo infernales cruciatus sustinuerit. Nam 1. in horto ad radices montis oliveti tantos angores sustinuit, ut sanguinem sudarit, & querula voce clamarit: Tristis est anima mea usque ad mortem, *Matth. 26. versic. 38.* Ergo in anima sua cruciatus verè infernales persensit. 2. In cruce exclamavit: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti. Ergo legis maledictionem, Dei iram, pœnasque infernales sensit. 3. Confirmant idem querelæ, quas in persona Christi regius Propheta David profert, *Psalm. 16. versic. 10.* Non relinques animam meam in inferno. Psalm. 18. versic. 6. Funes inferni cecide-

runt

runt super me. *Psal.22.v.2.* Deus mi, ut quid me dereliquisti, *Psal.49.v.16.* Deus redimet animam meam de potestate inferni. *Psalm.69.v.18.* Eripe me de luto ne infigar. *v.19.* ne inundet me decursus aquarum, nec absorbeat me profundum. Psal. 86,v.13. Eruisti animam meam ex fovea inferiori.

32. 4 In quem omnia nostra peccata fuerunt conjecta, ac perfectè pro eis satisfecit, ille pœnas Infernales verè sustinuit, quia has nos eramus meriti. Atqui in Christum omnia nostra peccata fuerunt conjecta, & pro eis perfectè Christus satisfecit. Ergo. 5. Qui à maledicto legis nos redemit, factusque pro nobis est maledictum, atque liberavit etiam patiendo ex inferno, ille infernales cruciatus sed spirituales subiit, eosque verè persensit. Atqui Christus à maledicto legis nos redemit, factusque pro nobis est maledictum, atque liberavit etiam patiendo ex inferno. Ergo.

32. Quæstio quinta: *Num Christus sibi aliquid promeruerit?*

33. Resp. Disputant Pontificii Christum sibi promeruisse corporis gloriam, & nominis exaltationem, quâ de re videatur Lombardus lib. 3. Sentent. distinct. 18. Thomas parte 3. quæstio. 49. Artic. 6. Scribit inde Bellarminus lib. 5. de Christo cap. 9. *Restat quæstio; An videlicet Christus operibus, ac laboribus suis, non solum nobis omnibus gratiam, & gloriam acquisierit, sed etiam aliquid acquisierit sibi. Et quidem Theologi Doctores apud Magistrum, in 3. Sent, dist. 18. conveniunt inter se, atq; uno consensu docent, Christum præter ea bona, quæ suis laboribus peperit nobis, meruisse etiam sibi corporis gloriam, & nominis exaltationem,* Et paulò post: *Dicimus, Christum meruisse sibi illa omnia, quæ accepit post passionem suam.*

34. Opinionem verò hanc refutavimus Disp. 6. quæst. 6. Christus enim non sibi, sed nobis est natus, & datus, *Esai.9.v.6.* Nobis factus est justitia, sapientia, sanctificatio, & redemptio. Ergo omnia nobis, & nihil sibi promeruit. Imò ratione sui nullo indigebat merito, quia in ipsa unione secundum humanam naturam super omnes creaturas est evectus, & multò præstantius nomen Angelis accepit.

35. Confirmare verò conatur Bellarminus opinionem suam duplici scripturæ testimonio. Prius legitur *Phil. 2. Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum. Posterius Heb. 2. Videmus Jesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Addit Bellarminus: *Philip. 2. & Heb. 2. habetur particula (Propter) qua*

quæ particula causam ubiq; significare solet. Deinde particula (Et) in illis verbis: Propter quod, & Deus exaltavit illum, apertè indicat causam.

36. Resp. 1. Distinguimus inter notam causæ, & consequentiæ: Particulæ *διὸ quapropter, propterea, propter*, non semper sunt notæ meritoriæ causæ, sed sæpe consequentiæ, ut *Joh.* 12. v. 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, &c. Sic etiam *Philip.* 2. v. 9. particula propter non notat causam, sed ordinem, hoc sensu, quod absoluto statu Exinanitionis exaltatus sit Christus, idque colligitur ex verbo proximè subsequente, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. Donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Quod igitur Christo donatum est ex gratia, illud non habet ex merito, quia hæc immediatè opponuntur. Atqui Christo donatum est illud nomen ex gratia. Ergo. Idem igitur dicit Apostolus, quod Evangelista, *Luc.* 24. *vers.* 26. Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam. 2. In allegatione testimonii *Hebr.* 2. *versic.* 9. Committit Bellarminus fallaciam divisionis, & compositionis commata divellendo, & sic sensum corrumpendo. Sic enim legitur: *Eum, qui paulisper inferior factus est Angelis, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Ostendit igitur, non exaltationis causam, sed exinanitionis modum, ut & Apostolus *Philip.* 2. v. 8. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

37. Quæstio sexta: *An Christus perfectè satisfecerit & pro culpa, & pro pœna?*

38. Respond. Disputatum est quondam, Christum satisfecisse tantum pro peccato originali: Non autem pro actualibus. Catharinus opinatur, passionem Christi prodesse quidem pro peccatis actualibus ante Baptismum; sequentia verò esse Missis, & bonis operibus expianda. Gregorius de Valentia scribit libr. 2. de Missa c. 2. *Cum Beatus Thomas dicit: Sacrificium altaris quotidiè offerri pro actualibus peccatis: sicut sacrificium crucis semel oblatum est pro originali peccato, sensus est, hoc interesse inter peccatum originale, & alia actualia, quod pro illo, quia non sæpius ab eodem homine admittitur, sed semel abolitum nunquam rediit, semel tantùm* CHRISTVS *se obtulit, nempe in cruce, non item aliàs in altari: pro peccatis autem actualibus, quia sæpius ab uno, & eodem committuntur, sæpius se offert, nimirum non tantum in cruce,*

sed etiam quotidie in altari. Thomas ipse opusc. 58. de Sacra. Alta. c. 1. *Sicut corpus Domini*, ait, *in altari pro debito originali semel oblatum in cruce, sic offertur jugiter pro nostris quotidianis delictis.* Bonaventura 3. sentent. distin. 20. q. 3. *Homo potest satisfacere pro suo actuali peccato, sed non pro originali. Nam pro peccato originali nemo potuit satisfacere, nisi Christus Deus, & homo. De actuali autem potest purus homo adjutus gratia satisfacere, sed satisfactione semiplena, quæ suppletionem, & complementum recipit à passione Christi.* Andreas Vega lib. 13. in Concil. Trident. c. 36. disputat itidem *satisfieri à nobis pro culpâ.* Et Ruardus Tapperus in Explic. Art. 6. Lovanienſium Disput. *Contendit, posse hominem satisfacere Deo pro culpa, & pœna æterna, per actus quosdam, qui ordine sequantur gratiæ gratum facientis infusionem, & præcedant peccatorum remissionem.*

39. Recentiores verò Pontificii videri nolunt negasse, Christum satisfeciſſe pro peccato actuali: Statuunt enim Christum pro originali, & actualibus peccatis satisfeciſſe, sed pro pœnis peccatorum temporalibus nobis esse satisfaciendum. Imò quidam ipsorum opinantur, potestate clavium mutari pœnam æternam peccatis debitam in temporalem, ut pro ea satisfacere possimus. Bellarminus Tom. 3. lib. 4. de Pœnit. c. 1. p. 1419. scribit: *Quæstio est, an velit Deus, ut peccantibus post Baptismum, remissa culpâ maneat debitum luendæ pœnæ, annòn: atque hoc est primum, in quo Catholici ab hæreticis dissident.* Et pag. 1420. *Catholici summo consensu docent, post remissam culpam sæpe remanere reatum pœnæ temporalis, ut ex concil. Trident. constat, Sess. 6. cap. 14. Et Sess. 14. c. 12. Pœnam autem temporalem intelligunt, tum in alia vita, tum etiam in præsenti: Sed pœna alterius vitæ, propriè peccatis omnibus, & ex condigno debetur; pœna autem hujus vitæ, solum ex congruo (ut sic loquamur) certis peccatis à Deo infligi solet.*

40. Ex illorũ allegatis propriis sic patet verbis, quam egregiè Scholastici, & Pontificii inter se consentiant. De reipsa ex parte egimus in Disput. 33. quæst. 4. & hæresin illam Pontificiam refutavimus. Nam primò, *Christus non tantùm pro peccato originali, sed etiam pro omnium hominum peccatis actualibus satisfecit.* 1. Scriptura nusquam dicit limitatè Christum pro originali tantùm peccato satisfeciſſe, sæpe autem indefinitè, & absolutè de satisfactione agit, ut *Esai.* 53. v. 5. Vulneratus est propter prævaricationes nostras, attritus propter iniquitates nostras, *Joh.* 1. v. 29. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, 1. *Pet.* 2. *v.* 24.

Pecca-

Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. 2. Indefinitas verò illas loquendi formulas scriptura universaliter explicat. Æquipollent igitur universalibus, ut *Esai.* 53. v. 6. Omnes nos velut oves erravimus, unusquisque ad viam suam declinavit, sed Jehova conjecit in eum iniquitates *omnium nostrum*. *Tit.* 2. *v.* 14. Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, 1. *Joh.* 1. *v.* 7. Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab OMNI PECCATO. 3. Docet idem scriptura specialiter actualia peccata plurima enumerando, *Esa.* 53. *v.* 6. dicuntur in ipsum conjecta peccata, per quæ homines declinabant in viam suam. *Rom.* 3. *v.* 12. enumerat Apostolus plurima peccata actualia, & tandem v. 24. Subjicit, nos ab illis justificari gratis per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, 1. *Cor.* 6. *vers.* 9. 10. enumerat actualia delicta Corinthiorum, docetque quod ab iis sint absoluti, sanctificati, & justificati per nomen Jesu. Similia vide *Heb.* 9. *v.* 14. 1. *Pet.* 1. *v.* 18. 19. 1. *Joh.* 2. *v.* 1. 4 Christus una oblatione consummavit omnia, *Heb.* 10. v. 14. Ubi igitur est peccatorum remissio non est amplius pro peccato oblatio, *Heb.* 10. *v.* 18. 5. Ob quæ peccata lex maledicit, pro illis Christus satisfecit, *Gal.* 3. *v.* 13. Atqui lex maledicit ob peccata & originalia, & actualia, *Deut.* 27. *v.* 26. *Gal.* 3. *v.* 10. Ergo. 6. Piè igitur dicit Augustinus de Fide ad Petrum: *Christus morte sua, quippe uno vero sacrificio pro nobis oblato, quicquid culparum erat, purgavit, abolevit, extinxit.*

41. Secundò, *Christus non tantum pro culpa, sed etiam pro pœna temporali, & æterna propter peccata nobis debita plenè satisfecit.* Nam cognoscitur illud ex enumeratione specialium pœnarum, quibus eramus obnoxii, ut sunt *dominium Satanæ, maledicto legis, mors æterna, infernus, ira ventura:* A dominio Satanæ quod nos liberaverit, testatur epistola ad Hebræos cap. 2. referens Christum post mortem aboleviſſe eum, qui mortis habet imperium. Redemit nos à maledictione legis, dum pro nobis factus est maledictum, *Gal.* 3. At maledictio illa legis nihil est aliud, quàm pœna, quæ voce legis denunciatur transgressoribus juxta legis sententiam, *Deut.* 27. *v.* 26. *& Deut.* 28. *&* 29. Ergo Christus nos liberavit etiam à pœnis, quas lex prævaricatoribus decernit. Liberavit nos à morte, & inferno juxta illud *Oseæ.* 13. E potestate inferorum redimam eos, à morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne. Ab irâ venturæ damnationis nos liberatos esse per Christum, dilucidè docet Apostolus *Rom.* 5. scribens, nos justifi-

caros sanguine illius servari ab ira. Idem repetit 1. *Thess.* 1. ut expectetis Filium ejus de cœlis, quem excitavit, à mortuis Jesum, qui liberavit nos ab ira ventura. Plura vide in allegata Disput. 33.

42. Verum Bellarminus, remissa culpa manere debitum luendæ pœnæ, conatur primo probare scripturæ testimoniis, quæ alii pro se allegant: *Primum legitur 2. Reg. 12. Vbi David post impetratam veniam adulterii, atque homicidii punitus est morte filii. Secundum, 2. Reg. 24. Vbi idem David ob numeratum populum Pœnitentiam agit, & à Deo in gratiam recipitur: Et tamen post remissam culpam, datur illi optio, ut eligat in pœnam peccati bellum, famem, aut pestem.* Deinde idem confirmat aliis Scripturæ testimoniis, quæ indicant mortem ipsam sæpe infligi in pœnam peccati, & post culpam remissam. At ridiculum esset dicere morte puniri homines, ut deinceps cautius vivant. Hujusmodi testimonium est illud, quod legitur, *Genes. 2. Quacunque die comederis, morte morieris. Et Romanor. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt,* Similia leguntur *Exod. 32. Numer. 14. capit. 20. 1. Corinth. 11. 3. Reg. 13.*

43. Respond. 1. Debitum semper est exolvendum. Atqui pœna, culpâ remissâ, non semper exolvitur. Ergo non est debitum. Quod non semper exolvatur, videtur agnoscere Bellarminus, quia lib. 4. de Pœnit. cap. 1. & 2. scribit: *remissa culpa non semper remitti debitum luendæ pœnæ.* Et *post remissam culpam sæpè remanere debitum pœnæ.* Idem clarè arguunt exempla Scripturæ, ut Paralytici, *Matth. 9* Petri, *Matth. 26.* Mulieris peccatricis, *Luc. 7.* Publicani, *Luc. 18.* Zachæi, *Luc. 19. 2.* Ex calamitatibus, quibus sunt post pœnitentiam subjecti pii, colligit Bellarminus, non omnem dimissam esse eis pœnam. Cur non idem concludit de Baptismo: Nam annón infantes baptizati calamitatibus variis sunt obnoxii? Num igitur in Baptismo non fit plena & culpæ, & pœnæ remissio. 3. Quæstio non est, an post reconciliationem credentes in hac vita subjecti sint calamitatibus, vel communibus temporalibus, vel privatis propter certa, seu privata quædam peccata: Id enim testantur exempla Adami, *Gen. 3.* Davidis *2. Reg. 12. & 24.* Populi Israëlitici *Exod. 32. Num. 12.* Miriam, *Num. 12.* baptizatorum post Baptismum, & ipsa experientia. De Petro dicit Ambrosius: *Lachrymas ejus lego, satisfactionem non lego;* Sed quæstio est, quare, propter quas causas, & in quem

quem finem tales pœnæ reconciliatis post remissionem culpæ in hac vita imponantur: Non n. immittuntur ob peccati expiationem & pro peccatis satisfactionem; Sed propter cohibitionem, ne videlicet peccatum inhabitans erumpat, & dominetur, atq; ut sint φυλακτήρια quædam, quibus cor hominis adversum peccatum munitur, ut sunt itidem fidei probationes, spei Christianæ exercitia, invocationis incitamenta, & fidei probationes.

44. 4. Monet Dn. Chemnit. par. 2. Exam. p. 370. 371. Non morosius quidem disputandum esse, an afflictiones illæ reconciliatorũ vocandæ sint pœnæ peccatorum; an verò paternæ correptiones, & castigationes; Sed tamen omninò discrimen esse ponendum inter pœnas seu afflictiones, quæ infliguntur impiis, & quæ imponuntur reconciliatis: In impiis n. sunt signa offensæ, & personam illam esse sub ira Dei; Sed illis imponuntur ad castigationem sui, & ad exemplum aliorum. Et in summa ut his exercitiis conservetur, & confirmetur pœnitentia, quæ perpetua esse debet, fides, obedientia in cruce, spes, petitio, & expectatio auxilii liberationis, seu mitigationis, atq; semper circumferamus testimonium nobis propter peccata pereundum esse, nisi propter filium reciperemur. Chrysostomus Homil. 28. in 1. Cor. *Cum corripimur à Domino*, inquit, *magis est admonitionis, quam damnationis, medicinæ, quam supplicii correctionis, quàm pœnæ.* Et Augustinus de peccat. merit. & remiss. lib. 2. c. 34. Calamitates *ante remißionem sunt supplicia peccatorum, pòst remißionem verò sunt certamina, exercitationesq; justorum.*

45. 5. Mitigantur quidem temporales pœnæ tota pœnitentia, verâ hnmilitate, & Dei invocatione, non quasi opera pœnitentis sint vel compensationes, vel merita peccatorũ remissionis; Sed quia castigationibus illis Deus in reconciliatis hoc quærit, ut conservetur, magis accendatur, crescat, & augeatur vera humilitas, agnitio, odium, & detestatio peccati, exercitium fidei, mortificatio veteris hominis, patientia, spes, videatur Chemnitius l. d.

46. 6. Mors temporalis manet pios non ob satisfactionem, sed ob radicis peccati extirpationem: Peccatum enim consideratur respectu reatus, dominii, sensus, & radicis: Reatus tollitur quidem in credẽtibus Rom. 8. Sed sensus per mortem, radix per cinefactionem. Calamitates igitur manent ad infirmandum, & mortificandum veterem Adamum; Mors verò ad eundem penitus abolendum, *Rom. 6. v. 6.*

47. Quæstio septima: *An Christus nobis proponatur ut legislator.*

48. Resp. Canon. 21. Sess. 6. Concil. Trident. hic est: *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Soto Ass. Catech. de Evangelio: *Credit Catholica Ecclesia, à Christo novam legem datam, non nunquam testamentum conditum.*

49. Si verò assertio hæc simpliciter accipiatur, ut verba sonant, directè adversatur scripturæ, *quæ docet Christum non esse legislatorem, sed Salvatorem, Joh:3. v. 17.* Non misit Deus Filium suum, ut judicet mundum, sed ut servetur mundus per eum. *Joh. 1. v. 17.* Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Christum Jesum facta est. *Joh 5. v. 4.* Nolite putare, quod ego accusaturus sum vos apud Patrem, est qui accusat vos Moses. *1. Tim. 1. v. 15.* Fidus hic sermo est, & modis omnibus acceptabilis, quod Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere. *Gal. 4. v. 4.* Misit Deus Filium suum factum legi obnoxium, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Christus igitur est finis legis, *Rom. 10. v. 4.*

50. Quæstio octava: *An B. Maria fuerit adjutrix Christi in opere Redemptionis?*

51. Resp. In libro quodam Pontificiorum, quod Mariale nominant, & typis commissum est Argentinæ per Martinum Simmium anno. 1493. legitur lib. 1. c. 5. pag. 13. *Ad ultimum fuit Dominus cum ea (Maria) & ipsa cum Domino, in eodem labore redemptionis. Mater misericordiæ adjuvit patrem misericordiarum in opere nostræ salutis. Vnde prædictum est de prima muliere: Faciamus ei adjutorium. Quid est ergò, quod Dominus dicit, Esai. 63. Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum? Verum est, Domine, quod non fuit vir tecum, sed mulier una tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.* Et lib. 3. part. 2. Attendendum igitur, & jugiter recolendum, quod tam devota COADJUTRIX extitit ad mundi redemptionem, ut sicut non fuit dolor, sicut dolor ille, quem sustinuit filius pro mundi redemptione: sic non esset dolor sicut dolor ille, quem ipsa pertulit in corde PRO EADEM CAUSA Marial. lib. 1. cap. 2, Peccatores: ad Mariæ nomen confugias: ipsum solum ad medendum sufficit. Lib. 2. par. 1 caus. 21. *Sæpè quos filii justitia damnat, matris misericordia liberat.* Ibidem caus. 24. *Si Maria pro nobis quis contra nos? Et si ipsa est, quæ justificat, quis est, qui condemnet.* Contritionem igitur capitis serpentis referunt Pontificii ad Mariam

pro

pro ipse legit depravatio Pontificia *Gen. 3. v. 15. ipsa.* In Antiphona de Domina nostra eam ita adorant: *Hæc est mulier virtutis, quæ contrivit caput serpentis*, &c. Jesuitæ lectionem illam, etiam errore demonstrato, defendere studeut. Bellarminus libr. 2. de verbo Dei cap. 12. tueri Grammaticam conatur. Gregorius de Valentia in analysi fidei Catechet. part. 8. pag. 347. rem ipsam, seu tensum propositionis defendit & ad Mariam transfert, quod & ipsa caput serpentis contriverit, quia Christum Salvatorem genuerit.

52. Blasphemias verò illas, & errores enarrasse est refutasse. Depravatio verò textus biblici Gen. 3. impingit in principia Grammaticæ, siquidem in fonte non legitur pronomen fœminini, sed masculinum generis, cui opponitur verbum masculinum, & affixum relativum est masculinum, cum Deus ait: *Tu serpens compunges ei*, viro, *calcaneum.* Septuaginta igitur interpretes rectè adhibuerunt pronomen αὐτὸς. Imò res ipsa nobis palmam tribuit: Repugnat enim depravatio illa Pontificia universæ scripturæ, repugnat & gloriæ Mediatoris nostri Christi. Nam diabolum superare, ipsius regnum destruere, & homines ipsius tyrannidi subjectos in libertatem æternæ beatitudinis vindicare, non est opus ullius nudi hominis vel creaturæ. Atqui Maria est nuda creatura. Ergo hoc ejus non est opus, sed soli competit Christo: Ille enim venit, ut destrueret opera Diaboli, 1. *Johan.* 3. Quemadmodum ait, *Esai.* 63. Ego torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum. Et solus Diabolum, mundum, & infernum vicit, 1. *Cor.* 1. v. 15. Unus igitur est mediator Dei, & hominum, homo Jesus Christus, qui dedit semetipsum pretium pro peccatis nostris, 1. *Tim.* 2. Non est in alio salus, neque datum aliud nomen hominibus sub Cœlo, in quo servari possemus, *Act.* 4.

53. Quæstio nona: *An Pontificii meritum Christi imperfectionis arguant, dum cum eo sanctorum merita, & nostra conjungunt?*

54. Resp. Gabriel Biel super Can. Missæ lectio. Missæ lect. 29. *Nos*, inquit, *ad mediatores sanctos, eorumq; auxilia confugere debemus, ac debita veneratione eos semper implorare, ut salvemur eorum meritis, atq; votis.* Precatio quædam in Hortulo animæ Dilingæ anno Christi 1599. iterum typis excusa, his concepta est verbis: *Precibus, & meritis beatæ Mariæ semper virginis, & omnium sanctorum perducat nos Dominus ad regna Cœlorum.*

55. Pe-

55. Petrus de Palude in 4. Sentent. dist. 20. quæst. 3. *Pro parvulis sufficit meritum Christi, quia non possunt mereri: Sed adultis non sufficit meritum Christi cum Baptismo, sed tenentur addere meritum proprium.* Gabriel Biel in 3. lib. Sentent. dist. 19. Concl. 5. *Licet Christi passio*, ait, *sit principale meritum, propter quod confertur gratia, apertio regni, & gloria: nunquam tamen est sola, & totalis causa meritoria. Patet, quia semper cum merito Christi concurrit aliqua operatio, tanquam meritum de congruo, vel de condigno, recipientis gratiam, vel gloriam, si fuerit adultus, usum rationis habens, aut alterius pro eo, si caret rationis usu.* Quod hodierni Pontificii, & Jesuitæ merito Christi merita nostra associent, ostendemus in Disputationibus de lege, & bonis operibus.

56. Quantum verò operibus & satisfactionibus nostris adscribitur tantum merito Christi detrahitur. Nam 1. Christus solus torcular calcavit, non fuit ipsi adjutor, *Esai. 63. v. 3.* Extra ipsum igitur non est salus, *Act. 4. v. 12.* Ille bonorum nostrorum non eget, *Psal. 16. v. 2.* Quis dedit Deo aliquid, & reddetur ei? *Rom. 11. v. 25.* 2. omnium renatorum perpetuus mediator, advocatus, & intercessor est Christus, *1. Tim. 2. v. 5. 1. Johan. 2. v. 1. Rom. 8. v. 34. Heb. 8. v. 6. cap. 6. v. 12.* Ergo non sanctorum propria merita. 3. Si quis propria respiciat merita, metuendum omninò ipsi est, *Job. 9. v. 28.* Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti. Nam Moses conqueritur, *Exod. 34. v. 7.* Nullus apud te per se innocens est. Regius Propheta David, *Psal. 19. v. 13.* Delicta quis intelligit, ab occultis munda me. Psal. 130. v. 2. Si iniquitates observaveris, Domine quis sustinebit? Rex Salomon. *1. Reg. 8. v. 48.* Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Qui igitur sua deplorant delicta, illi suis meritis non nituntur, nec niti possunt. Atqui omnes sancti sua deplorant delicta.

57. Piè igitur scribit Origines tract. 8. in Matt. *Si vellet Deus agere pro meritis, non invenerit, nisi quod damnaret.* Bernhardus Serm. 13. in Cant. *Tibi Domine maneat gloria illibata, solus de hoste triumphavit, solus captivos liberavit, solus pugnavit, & vicit.* Augustinus in Psal. 114. *Cui debemus, quia sumus, illi debemus, quia & justificati sumus. Nemo Deo tribuat, quia est, & sibi tribuat, quia justus est. Melius est enim, quod tibi vis tribuere, quam quod illi. Inferius aliquid das Deo: & superius tibi: Totum illi da, in toto ipsum lauda.*

FINIS DISPUTATIONIS LVI.

DISPUTATIO LVII.

DE INSTRVMENTALI IVSTIFICATIONIS nostræ causa, quæ est fides

Resp. M. Johanne Carolo Vnseld Ulmensi

THESIS I.

CORRELATUM meriti Christi est fides, quæ verâ fiducia illud apprehendit, & sibi applicat, *Joh. 1. v. 12. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credũt in nomine ejus Joh. 3. v. 16. Omnis qui credit in eum non perit, sed habet vitam æternam, Act. 10. v. 43. Remissionem peccatorum accipiunt per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Gal. 2. v. 16. Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.* Cum igitur disputaverimus de merito Christi, sequitur ut de ejus agamus correlato nempe fide meritum Christum apprehendente.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. *Fides est ex agnita divini verbi veritate misericordiæ in merito Christi fundatæ fiducialis apprehensio.* Vel: Fides est apprehensio gratiæ in promissione Evangelii per Christum mediatorem ad vitam æternam.

3. Cicero 1. Offic. fidem dictam esse putat à verbo *fio*, quia dictum est, quod fiat. Hunc sequitur Ambrosius Calepinus. Alii malunt fidem à *fidendo* derivare. Ausonius Popma distinguit pag. 148. inter fidem & fidelitatem: Fides animo, fidelitas re declaratur. Plautus Trinummo: Cui fides, fidelitasque amicum erga æquiparet suum.

4. Lombardus lib. 3. Dist. 23. lit. C. *Accipitur fides tribus modis*, inquit, *scilicet pro eo, quo creditur, & est virtus, & pro eo quod creditur, & non est virtus, & pro eo, in quod creditur, quod aliud est ab eo, quo creditur.* Lit. D. subjicit, aliud esse credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum: Credere Deo, est credere vera esse, quæ loquitur, quod &

mali faciunt, & nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum, est credere quod sit Deus. Credere in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, & credendo ei adhære. Augustinus Ser. 181. de tempore scribit: *Aliud est credere illi, aliud credere illum, & aliud credere in illum. Credere illi, est credere vera esse, quæ loquitur. Credere illum, credere quia ipse est Deus. Credere in illum diligere illum. Credere vera esse quæ loquitur, multi & mali possunt: Credunt enim esse vera, & nolunt ea facere, quia ad hoc pigri sunt. Credere ipsum esse Deum, hoc & Dæmones possunt, credere verò in Deum, soli noverunt, qui diligunt illum, qui non solum nomine Christiani sunt, sed & factis, & vita: quia sine dilectione fides inanis est.*

5. Disputat verò Drusius in Pentateuch. pag. 56. & pag. 184. credere Deo, & credere in Deum Synonyma esse, idque probat inde 1. *Gen. 15. v. 31. dicitur credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*, hoc Ebraismus dicit in Deum, sed septuaginta rediderunt τῷ θεῷ & Hieronymus Deo. *Aut igitur*, inquit, malè vertunt interpretes isti, aut credere in Deum, & credere Deo Synonyma sunt. Imo Apostolus dicit ἐπίστευσε Ἀβραὰμ τῷ θεῷ *Rom. 4. v. 3. 2. Exo. 14. v. 31.* dicitur, *& crediderunt Domino, & Mosi*, vel in Dominum, & in Mosen: quod ἑβραϊκώτερον, imò purus putus Ebraismus est. Nam quod Latini dicunt credere Deo, id Ebræis est credere in Deum, hæc ille.

6. Significata fidei vide apud Flacium: Notat 1. in servandis promissis constantiam. 2. Assensum, & persuasionem firmam. 3. Doctrinam revelatam, cui assensum præbemus. 4. animi fiduciam.

7. Causa efficiens fidei principalis est Deus, seu Spiritus S. cui regenerationis, ac renovationis opus adscribitur: Inde fides dicitur opus Dei, *Johan. 6. vers. 29.* Ex gratia nobis datur, ut credamus, *Philip. 1. vers. 29.*

8. Operatur verò Deus fidem non immediatè per enthusiasticum raptum, sed mediatè per verbi auditum, lectionem, meditationem, & sacramentorum usurpationem, *Rom. 10. v. 17.* Fides est ex auditu, auditus autem per verbum, *Joh. 17. v. 20.* Rogo pro eis, qui per verbum in me credituri sunt, 1. *Cor. 1. v. 21.* Placuit Deo per stultitiâ prædicationis (Evangelii) salvos facere credentes. *Eph. 5. v. 26.* Ecclesiam sanctificat mundans eam lavacro aquæ in verbo, *Tit. 3. vers. 5.* Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis 1. *Petri. 3. vers. 21.* Baptismus nos salvat.

9. For-

9. Forma fidei justificantis est fiducia recumbens in Christo, & promissionibus Evangelii, seu est apprehensio Christi cum omnibus suis beneficiis, *Joh.1.v.12. Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Similia vide Rom.5.v.11.Heb. 4.v.16.Col.2.v.6.*

10. Ἐνέργεια fidei est duplex: Prior respicit Christum cum suo merito, cujus est apprehensio. Hac ἐνεργείᾳ fides sola justificat, *Gal.2. v.16.Rom.3.v.28.cap.4.v.5.Mar.5.v.36.Luc.8.v.50.* Posterior ἐνέργεια respicit proximum: Nam fides charitatem ad proximi indigentiam sublevandam descendit. Ostenditur igitur fides per bona opera, *Jac. 2.vers.18.*

11. Consideratur igitur fides vel formaliter, quatenus justificat, & est tantum fiducia, seu fiducialis meriti Christi apprehensio; vel materialiter respectu diversorum actuum, quorum tres numerantur, ut sunt: *notitia, assensus, & fiducia.* Docentur hi tres fidei actus, *Joh.14. v.10. non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* (intelligenda hæc sunt de notitia, quæ de Christo est habenda) *v.11. credite mihi, quia ego in Patre, & Pater in me est* (de assensu, quem Christi verbis præbere debemus, hæc sunt intelligenda) *vers.12. Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet* (intelligenda hæc sunt de fiducia, qua in Christum totius generis humani redemptorem creditur) Insequuntur hi fidei actus se invicem. Priores duo referuntur ad intellectum. Posterior pertinet ad voluntatem.

12. Subjectum fidei *quod* est homo; Subjectum *quo* est anima: Quatenus enim fides est notitia & assensus pertinet ad intellectum; Quatenus verò est notitia, pertinet ad voluntatem.

13. In consideratione *objecti fidei* repetenda est distinctio inter notitiam, assensum, & fiduciam: *Dicuntur enim quædam de fide magis quatenus est notitia, & assensus; quædam quatenus est fiducia.* Objectum fidei quatenus est notitia, & assensus. *est adæquatum & generale vel primarium & principale.* Adæquatum ejus objectum non sunt traditiones, & speculationes humanæ, sed omne, & solum Dei verbum in scripturis Propheticis, & Apostolicis propositum. Primarium assensus objectum sunt Doctrinæ Christianæ capita, quæ fidei Articulos dicimus. Non enim omnia, quæ in scriptura traduntur, directè ad fidem pertinent; sed quædam reductione, ut historiæ.

14. Objectum fidei quatenus est fiducia, *est generale, vel speciale.* Generale ejus objectum sunt omnes promissiones sive agant de beneficiis corporalibus, sive spiritualibus gratiæ, vel gloriæ.

15. Non rarò fit, ut, qui vera fide fuerunt donati se peccatis polluant, & sic fidem amittant, *Ezech. 18. v. 24. cap. 33. v. 18. Psalm. 51. Luc. 8. v. 13. cap. 11. v. 24. Eph. 5. v. 6. Col. 3. v. 6. Gal. 5. 1. Tim. 1. v. 19. 2. Tim. 2. v. 18. 2. Pet. 2. v. 21. Apoc. 2. v. 4. 5.*

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

16. Principium fidei est partim Spiritus S. partim voluntas libere agens, *Bellarminus lib. 4. de Grat. & lib. arb. c. 15.*

17. Definitur fides melius per ignorantiam, quam notitiam, *Bellarminus lib. 1, de just. c. 6.*

18. Est quidem fides assensus, sed non fiducia. Decreti Conc. Trident. Sess. 6. Can. 12. verba hæc sunt: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificemur, anathema sit.* Videatur etiam Bellarminus lib. 1. de justif.

19. Verbum certè Dei est, fides justificat, sed solum eam justificare, ad inventio est humana, fidei rectè repugnans. Fides ergo justificat, sed non sola: Sicut homo generat hominem, sed non solus, quia sol etiam concurrit in omni generatione: & præterea, cum de fide absolutè loquitur scriptura, intelligitur de fide nova charitate informata: sicut enim absolutè dicitur homo, intelligitur vivus, non mortuus, *Osorius in Dom. 23. Deut. Conc. 2.*

20. Objectum fidei justificantis proprium non est promissio gratiæ in Evangelio patefacta, seu non est specialis misericordia, sed sunt omnia, quæ revelare Deus dignatus est.

STATUS CONTROVERSIÆ.

21. Ex his facile judicium fieri potest de iis, quæ in controversiam veniunt. Nam disputatur de fidei principio, & origine, de ejus descriptione, subjecto, objecto; & quibusdam distinctionibus, de quibus, in duabus agemus disputationibus.

22. Quæstio prima: *An principium fidei sit partim Spiritus S. partim voluntas liberè agens?*

23. Resp. Augustinus lib. de Grat. contra Pelag. cap. 15. his verbis refert sententiam Pelagianorum: *Habemus posibilitatem utriusq; partis*

partis à Deo insitam, velut quandam radicem fructiferam, atq; facundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat, & pariat, & quæ posit ad proprii cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum. Eandem hæresin ab orco quasi revocant Pontificii, licet eam subtilioribus verbis proponant, ut videre est ex articulo de libero arbitrio, in quo vires humanas etiam in spiritualibus propugnant, Bellarmiuus scribit libr. 6. de Grat. & lib. arbit. c. 11. p. 907. *Cooperamur Deo non solum ut adversarii volunt, post justificationem, sed etiam in ipsa justificatione, & initio fidei.*

24. Refutavimus verò hæresin illam in Disputationibus de libero arbitrio. ad quas remittimus, & inde pauca repetimus. 1. Qui per lapsum Adæ ita est depravatus, ut in spiritualibus sit mortuus, mens ejus cœca, voluntas aversa, ille Deo nequit cooperari in initio fidei, & nequit ex propriis viribus credere. At talis post lapsum est homo. Ergo. *Psalm. 51. vers. 7.* In iniquitate formatus sum, & in peccato fovit me mater mea, *Eph. 2. vers. 3.* Natura eramus filii iræ. *Johan. 3. versic. 6.* Quod natum est ex carne, caro est, *Roman. 8. vers. 6.* Prudentia carnis mors est; Prudentia autem spiritus, vita & pax. *Col. 2. vers. 13. Eph. 2. v. 1.* Vos, cum essetis mortui per delicta, & præputium carnis vestræ, simul cum illo vivificavit. *Matth. 8. versic. 22.* Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos. *Roman. 8. vers. 7.* Sapientia carnis inimicitia est in Deum: Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. 1 *Corinth. 2. vers. 14.* Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. 2. *Cor. 3. v. 5.* Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sufficientia nostra ex Deo est. *Ephes. 4. vers. 18.* Alienati à vitâ Dei propter cœcitatem cordis, *capit. 5. vers. 8.* Eratis aliquando tenebræ.

25. 2. A quo est initium fidei salvificæ, velle credere, ipsius fidei incrementum, & consummatio, ille est fidei principium. Atqui illa sunt à Deo, & non ab homine. Ergo. *Deut. 30. vers. 6.* Deus circumcidit corda, ut ipsum diligamus, *Philip. 1. v. 29.* Ex gratia nobis donatum est per Christum non solum, ut in eum credamus, sed ut etiam pro illo patiamur *Eph. 2. v. 18.* Gratia salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est 2. *Cor. 3. v. 3.* Sufficientia nostra à Deo. *Phil. 1. v. 6.* Qui cæpit in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi, *Phil.*

2. v. 13. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere, pro bonâ voluntate sua. Est igitur fides opus Dei, Joh. 6. v. 29. Fructus Spiritus, Gal. 5. v. 23. Fides operationis Dei, Col. 2. v. 12. Ex hisce satis evidenter colligitur, fidem esse Dei donum non meritum, non dependere, sed oriri ex gratia, non esse opus nostræ voluntatis, sed solius Dei regenerantis.

26. Quæstio secunda: *Quibus mediis Deus ordinariè in nobis fidem accendat?*

27. Resp. Pontificii hoc loco duos alunt errores. Prior est de ipso verbo: Nam fingunt ipsi verbum aliquod nonscriptum, cujusmodi sunt traditiones humanæ, quas ad fidem, ajunt, esse necessarias, de quibus egimus in Disputationibus de Scriptura. Posterior est de Pontifice Romano, cui soli authoritatem ad finem perducendi adscribunt. Gregorius de Valentia scribit Tom. 3. Disp. 1. quæst. 1. punct. 1. *Cum dicimus propositionem Ecclesiæ esse conditionem necessariam ad assensum fidei, nomine Ecclesiæ intelligimus ejus caput, id est, Romanum Pontificem per se, vel una cum Concilio, ex prædicta authoritate propositiones fidei fidelibus declarantem.*

28. Sententia verò Protestantium est medium, per quod Deus ordinariè operatur fidem esse verbum, & quidem ἀκουστὸν, & ὁρατὸν, illud consistit in verbi Dei prædicatione, lectione, & meditatione; hoc in Sacramentorum secundum ordinẽ divinum administratione: Prius ostendimus in Calvinismo, & probavimus Disput. 19. quadruplici argnmentorum classe, utpote 1. *ab apertis scripturæ testimoniis.* Rom. 10. v. 17. Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, Rom. 1. v. 16. Evangelium est potentia Dei ad salutem. 1. Cor. 1. v. 21. Per stultitiam prædicationis Deus nos salvos facit. 2. *ab adjunctis Encomiis, quibus Spiritus S. verbi efficaciam passim ornat*: Nominat enim *ministerium vivificans* 2. Cor. 3. v. 6. Sermonem vitæ, *Act. 5. v. 20. &c. 3. A similibus efficaciam verbi denotantibus.* Confertur enim cum semine immortali, quo renascimur, 1. Pet. 1. v. 23. Cum semine fructificante, Luc. 8. v. 8. 11. 15. 4. *Ab exemplorum inductione*, ut Judæorum, seu Auditorum Petri, Act. 2. v. 27. Cornelii ejusque domesticorum, *Act. 10. vers. 44.* Ephesiorum, *Actor. 19. vers. 45.*

29. Posterius quod videlicet Sacramenta fidem conferant, collatam confirment, & obsignent, ostendimus Disput. 16. de Calvinismo:

nismo: Nam 1. Sacramentum est verbum visibile. Jam verò verbum gignit fidem. Ergo & Sacramentum. 2. Docent id apertissima Scripturæ testimonia, *Joh. 3. v. 5.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest introire in regnum Dei, *Act. 22. v. 16.* Abluit Baptismus peccata, *Tit. 3. v. 5.* Deus salvos nos facit per lavacrum regenerationis, ac renovationis. 1. *Pet. 3. v. 21.* Baptisma salvos facit. Itaque ex aqua Baptismi regeneramur. 3. Arguit idem in fœdus Dei receptio: Nam per Sacramenta fœderi Dei inserimur, quod de circumcisione legitur, *Gen.* 17. De Baptismo, *Matt. 24. Mar. 16. Rom. 16. Eph. 5. Tit. 1. 1. Pet. 3.* De agno paschali *Exod. 12.* De sacra cœna, *Matt. 26. Mar. 14. Luc. 12. 1. Cor. 10. 11.* Ergo Sacramenta divinam gratiam offerunt, & conferunt.

30. Competit verò efficacia illa verbo, & Sacramentis non ex se, nec quatenus verbum est litera scripta, vel sonus physicus, neque quasi ejusmodi qualitas sit in creaturis, vel in hominibus; Sed ex divina ordinatione. Nam verbi δύναμις, καὶ ἐνέργεια promanat ab uno Dei Spiritu, 1. *Cor. 2. v. 11. 1. Thess. 1. v. 15. Esai. 54. v. 13. Joh. 6. v. 45. 1. Joh. 2. v. 27.* Sed per sermonem Dei vivi. *Heb. 4. v. 12. 1. Pet. 1. v. 23. Act. 10. v. 14.* Unde Apostoli dicuntur cooperarii Dei, 1. *Pet. 3. v. 9.* Ministri, per quos credimus, 1. *Corinth. 3. v. 5.* Gratia Dei fuit in ipsis, & cum ipsis. 1. *Cor. 15. v. 10.* Et per eos Deus fuit efficax, *Gal. 2. v. 8. Matt. 10. v. 20.*

31. Quæ de authoritate Romani Pontificis fabulantur Pontificii, illa suo in loco refutavimus.

32. Quæstio tertia: *Num fides melius per ignorantiam, quam per notitiam definiatur?*

33. Resp. Bellarminus scribit lib. 1. de justif. c. 7. p. 948. *Fides intellectum præcedit, ac per hoc credere, non est intelligere.* Et paulò pòst: *Mysteria fidei, quæ rationem superant, credimus, non intelligimus, ac per hoc fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam, quam per notitiam definitur.*

34. Assertio verò de fidei ignorantia rectè relinquitur ignorantiæ fratribus, qui semper discunt, & nunquam ad veritatis cognitionem perveniunt, 1. *Tim. 2. v. 7.* Nos verò fidem non esse ignorantiam, sed notitiam confirmamus his rationibus. 1. *Ab ejus epithetis, & encomiis*: Nam fides dicitur notitia mysteriorum Dei, *Rom. 16. v. 25. 27. Eph. 3. v. 3. Col. 1. v. 26. 27.* Existit ex Dei sapientia, & est Dei sapientia. 1. *Cor. 1. v. 21. 24.* Est fundamentum veræ sapientiæ, *Esai. 7. v. 9. 1. Cor. 1. v. 18.*

v.18.cap.2.v.7. Est scientia salutis, Luc.1.v.77. Agnitio veritatis, 1.Tim. 2.v.4. 2.Tim.3.v.7.Tit.1.v.1.Scientia salutis, Luc.1.v.77.

35. 2. *Ab evidenti assertione Spiritus S. in scriptura.* Esai. 53.v.11. In scientia sui servus meus justus justificabit multos. Scientiam hanc non esse nudè historicam, sed salvificam alibi ostendimus. Scientia verò excludit ignorantiam, Joh.17.v.3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Heb.11.v.3. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.

36. 3. *A fidei natura:* Assensus, & fiducia præsupponit notitiam: Non enim assentimur rei ignotæ, sed notæ, & fiduciam in rem eam collocamus, quam veram esse judicamus. Atqui fides est assensus, & fiducia. Ergo.

37. 4. *A credentium, & fidelium attributis:* Qui sunt illuminati, sapientes, intelligentes, illustrati, res creditas sciunt, illi eas non ignorant. Atqui tales sunt fideles. Ergo. Osea. 4.v.10. Quis sapiens & intelliget ista? Prudens & sciet ista? Eph.5.versic. 8. Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino, Job.19.v.25. Scio quod redemptor meus vivit, Jer.31. .34. Omnes cognoscent me. 2.Tim.1.v.12. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in diem illum, Eph. 1.v.17. Ut det Deus nobis spiritum sapientiæ, & revelationis in agnitione ejus, v.18. Et illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis. Col.1.v.9. Ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia, & intelligentia spirituali. Matt.13.v. 23. Qui audit verbum, & intelligit, & affert fructum, Joh. 6.v.69. Et nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus. Roman. 8.v.28. Novimus, quod qui diligunt Deum, omnia cooperantur in bonum.

38. 5. *A notatione πίστεως:* Derivatur enim πίστις à πείθω, quod significat doceo, & persuadeo, Act.19.v.7. Paulus introgressus synagogam cum fiducia loquebatur disputans, & suadens de regno Dei. Ergo ut πείθειν significat doctrinam proponere, & persuadere, ita πίστις notat ejus effectum, nimirum notitiam quandam docendo, & suadendo in animo ortam.

39. 6. *A ministerii efficacia, & fructu:* Ministerium instituit Deus, ut doceatur doctrina fidei. Ergo aut fides non est ignorantia, sed notitia, aut frustra institutum est ministerium, & non assequitur suum finem. 1.Timoth.3.v.2. Oportet Episcopum aptum esse ad docendum,

Tit.1.

*Tit.*1.*v.*9. Potens sit & exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.

40. 7. *A doctorum verbi probatione* : Doctrinam fidei jubemur probare. Ergo non debemus eam ignorare. *Matth.*7.*v.*15. Cavete vobis à Pseudoprophetis. *Johan.*10. *vers.*4. 5. Oves sequuntur Pastorem, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum 1. *Johan.*4.*v.*1. Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, an ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. 1. *Thess.*5.*v.* 21. Omnia probate, quod bonum est tenete.

41. 8. *Ab oppositâ incredulitate* : hæc enim dicitur ignorantia, *Actor.*17.*vers.* 23. 30. insipientia, stultitia, *Roman.*10.*vers.*19. *Luc.*24.*vers.* 25. Cœcitas, *Roman.*11.*vers.* 25. *Ephes.*4. *vers.*18. Tenebræ, *Esai.*9. *vers.*1. *Matth* 4.*vers.*15. *Luc.*1.*v.*79. *Johan.*1.*vers.*5. Ergo fides est notitia, intelligentia, & sapientia: Contrariorum enim contraria sunt attributa.

42. 9. *A testimonio piorum Patrum* : Cyrillus libr. 11. in Johan. capit. 16. *Fides*, inquit, *quid aliud est, quam vera Dei cognitio: fide enim cognitio fit? Testatur id Esaias dicens: Si non creditis, non intelligitis.* Gregorius libr. 2. Moral. *In Electorum corde prior bonorum sequentium sapientia nascitur, atq; hæc per donum Spiritus, quasi primogenita proles profertur: Quæ profectò sapientia nostra est fides.*

43. 10. *A confessione ipsorum adversariorum:* Lombardus scribit libr. 3. Distin. 24. *Nemo potest credere in Deum, nisi aliquid intelligat, cum fides sit ex auditu prædicationis.* Gabriel Biel 3. Sentent. Distin. 23. quæst. 2. *Fides est notitia adhæsiva, certa & firma veritatis ad religionem pertinentis per revelationem accepta.* Catech. Roman. part. 1. c. 1. in Respon. Quæst. 1. *Dei cognitio nihil aliud est nisi fides.* Dominicus à Soto in capit. 1. Epistol. ad Roman. *Per fidem*, inquit, *apprehendimus, id est, cognoscimus, unde dependeat, & in quo consistat justitia, & salus nostra.* Costerus in Enchirid. cap. 4. p. 170. *Quæ fide*, ait, *tenemus certissimè cognoscimus, longè etiam certius, quam res eas, quas sensu percipimus.*

44. Insurgit verò contra hæc Bellarminus: Nam *primò Mysteria fidei*, inquit, *rationem superant. Ergo ea credimus, non intelligimus,*

45. Resp. 1. Contradicit Bellarminus sibi ipsi: Nam lib. 1. de just. c. 6. scribit, *fidei proprium esse plenissimè scire, & pro certo habere.* 2. Magis,

& minus non variant speciem : Quamvis igitur notitia fidei in aliis sit clarior, in aliis tenuior, non tamen inde sequitur, fidem esse ignorantiam. 3. Distinguimus inter notitiam humanam & divinam, seu revelatam, inter τὸ ὅτι, & διότι inter notitiam certitudinis, & evidentiæ, inter qualemcunque notitiam, & scientiam : Per notitiam ὅτι cognoscimus rei existentiam: Per notitiam διότι rei essentiam, causas, & modum. Mysteria fidei noscuntur nō ex libro naturæ, & ex ratione, sed ex illuminatione Spiritus S. & revelatione Evangelii in mente hominis accensa: Sunt ea obstrusa rationi, non cordi fideli, quoad causas, & modum, non quoad rem ipsam, & existentiam.

46. Secundò, *Fides est argumentum rerum non apparentium*, Heb. 11. v. 1. *Ergo non est notitia.*

47. Resp. 1. Aliud est videre, & aliud noscere : Fides licet sit argumentum earum rerum, quæ non videntur, est tamen earum, quæ cognoscuntur. 2. Res cognoscuntur à fidelibus quidem certissimè, sed non evidentissimè, & non quoad omnes causas. 3. visio est corporis, mentis, & fidei : Mysteria videmus oculo fidei, non corporis, & mentis.

48. Quæstio quarta : *Vtrum fides justificans sit tantum assensus in hominis intellectu ; An verò etiam fiducia misericordiæ divinæ ?*

49. Resp. Concil. Trident. Sess. 6. Can. 12. *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.* Bellarminus etiam lib. 1. de justif. c. 5. totis viribus impugnat assertionem, qua statuitur fidē esse fiduciam. Subscribunt ipsi reliqui Pontificii, licet alioqui quid sit fides inconstanter, & variè dicant: Nam plærique fidem accipiunt pro Catholica (hoc est, Romanensi) professione : Alii pro assensione historica. Alii pro operibus quæ fidem consequuntur. Nonnulli fidem habent pro imaginatione quadam seu levi persuasione, atque opinione. Alii accipiunt eam pro qualitate quadam fidei, seu virtute in nobis hærente.

50. Quod verò fides sit fiducia probamus 1. *à Notatione*: In lingua enim latina, græca, & hebraica fides notat πληροφορίαν, & cordis fiduciam. Ergo essentia ejus non consistit in solo assensu. Dicitur enim fides à fidendo, hoc est, fiducialiter credendo, ut Joh. 2. v. 24. Jesus

sus non credebat semetipsum eis, πίστις à πείθεσθαι à firmiter persuadendo : Quando enim beneficia Christi offeruntur in verbo Evangelii contritis corde, inde de misericordia Dei propter Christum firmam concipiunt persuasionem, ac fiduciam, 1. *Johan. 3. v. 19. In conspectu ejus persuadebimus cor nostrum.* Sic æmunáh hæbraicum notat cordis confidentiam: Deducitur enim ab Amán, quod significat certum, & constabile fuisse.

51. 2. *A conjugatis*, ut sunt πιστεύειν, πιστὸς, πίστις, fidere, fidelis, fides : Nam πιστεύειν significat fidere. Ergo significat πίστις fiduciam. *Matt. 24. v. 45.* Quis putas est fidelis, & prudens servus? *Luc. 16. v. 11.* Vera bona quis credit vobis *Joh. 2. v. 24.* Jesus non credebat se eis. h.e. non conversabatur cum illis fiducialiter.

52. 3. *Ab adjunctis cognatis, & synonymis:* Variis enim epithetis fides in scriptura notatur. Dicitur πεποίθησις confidentia, fiducia, 2. *Cor. 3. v. 4. Eph. 3. v. 12. Phil. 3. v. 4.* πληροφορία firma persuasio, *Rom. 4. v. 21. Heb. 6. v. 11. cap. 10. v. 22.* παῤῥησία libertas, *Eph. 3. v. 12. Heb. 3. v. 6.* θάρσος confidentia, *Joh. 16. v. 33. Matth. 9. v. 22.* κατάληψις, & λῆψις χριστοῦ, *Phil. 3. v. 12. Johan. 1. vers. 12.* ὑπόστασις, hoc est, firma mentis subsistentia, & fiducia.

53. 4. *A collatione locorum Scripturæ V. & N. Testamenti.* Nam dicta, quæ in V. Testamento requirunt fiduciam & tribuuntur confidentibus, illa sæpe in Novo præcipiunt fidem, & tribuuntur credentibus, ut *Psalm. 2. v. 13.* Beati omnes, qui confidunt in eo, hoc ita effertur, *Mar. 16. v. 16.* Qui crediderit, salvus erit. Sic quod legitur, *Esai. 26. v. 3.* Servabis pacem, quia in te confisum est, seu quia tibi fidit. Et *Psal. 112. v. 7.* Paratum cor ejus confidere in Domino. Hoc Apostolus enunciat, *Rom. 5. v. 1.* Justificati fide pacem habemus. Similiter *Psalm. 28. v. 7.* In ipso confidit cor meum. Hoc Apostolus ita exponit, *Rom. 10. v. 10.* Corde creditur ad justitiam. Et quod dicitur *Psal. 31. v. 1.* In Deo confido, non confundar. Hoc *Rom. 10. v. 11.* Sic reddit: Qui credit non confundetur. Causam cur in V. Testamento adhibeatur confidere, & fiducia; In Novo credere & fides, hanc dat Flacius pag. 318. Clav. Scrip. Quod Test. V. sit propositum populo Dei, jam collecto, & verbo Dei assensum præbenti. Non tam igitur opus erat eum admonere ad notitiam, quam ad fiduciam. Novum v. Test. propositum est populo Dei & Messiæ maximam partem ignaro, ideò necessarium erat,

ut agnitio veri Dei inculcaretur. Inde Spiritus S. usus est vocabulis, quæ & notitiam, & fiduciam conjunctim significarent.

54. 5. *A fidei justificantis forma*, quæ est Christum cum omnibus suis beneficiis apprehendere, *Joh. 1. v. 12. Rom. 5. v. 11. Gal. 3. v. 14. Heb. 4. v. 16. Col. 2. v. 6.* E. fides non est nuda notitia, & assensus, sed etiam fiducia. Assentire enim possunt etiam hypocritæ, qui non confidunt.

55. 6. *A fidei objecto*, quod est promissio gratiæ in Christo. Hanc verò applicat sibi fides. At non applicat eam nuda notitia, & assensus. Ergo.

56. 7. *Ab effectis*, ut sunt peccatorum remissio. *Act. 10. v. 13.* Liberatio à damnatione Legis, *Rom. 8. v. 1.* justificatio, *Rom. 10. v. 4.* Hæc verò effecta non possunt adscribi nudæ notitiæ, & generali assensui, quem etiam habent Diaboli. Ergo fides non est tantùm notitia, & assensus, sed etiam fiducia.

57. 8. *A fidei oppositis*, ut sunt hæsitatio, pusillanimitas, diffidentia, timor & metus, *Rom. 4. v. 20. Jac. 1. v. 6. Matth. 22. vers. 21. Mar. 11. v. 23.* Illa verò sunt in voluntate. Ergo fides non est in solo intellectu, sed etiam in voluntate. Philosophi dicunt: *Contraria in eodem subjecto nata sunt fieri.*

58. 9. Idem docent exempla, ut Abrahami, *Rom. 4. v. 18.* Hæmorrhousæ, *Matth. 9. v. 22.* Mulieris Chananææ, *Matt. 15. v. 28.*

59. 10. *Ab adversariorum confessione*: Lombardus dicit libr. 3. Sent. Dist. 23. Lit. D. *Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & membris ejus incorporari. Per hanc fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.* Cajetanus in enarratione dicti Mosaici, credidit Abraham Deo: *Moses non dicit Abrahamum credidisse Deo, sed in Deo: Hoc enim plus est: Nam credere Deo est fidem habere illius verbis, ut veracibus, credere autem in Deo insuper addit fiduciam in Deo.* Stapletonus in prompt. moral. Dom. Pent. l. 6. *Creditis in Deum, etiam in me credite, hoc est, in Deum fiduciam habete, & in me.*

60. Quæris, *an justificatio admittat majus, & minus? idque ex assertione nostra confirmas à fiducia, quæ in aliis est major, & in aliis minor. Ergo & justificatio est major vel minor. Nam fiducia est justificationis causa.*

61. Respond. 1. In præcedentibus ostendimus ad fidem salvificam concurrere tria, ut sunt 1. Illuminatio, & in mente cognitio. 2. Assen-

Assensus, seu judicium approbans, ex quo nascitur plena persuasio. 3. Apprehensio, seu fiducialis receptio, quam sequitur vel tanquam adjunctum, vel tanquam effectus confidentia. 2. Fiducia sumpta pro apprehensione non recipit magis, & minus: Non minus enim recipit Christum qui magnæ est fidei, quam qui est parvæ, licet hic minorem ille majorem habeat confidentiam: Illustrari id potest exemplo à tremulâ manu, & eleemosynam apprehendente defumpto. At fiducia metonymicè pro confidentia, seu παῤῥησίᾳ sumpta admittit magis, & minus.

62. Quæstio quinta: *An fides sola justificet?*

63. Respond. Johannes Roffensis in Confut. Assert. Mart. Lutheri scribit pag. 129. *Pugnant inter se, quod sola fides ad justitiam, & pacem cordis sufficiat, & quod Sacerdos nihilominus peccata remittat.* Concilium Trident. Sess. 6. Can. 12. *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificemur anathema sit.* Becanus Tom. 1. Opusc. pag. 226. *Lutherus, cum illam particulam (sola) non posset uspiam in sacris literis reperire; usus est sua authoritate, & audacter illam posuit in tertio capite Epist. ad Romanos. Et cum postea de hac re monitus esset, nihil aliud quàm hoc responsi dedit: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Bellarminus libr. 1. de justif. capit. 12. hæreticos eos esse, ait, qui docent, nos fide sola justificari Tannerus in Anat. August. Confess. frustra pollicetur p. 7. se probaturum, quod Lutherus sit Bibliomastix, seu sacrilegus, sacræ Scripturæ falsarius. Ibid. pag. 48. *Per additionem insigne & inexplabile falsi crimen in Spiritum S. & divinum ejus verbum admisit Lutherus in epistola ad Romanos cap. 3. v. 28.* Et paulò post: *Quid autem fecit in sua germanica versione, ut rudi populo sub specie, ac nomine sacræ scripturæ suum turpissimum, ac insanum errorem, quod sola fides (exclusis non solum operibus legis, de quibus solummodo loquitur Apostolus, sed etiam omnibus aliis operibus seu actibus bonis, quantumvis ex gratia, & fide Christi perfectis) hominem justificet ac salvet, tantò facilius obtruderet, ac persuaderet. Nimirum quia verus, ac incorruptus sacræ scripturæ textus ejus hunc errorem, nil juvabat, corrupit ipse, ac falsavit in sua versione textum, addendo particulam SOLVM, quæ in nullo textu, latino, græco, aut barbaro anteà in Ecclesia catholica unquã legebatur,* Cost. in Ench. c. 6. p. 266. *Fides sola nõ satis est ad justificationẽ obtinẽdã.*

in Dom. 23. Pent. Conc. 2. *Fides justificat, sed non sola. Sicut homo generat hominem, sed non solus, quia etiam sol concurrit in omni generatione.*

64. Sententiam verò Protestantium de hac quæstione proposituri, sequentes notamus observationes. Prima: *In hac propositione fides sola justificat, particula (sola) determinat non subjectum, sed prædicatum.* Removet igitur opera non ab actu præsentiæ, sed â communicatione efficientiæ, hoc est, non ut fidei, & justificatis adesse, sed ut fidei in actu justificationis cooperari negentur. Exclusiva enim particula in hac non excludit virtutes, ne adsint, sed excludit eas à causa reconciliationis. Distinctæ igitur sunt propositiones: *Fides sine operibus justificat, & fides sine operibus est mortua*: In priore particula (*sine operibus*) pertinet ad prædicatum, in altera determinat subjectum.

65. Secunda: *Non statim quæ conjuncta sunt conjunctim agunt.*: Explicat illud eruditè ß. Lutherus in commentariis super cap. 15. Gen. *Scio*, inquiens, *reliquas virtutes esse insignia dona Dei: Scio, fidem sine his donis non existere, sed quæstio est, quod cujusque proprium. Tenes manu varia semina, non autem quæro, quæ cum quibus conjuncta sint, sed quæ cuique propria virtus. Hic apertè dic, quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem. Hoc proprium solius fidei est. Reliquæ virtutes alias habent materias, circa quas versantur.* Item: *Scimus, quod fides nunquam est sola, sed affert secum charitatem, & alia multiplicia dona, neq; unquam sola est, sed non ideo confundendæ res, & quod solius fidei, aliis virtutibus tribuendum.*

66. Tertia: *Fides sola justificat, seu justificamur sola fide obedientiam Jesu Christi apprehendente,*

67. Probamus id 1. *A remotione operum ab actu justificationis*: Oppositorum posito uno tollitur alterum. Atqui respectu actus justificationis fides & bona opera sunt opposita, quæ alioqui extra justificationem optimè conveniunt. Ergo posita justificatione per fidem, negabitur justificatio per opera. Minor legitur *Rom. 3. v. 28. cap. 4. v. 5. cap. 11. v. 6. Gal. 2. v. 16. Eph. 2. v. 8 9. Tit. 3. v. 5.*

68. 2. *A particulis exclusivis*: Utitur scriptura instrumentum apprehendendi Christum describens, particulis exclusivis. Ergo docet fidem solam apprehendere Christum, & per consequens fidem solam justificare, *Mar. 5. v. 36.* Ne metuas, μόνον πίστευε *solum* crede. *Luc. 8. v. 50.* Noli timere, crede *tantum*, & salva erit.

69. Ex-

69. Excipit Bellarminus, *Dominum, inquiens, loqui, non de justificatione impii, sed de miraculo, in excitatione filiæ faciendo.*

70. Resp. Relatio est inter promissionem, & fidem, & non inter opera nostra, & promissionem. Objectum promissionis sunt vel beneficia corporalia, vel spiritualia. Quemadmodum verò fides sola apprehendit promissionem de beneficiis corporalibus, ita eadem sola apprehendit promissionem de beneficiis spiritualibus, seu de gratuita peccatorum remissione in Evangelio oblata.

71. 3. A phrasibus æquipollentibus, cujusmodi sunt ἐὰν μὴ, εἰ μὴ *Gal.2.v.16.* Non justificatur homo ex operibus legis ἐὰν μὴ διὰ πίστεως. 1. *Joh.5.v.5.* Quis est, qui vincit mundum, εἰ μὴ ὁ πιστεύων nisi qui credit, quoniam Jesus est Dei Filius. Quod verò particulæ illæ sint exclusivæ patet ex *Matt.19.v.9.cap.5.v.32.c.24.v.36. Mar.13.v.23. Gal.6. v.14. Apoc.21.v.27. 2.Reg.5.v.17.* Quæ loca Dietenbergerus in versione Germanica plærunque reddidit per vocem **Allein.**

72 4. *Ex illis locis, quæ docent, hominem justificari gratis.* Idem enim est gratis, & non ex operibus, ac per hoc idem est gratis, & sola fide, *Rom.3.v.24. cap.4.v.4.5. cap.11.v.6. Eph.2.v.8.9.*

73. 5. *Ab operum nostrorum consideratione*: Hæc enim sunt immunda, imperfecta, jam ante debita, carent vi apprehendendi justitiam, & gratiam in Evangelio oblatam. Ergo instrumentaliter non justificant, sed sola fides.

74. Particula igitur exclusiva tria potissimum docet in Articulo justificationis 1. *Objectum fidei justificantis*, quod non est quærendum in lege, sed in Evangelio, quod gratuitam misericordiam propter Christum mediatorem proponit, & apprehendit. 2. *Causam seu meritum reconciliationis*, quod non sunt nostra opera, sed Christi satisfactio, & obedientia. 3. *Medium, seu applicationis ὄργανον*: Non enim operibus sed fide sola apprehenditur, & applicatur gratuita reconciliationis promissio.

75. QUARTA: B. *Lutherus igitur gravi de causa usus est in Articulo justificationis particula'*, (SOLA **Allein**) *& ea commodissimè expressit sensum exclusivarum paulinarum.* Nam 1. *respexit ad proprietatem linguæ germanicæ*: Quando enim scriptura de duabus vel pluribus rebus loquitur, ita ut de una tantùm affirmet, de reliquis verò neget, illud loquendi genus, non possumus in Germanica lingua commodiùs, & significantiùs

cantiùs reddere, quam per exclusivas, *sola*, tantùm, Allein. Lutherus scribit Tom. 5. Jen. p. 162. & seqq. **Das ist die Art vnser Teutschen Sprache/ wenn sich einer rede begiebt/ von zweyen dingen/ der man eines bekennet/ vnd das ander verneinet/ so brauchet man das wort solum (Allein) neben dem wort (nicht oder kein) Als wenn man sagt/ der Bawer bringet allein Korn/ vnd kein Geld.** *Item* **ich hab warlich itzt nicht Geld/ sondern allein Korn.**

76. 2, Propriam, & nativam Apostoli sententiam exponit, *Rom.*3.3. Probati interpretes ad exprimendum verum sensum uti sunt particula exclusiva (sola) etiamsi in fonte non legeretur. Editio vulgata latina majoris emphaseos gratia particulam eam inserit, licet in editione hebraica non habeatur. *Levit.* 21. *v.*2. *Deut.* 6.*v.*13.*c.*10.*v.*20.*c.*12. *v.*32.*cap.*22.*v.*27.*c.*32.*v.*39. 1. *Sam.*10.*v.*19.*cap.*18.*v.*8.2. *Reg.*7.*v.*7.*c.*19.*v.* 11.*c.*23.*v.*7.9.2. *Par.*20.*v.*12. *Esther.*3.*v.*2.*c.*4.*v.*13. *Job.*17.*v.*1. *Cantic.*8.*v.*1. *Jer.*17.*v.*4. *Dani.*11.*v.*4. *Zach.*8.*v.*19. Septuaginta interpretes inseruntea m, *Gen.*3.*v.*11, *Deut.*6.*v.*13. Quod factum approbat Christus, *Matt.*4. *v.*10. Syriaca versio inserit particulam *Balchud*, *Rom.*4.*v.*5. Italica Venetiis excusa anno 1546. inserit eandem *Gal.*2.*v*,16.*ma solo per la fede.*

77. 4. Ipsa scriptura sæpe, quod in uno loco proposuit per affirmationem & negationem, idem altero in loco explicat addita particula exclusiva. Videre illud est ex collatione locorum. *Deut.*6.*v.*13. 14.*&* *Matt.*4.*v.*10. Item *Deut.*32,*v.*39. Rursus *Psal.*51.*v.*6.*&* *Syr.*18.*v.*1. Similiter, *Mar.*13.*v.*32. *Et Matt.*24.*v.*37.

78. 5, Particulam illam (*sola fide*) non excogitavit primum B. Lutherus, sed habet antiqnitatis consensum, idque fatetur Georgius Cassander in sua consultatione de Art. Relig. Imò ante Lutherum Biblia germanica sunt edita, in quibus legitur *Rom.*3. **Allein durch den Glauben ohne der werck der Ehe.** Concludimus igitur verbis Chrysostomi in Epist. ad. Gal. Tom. 4. p. 912. *Scientes, quod non justificabitur homo ex operibus legis, sed tantùm per fidem Jesu Christi.*

FINIS DISPUTATIONIS LVII.

DISPUTATIO LIIX.

QUÆ EST
DE FIDE IVSTIFICANTE
altera

Resp. Ludovico Dunte Revalia-Livono.

THESIS I.

VERE dicit Hilarius lib. 10. de Trinitate: *In simplicitate fides est, in fide justitia est, in confessione pietas.*. Itaque fides ad vitam æternam anhelantibus summè est necessaria. Apostolus dicit, *Rom.* 10. *v.* 10. corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. *Rom.* 14. *vers.* 23. Quod non ex fide peccatum est. *Hebr.* 11. *v.* 6. Sine fide impossibile est, placere Deo, credere oportet accedentem ad Deum.

2. Fidem igitur commendans Augustinus rectè dicit Serm. 38. de temp. *Ad veram beatitudinem pervenire volentibus, primò omnium fides necessaria est, sicut Apostolica docet authoritas dicens: Sine fide impossibile est placere Deo. Constat ergò neminem ad veram pervenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat, & Deo neminem posse placere, nisi per fidem. Fides namque est bonorum omnium fundamentum, fides humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei pervenire potest consortium: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam justificationis assequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit aternam. Et si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet ad beatæ Domini nostri Jesu Christi speciem.*

3. Quare quæ restant de fide justificante quæstiones, & quas in præcedente Disputatione examinandas non exhibuimus, eas jam proponemus. *Hujusmodi sunt de fidei subjecto, objecto, nonnullis ejus distinctionibus, & de certitudine salutis.*

4. Quæstio prima: *Vtrum fides sit tantùm in intellectu; An verò in intellectu, & voluntate simul?*

5. Resp. Statuunt Pontificii, fidem generalem tantúm esse assensionem. Referunt igitur eam tantum ad intellectum. Pighius cla-

mitati fidem esse chimeram, si simul in mente, & voluntate colloce-tur. Quæ enim subjectis differunt realiter differunt. Bellarminus lib. 1. de justif. cap. 6. enarrans sententiam Protestantium ex Chemnitio scribente, fidem esse notitiam, assensum & fiduciam accedendi ad thronum gratiæ, qua apprehendit justificationem, subjicit pagin. 946. *Hæc Philosophia Chemnitiana parum facit ad rem: Nam non possunt isti omnes actus ad unam virtutem propriè, & per se pertinere, cum priores duo sint in intellectu, posteriores in voluntate, nec fieri possit, ut una virtus sit in duabus potentiis genere distinctis. Quare adhuc restat quæstio, quinam ex illis actibus ad fidem justificantem pertineant: Nos enim contendimus, duos priores, qui sunt in intellectu, esse actus fidei; Adversarii contra, duos posteriores, qui sunt in voluntate, & maximè postremum actum fidei esse volunt, cum illi soli tribuant justificandi officium.* Sic igitur argumentari videntur: Quicquid duobus subjectis realiter distinctis inhæret, illud est monstrosum. Atqui fides Lutherana inhæret duobus subjectis realiter distinctis, intellectui, & voluntati. Ergo est monstrosa.

6. Protestantium verò sententiam defensuri. 1. remittimus ad disputationem præcedentem; unde repetendum est tres esse fidei actus, notitiam, assensum, & fiduciam: Docentur actus illi, Joh. 14. v. 10. 11. 12. *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Credite mihi me in Patre, & Patrem in me esse: Sin minus propter ipsa opera credite mihi. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet.*

7. 2. Scriptura docet, *corde nos credere ad justitiam* Rom. 10. v. 10. Inde est Canon Theologicus: *Verba notitiæ apud Hebræos notant sæpe affectus cordis.*

8. 3. Principia Aristotelica non sunt opponenda, sed subordinanda divinæ veritati in verbo. Mysteria enim illa transcendunt omnem captum humanum. Ergo transcendunt & omnes regulas philosophicas ex ratione formatas. Ergo hæ nec debent, nec possunt opponi divinæ veritati in scriptura sacra revelatæ. Pugnantia enim opponi debent secundum idem, ad idem, & eodem tempore. Itaque & mysteriis captivanda est ratio in obsequium Christi, ne transitus fiat in aliud genus, & ne pugnantium conditiones negligantur. Augustinus dicit: *Titubat fides, si divinarum scripturarum vacillat authoritas. Et major est Scripturæ authoritas, quam omnis humani ingenii capacitas comprehendere potest.*

9. 4. Non-

9. 4. Nondum convenit inter ipsos Philosophos de distinctione facultatum animæ cum ab hac, tùm inter seſe. Ergo ex ea nondum satis inter ipsos decisa nihil solidi inferre possunt Pontificii contra veritatem Theologicam. Nonnulli enim facultates referentes ad Prædicamentum qualitatis, animam ipsam ad Prædicamentum substantiæ, statuunt facultates tum à seipsis, tum ab anima realiter differre ut *Thomas par.* 1. *Summæ quæst.* 77. *art.* 1. *Et quæst.* 79. *art.* 1. *Petrus Nigrus in clypeo Thomistarum quæst.* 48. *&* 54. *Zabarella lib. de Facult. Anim. c.* 4. *Colleg. Conimb. lib.* 2. *de facul. anim. c.* 3. *quæst.* 4. *art.* 2. *Toletus lib.* 2. *de Anim. c.* 4. *tex.* 50. *q.* 9. *Fonseca lib.* 5. *Metaph. c.* 1. *q.* 1. *sect.* 5. *Suarez Tom.* 1. *Disp. Metap. Disp.* 18. *sect.* 3. *n.* 13. Alii negant facultates animæ differre realiter, & prædicamentaliter, licet differant objectivè, formaliter, & virtualiter sicuti differunt idiomata Dei. Hæc opinio est Durandi lib. 1. Sen. Dist. 3. q. 4. Commentatoris in Damascenum lib. 2. cap. 12. Schegkii 2. Top. Loc. 9. Nominales opinentur facultates animæ nec realiter, nec tantum ratione ratiocinante. Adscribit hanc opinionem Collegium Conimb. Ochamo in 2. Sentent. distin. 16. q. 24. 26. Marsilio in 1. quæst. 7. artic. 3.

10. Durandi opinionem statuentis, voluntatem, & intellectum non esse potentias reipsa distinctas, sed unam, & eandem entitatem, quæ propter ordinem, & relationem ad diversos actus, nimirum ad functiones intelligendi, & vocandi duarum potentiarum rationem sortiatur, approbat Scaliger atq; accurratè, & subtiliter explicat, *Exer.* 307. *sect.* 3. Voluntas est intellectus extensus ad habendum, aut faciendum, quod cognoscit. Ibidem: In homine voluntas est intellectus promotus: Ubi imminet ruina, fugit homo. Ita tunc vult, quod appetebat, salutem suam scilicet. Et sect. 4. Voluntas etiam â te jungitur cum intellectu: Ab Aristotele verò in tertio de Anima, una res esse statuitur, diversa verò solâ ratione, id est modo suo. Item sect. 15. *Quid igitur intellectus est? Nam multis nominibus designata est ejus notitia. Alii partem, alii vim, alii dicere potestatem. Quod cum de intellectu fuerit explicatum: eodem assensu de voluntate quoque sentiendum erit. Voces ipsas declaramus Partes dico, id est, potentias essentiales. Vim verò, vel facultatem vel potestatem, accidentia. Deinde an inter se differant, & quomodo. Dicimus, non esse accidentia, neque absoluta, neque relativa, neque realiter, ut loquuntur vulgò, differre à se invicem: neq; utrumvis ab essentia animæ: Decet enim animam*

propter suam dignitatem fungi suis officiis: suasque exercere potestates, absque ullius accidentis, aut inhærentis, vel præsidio, vel adminiculo: Sed sine ullo medio statim per essentiam suam. Quæ essentia sine reali potestatum disjunctione est principiũ sibi ipsi αὐτάρκες, id est, quod sit satis sibi, ad producendas effectiones suas: easque non solum simplices, ac uniformes, sed etiam compositas, sed etiam diversas, sed etiam oppositas, propter suam simplicitatem, atque divinitatem: ita tamen, ut seriatim una post aliam educatur. Intellectus autem ac voluntas etsi sunt una res, tamen distinguuntur ratione. Sunt enim affectus animæ proprii, non accidentales, sed una res cum ipsa. Sicut, unum, Bonum, verum, sunt affectus ipsius entis: una sane res, atque eadem cum ipso ente. Sed & ab eo, & inter se distinguuntur per definitionem, ad hunc sanè modum. Quia in prima natura statuitur ipsum ens: Quæ natura quodam modo seipsam profert, atque efficit, ut sit, unum, bonum, verum. Quæ est aliæ formalitas ab illa prima formalitate. Quæ alia est apprehensio entis, ut est ens: alia, ut est unum. Hoc enim ex illo sequitur, atque ex eo nascitur, sed non extra ipsum. Vna enim res est. Sic una res, anima intellectus, voluntas. Anima tamen essentiam dicit. Intellectus ea est ipsa essentia, ut apprehendit. Voluntas est idem, quod illa essentia intelligens, atque extendens sese ad illam rem cognitam potiendam.

11. 5. Illi ipsi, qui facultates animæ, intellectum, & voluntatem realiter inter se differre statuunt, non universaliter, & absolutè affirmant, *unam virtutem esse non posse in duobus subjectis.* Thomas scribit 1. 2. quæst. 56. Artic. 2. *Aliquid esse dicitur in duobus, primo sic quod ex æquo sit in utroque sic impossibile est unam virtutem esse in duabus potentiis. Secundò ordine quodam, & sic una virtus potest pertinere ad plures potentias, ita quod in una sit, principaliter & se extendat ad alias per modum diffusionis, vel per modum dispositionis.* Idem non absurdè dici potest de fide, quæ principaliter est fiducia, seu fiducialis beneficiorum CHRISTI apprehensio, actus reliquos in intellectu præsupponit per modum dispositionis.

12. 6. Ipsi Scholastici, qnorum authoritatem magni faciunt Pontificii fidem non tantum ad intellectum, sed etiam quodammodo ad voluntatem referunt: Thomas 1. 2. quæst. 66. Artic. 4. *credere*, inquit, *est alicui propria voluntate assentire.* Secundâ 2. quæst. 4. Artic. 2. *Credere est actus intellectus, secundum quod movetur à voluntate ad assentiendum*

dum. Procedit autem hujusmodi actus, & à voluntate & ab intellectu. In de igitur respondet ad quæstionem, an fides sit major, & minor, his distinctionibus, Secundâ 2. quæst. 5. Artic. 4. *Si consideretur fides ex parte objecti, sic formale objectum fidei est simplex, & unum seu prima veritas, secundum, hoc est fides una : Ea verò, quæ materialiter credendo proponuntur, sunt plura, & sic potest unus plura explicitè credere, quam alius. Si consideretur fides secundum participationem subjecti, fides dupliciter est major, primò ex parte intellectus propter majorem certitudinem, secundò ex parte voluntatis propter majorem promptitudinem.* Gabriel Biel 3. Sentent distin. 23. quæst. 2. Artic. 3. Dub. 4. *Fides est virtus intellectualis*, inquit, *quia causatur ab actibus intellectus elicitis, scilicet assentire verbo certo ex authoritate testis: Est tamen ex parte moralis, quia acquiritur ex actibus voluntatis imperatis. Nam apprehenso vero certo, sed inevidenti, & ita non sufficienter probato, non cogitur intellectus assentire, sed quantum de se est, potest non assentire, ideò si assentit firmiter, volens assentit, & ita ex imperio voluntatis.* Bonaventura in libr. 3. Distin. 23. Artic. 1. quæst. 2. scribit: *Fides in quantum virtus meritoria est, dici potest, quod in libero arbitrio sit. At in quantum habitus est, potentiam facilem reddens, pertinet ad intellectum.* Imò Bellarminus sui immemor, & sibi contrarius duo subjecta fidei attribuit libr. 1. de Justif. capit. 10. quia fiduciam præcedere justificationem asserit, eamque ad fidem refert. pagin. 960. ait: *Fiducia obtinendæ veniæ, qualis esse debet in homine pœnitentiam agente, præcedit justificationem.* Et annón fidem eo ipso intellectui, & voluntati attribuunt, dum eam esse assensum statuunt, & charitate ejus formam esse fabulantur: Annon enim virtutis moralis subjectum est voluntas ? Jam verò charitas est virtus moralis. Ergo. Forma verò dat esse, operari & denominat rem. Quare si fidei forma pertinet ad intellectum. Ergo & ipsa fides.

13. 7. Virtutem unam ad diversas animæ facultates, intellectum, & voluntatem referri posse, illustrari solet exemplorum inductione: Primum petitur *à consideratione imaginis Dei in primo homine.* Hæc enim erat quidem una, sed si ita erat partim in intellectu, quoad lucem notitiæ in mente, partim in voluntate, quoad justitiam, & effectuum cum lege Dei conformitatem: Unde dicit Apostolus *Ephes. 4. versic. 24. Hominem conditum fuisse in justitia, & sanctitate veritatis.* Secundum *à libero arbitrio*, quod erat mentis, & voluntatis facultas mixta ex

intelligentiâ, & appetitâ rationali, dicit *Thomas p.1.q.83. Art.3.* Itaque hæc res una erat in intellectu ratione arbitrii, in voluntate ratione libertatis, videatur *Lombardus lib.2. Dist. 24. Lit. C.* Tertium *à definitione spei: Hæc enim est certa expectatio futuri boni.* Ergo ea est in intellectu, & in voluntate. Nam certitudo pertinet ad intellectum, & expectatio ad voluntatem. Quartum *à virtutibus intellectualibus, ut sunt ars & prudentia:* Nam prudentia ratione cognitionis pertinet ad intellectum, ratione actionis ad voluntatem. Sextum *à disciplinis practicis.* In his enim dantur duo, probatio, vel demonstratio, ut plæriſque placet, & demonstrationis fructus, qui est ad agendum directio. Resident igitur in intellectu, & in voluntate.

14. 8. Hisce sic præmissis distinguimus primò inter subjectum denominationis, inhæsionis, & perfectionis: Subjectum fidei denomiuationis est totus homo, qui ab eo nominatur fidelis; subjectum ejus inhæsionis est cor humánum: subjectum perfectionis est intellectus, & voluntas: Intellectum perficit rerum notitia, voluntatem fiducia. Secundò, inter virtutes simplices, & mixtas, seu conjunctas: Illæ ad unam animæ referuntur facultatem, quia nec distinctas partes, nec distinctos admittunt actus: Conjunctæ virtutes ad diversas referuntur animæ facultates, ut introductione exemplorum est ostensum. Sic fides justificans, quia est notitia, assensus & fiducia, est quidem in se una, sed actus comprehendit diversos, quorum respectu est in intellectu, & in voluntate.

15. Quæstio secunda: *Quodnam fidei justificantis sit objectum.*

16. Resp. Fidei justificantis objectum non esse specialem Dei misericordiam, sed omnia, quæ Deus in verbo revelare dignatus est statuunt Pontificii. Collocutores in Colloquio Ratisbonensi objectis fidei justificantis annumerabant relationem canis Tobiæ videntis herum suum, & caudam moventis. Bellarminus libr. 1. de justif. cap. 4. *Catholici* (Romanenses) *fidem tam late patere volunt, quam late patet verbum Dei: Certam autem promissionem specialis misericordiæ, non tam ad fidem, quam ad præsumptionem pertinere contendunt.* Gotthardus Canon. Patrav. in defens. Eccl. Cathol. p. 115. *Lutherani*, inquit, *præter fidem historicam novam quandam specialem invenerunt, qua meritum Christi apprehendamus, ac nobis peccata remissa esse certò statuamus, eam nos non secus atq; pestem execramur.* Ruardus Tapperus in Expl. Art. 9. p. 75. *Fides*, ait, *qua*

quis

quis firmiter credit, & certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, seq; possessurum vitam æternam, nullum habet in scriptura testimonium, imò iisdem adversatur. Cens. Colonien. pag. 118. *Objectum fidei justificantis est omne id, quod in verbo Dei revelatum.* Pistorius in Disput. de justif. th. 19. *In eo longè aberrant, quod opinantur fidem ferri solũ vel principaliter in passionem, & mortem Christi.* Imò quod magis est fidei objectum statuunt esse etiam traditiones humanas, Stapletonus in relect. princip. fidei controv. 5. q. 2. Art. 4. p. 514. *Si præsens Ecclesia, inquit, librum Hermæ Pastoris nomine inscriptum, constitutiones Apostolicas à Clemente editas, & similes in canonem sacræ scripturæ referret, nulla ratio obstat, quin eos pro Canonicis admittere debeamus.* Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 25. *Omnium dogmatum firmitas pendet ab authoritate præsentis Ecclesiæ.* Et lib. 4. de not. Eccl. cap. 2. *Scripturæ pendent ab Ecclesia, non contrà, ut sæpe diximus.*

17. Contra Protestantes primò commendant regulam Cornelii Jansenii Episcopi Gandavensis cap 32. Harm. Evang propositam: *Quædam dicuntur de fide respectu notitiæ, quædam respectu fiduciæ:* Fidei objectum respectu notitiæ, adæquatum est omne Dei verbum in scriptura Prophetica, & Apostolica propositum; Ex his objectum ejus primarium sunt Articuli fidei, qui sunt iidem in V. & N. Testamento quoad substantiam, *Act. 15. v. 11.* crevit autem in N. Testamento explicatio. Sunt planè iidem in iis, quæ concernunt salutis modum; Accidit verò quædam mutatio in mediis gratiam offerentibus. Fidei objectum respectu fiduciæ est Christi obedientia, & satisfactio. Secundò *Relatio perpetua est inter verbum promissionis, & fidem verbo illi innitentem.* Promissiones verò sunt vel generales, vel speciales: Illæ concernunt bona corporalia, vel etiam spiritualia; Hæ concernunt singularem Dei gratiam, & meritum & satisfactionem Christi, ob quam omnes perseveranter credentes justificantur: Fides apprehendit etiam generales promissiones, ut docetur, *Heb* 11. Sed eatenus non justificat; Justificat verò quatenus meritum Christi in verbo Evangelii annunciatum propositũ, & oblatum perseveranter apprehendit. Verè dicit B. Lutherus Tom. 2. Lat. Jen. p. 280 *Deus non aliter cum hominibus unquã egit, aut agit quàm verbo promissionis: Rursus nec nos cum Deo unquam agere aliquid possumus, quam fide in verbum promissionis ejus. Opera ille nihil curat, nec eis indiget, quibus potius erga homines, & cum hominibus, & nobis ipsis agemus. Indiget autem ut verax in suis promissis in nobis habeatur, talisque longanimiter sustinea-*

ſtineatur, & ſic fide, ſpe & charitate colatur. Quò fit, ut gloriam ſuam in nobis obtineat, dum non nobis currentibus, ſed ipſo miſerente, promittente, donante omnia bona accipimus, & habemus.

18. Confirmamus verò rem ipſam, nimirum, quod fidei juſtificantis proprium, & adæquatum objectum ſit promiſſio Evangelica de Chriſto mediatore. 1. *ab obedientia, & ſatisfactione Chriſti*: ob quod fide perſeverante apprehenſum, peccata nobis remittuntur, & in gratiam apud Deum recipimur, illud eſt proprium fidei juſtificantis objectum. Atqui ob obedientiam, & ſatisfactionem Filii Dei, quâ pro nobis ſatisfecit, peccata nobis remittuntur, & in gratiam apud Deum recipimur. Etgo. Chriſtus enim factus eſt peccatum, 2. *Cor.* 5. *v.* 21. Et maledictum, *Gal.* 3. *v.* 11. 13. Suſcepit peccata noſtra, & pœnas debitas, *Pſal.* 69 *v.* 5. *Eſai.* 43. *v.* 24. 25. *cap.* 53. *v.* 4. 5. 6. 8. *Joh.* 1. *v.* 29. 1. *Pet.* 2. *v.* 24. Eſt igitur noſter mediator, 1. *Tim.* 2. *v.* 5. *Heb.* 8. *v.* 6. *c.* 9. *v.* 15. *c.* 12. *v.* 24. Redemptor *Luc.* 1. *v.* 68. *c.* 2. *v.* 38. *Rom.* 3. *v.* 24. *Heb.* 9. *v.* 12. propitiatio pro peccatis, 1. *Joh.* 2. *v.* 2. *c.* 4. *v.* 10. Et propitiatorium, *Rom.* 3. *v.* 24. Dedit vitam ſuam λύτρον ἀντίλυτρον pro nobis, *Matt.* 20. *v.* 28. *cap.* 10. *v.* 45. Fudit ſanguinem in remiſſionem peccatorum, *Matt.* 26. *v.* 28. *Heb.* 9. *v.* 13. 14. Ut deleret chirographum, qui adverſus nos erat, *Col.* 2. *v.* 14. Liberaret ab ira Dei, 1. *Theſſ.* 1. *v.* 10. à maledictione legis, *Gal.* 3. *v.* 21. *cap.* 4. *v.* 4. Ab ira Dei. 1. *Theſſ.* 1. *v.* 10. Ab æterna damnatione, 1. *Theſſ.* 5. *v.* 10. 11. Et ut reconciliaret nos Patri offenſo, *Rom.* 5. *v.* 10. 11. 2. *Cor.* 5. *v.* 18. 19. *Eph.* 2. *v.* 16. *c.* 5. *v.* 2. *Col.* 1. *v.* 20. 22. Atque ut nos coram Deo juſtos, & dilectos redderet, 1. *Cor.* 1. *v.* 30. 2. *Cor.* 5. *v.* 21. Quare qui meritum Chriſti apprehendit perſeveranti fide, certus eſſe poteſt de ſui juſtificatione.

19. 2. *A diſerta veri objecti in ſcripturæ expreßione.* Quod ſactæ literæ, ubi ex profeſſo, & velut in propria ſede de juſtificatione agunt, conſtituunt proprium, & unicum juſtificantis fidei objectum, in quo uno iſta occupatur, illud, & non aliud pro ejus objecto proprio, & adæquato eſt habendum. Atqui Chriſtum cum ſuo merito, paſſione, & morte, ſive miſericordiam Dei in Chriſto, ſacræ literæ, ubi ex profeſſo & velut in propria ſede de juſtificatione agunt, conſtituunt proprium & unicum juſtificantis fidei objectum. Ergo. Aſſumptio probatur ex omnibus, & ſingulis ſcripturæ locis, ibi ex profeſſo de juſtificatione diſſeritur, atque in primis, ex *Eſai.* 53. v. 11. In ſcientia ſui juſtificavit

ipſe

ipse servus meus multos. *Rom.3.v.24.25.* Justificamur gratis', per ipsius Dei gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus ἱλαστήριον per fidem in sanguine ipsius, *Rom.4.versic.24.25.* Non propter Abrahamum solum hoc scriptum, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis, *Rom.10.v.4.9.* Christus est finis legis ad justitiam omni credenti. Si credideris in corde tuo, quod Deus Jesum suscitaverit à mortuis, salvus eris. *Act.10.v.43.* Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accepturi sint per nomen ejus, qui credunt in eum. Itaq; solus Christus est à Deo nobis factus justitia, *1.Cor.1.v.30.* Inde vocatur Jehova justitia nostra, *Jer.23.v.6.* Nullum aliud nomen sub cœlo est quo salvari possumus, quam nomen Jesu, *Act.4.v.12.c.10.v.43.* Ipse Christus qui in me credit, inquit habet vitam æternam, *Joh.6.v.47.* Sic Paulus *Rom.3.4.* Johannes *1.Epist.1.* Et Petrus. *1.Epist.1.* in morte Christi, & ejus sanguine justificationem nostram sitam esse docent. Et totius scripturæ scopus, & meta est Christus in officio mediatoris, *Luc.24.v.27.47. Rom.10.v.4. Joh.5.v.39.46. Psal.40.v.8. Heb.10.v.7.* Atq; annón ipsa docet experientia in seriis fidei exercitiis, nullam esse firmam, & solidam consolationem contra tentationes Satanæ, nisi eam, quæ ex Dei misericordia in Christo petitur?

20. 3. *Ab aliorum objectorum remotione*: Ex quo non est justificatio, sed quod peccata nostra arguit, accusat, & damnat, illud non est proprium fidei justificantis objectum, quia fides quærit peccatorum remissionem, & cum Deo reconciliationem, quam invenire nequit in doctrina arguente, accusante, & damnante peccata. Atqui ex lege, ejusque operibus non est justificatio, *Roman.3.vers.20. Gal.3.v.10.* Lex non est ex fide, Gal.3. vers. 12. Justitia Dei sine lege manifestata est, *Roman.3.vers.22.* Ex lege est peccati cognitio, *Roman.3.vers.20.* Lex iram operatur, *Rom.4.versic.15.* Concludit omnes sub peccato, *Gal.3.vers.22.* maledicit ob peccata, *Deut.27.vers.26. Galat.3.vers.10.* Ergo. Deinde quod præcipit obedientiam, præscribit opera, illud non gratis ex gratia credentibus offert salutem, nec in eo fides quærere, & invenire potest remissionem peccatorum. Atqui lex præcipit obedientiam, & præscribit opera, promissiones illi annexæ non gratis ex gratia credentibus salutem offerunt, sed exigunt, ut faciamus opera legi

satisfacientia, quod nobis in hac naturæ imbecillitate prorsus est impossibile. Ergo. Denique quod non docet, quomodo à peccato, ira Dei, & morte æterna liberemur, circa illud propriè non est occupata justificans fides. Atqui illud non docet relatio historica de cane Tobiæ movente caudam, &c. E.

21. 4 *Ab absurdo*: Si proprium fidei justificantis objectum non est obedientia, satisfactio, & meritum Christi, sed potius omne Dei verbum, uti opinantur Pontificii, sequitur, fidem quatenus fertur in Christum, non aliter nec magis justificare, quàm quatenus fertur in doctrinam de Diabolis, de hujus vel illius adulterio, incæstu, &c. Hæc enim in scriptura sunt revelata, & firmo assensu credenda. Atqui absurdum est consequens. Ergo. & antecedens.

22. 5. *A typo ænei serpentis*: Nam illi confertur Christus, *Joh.* 3. v. 15. Quemadmodum igitur Israëlitarum intuitus, qui ab inflictis vulneribus venenatis sanari volebant, directè ferebatur in æneum serpentem, & non in aliud quicquam: Ita fides justificans, qua animæ languores curantur, est perspicacissimus intuitus, solum Christum in cruce exaltatum, per serpentem Mosis præfiguratum, respiciens. Lombardus dicit lib. 3. Sent. dist. 19. lit. A. *Deus proposuit Christum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, id est, per fidem passionis, ut olim aspicientes serpentem æneum in ligno erectum à morsibus serpentum sanabantur. Si ergò rectè fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis Diaboli solvimur.*

23. 6. *Ab objecti descriptione*: Describitur enim illud pronominibus, *nostris, nobis, me*, &c. Quod fides justificans, qua justificat, justificando & credenti applicat, illud est ejus proprium, & genuinum objectum. Atqui fides justificans, qua justificat, justificando, & credenti applicat passionem, & meritum Christi. Ergo. Huc pertinent dicta, *Gal.* 1. *v.* 3. Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris *cap.* 2. *vers.* 20. Qui dilexit me, & dedit semetipsum pro me. *cap.* 3. v. 13. Christus factus est pro nobis maledictum.

24. 7. *Ab exemplo Abrahæ*: Quod fuit objectum fidei, qua justificatus est Abrahamus, illud est objectum fidei justificantis proprium: Dubium enim est nullum fidem Abrahæ fuisse verè justificantem. Atqui obiectum ejus fuit obedientia, satisfactio, & meritum Christi. Ergo. Nam Abrahæ fides respiciebat sanguinem Christi. *Rom.* 3. v. 25.

3.v.25. Mortem, & resurrectionem, *Rom.4.v.25.* Promittitur Abrahamo semen, quod sese per totum orbem diffundat, instar arenæ maris *Gen.22.v.18.* Hoc verò impletum est, quando gentes convertebantur: in semine enim carnali, propter angustias terræ Canaan impleri non poterat. Et Abrahamo promittitur semen, quod tribuat benedictionem, & salutem æternam. Hoc verò per solum contigit Christum, *Esai.53.v.11. Os.1.v.7.* Abrahamus verò credidit in Jehovam, fiduciam collocavit, *Gen,3.v.15. Gal.3.v.16.* Credidit igitur Abrahamus non tantum promissioni de seminis multiplicatione, sed etiam ei, quæ legitur *Gen.12.v.3.c.15.v.1* Benedicentur in te omnes familiæ terræ. Ego clypeus tuus, & merces tua magna. Itaque vidit Abrahamus diem Christi, *Joh.8.v.56.* Et credentes, salvificaque fide promissionem de Christo amplectentes sunt semen, & filii Abrahæ. *Rom. 9. v.7. Gal.3.v.29.* Augustinus scribit lib. 16. de Civit. Dei cap. 16. *Advertendum est, duas res promissas Abrahæ, unam videlicet, quod terram Canaan possessurum fuerat semen ejus: aliam verò longè præstantiorem, non de carnali, sed spirituali semine, per quod pater est non unius gentis Israeliticæ, sed omnium gentium, quæ vestigia ejus fidei sequuntur.* Et Ambrosius dicit lib.1. de Arb. c.3. *Quid credidit? Christum sibi per susceptionem corporis hæredem futurum. Vt scias, quia hoc credidit, Dominus ait, Abraham diem meum vidit, & gavisus est, nempe cum in me credidit.*

25. 8. *Apiorum patrum testimonio*: Bernhardus serm. 1. de annunc. Mar. *Si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: Sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus S. dicens, dimissa sunt tibi peccata tua.* Et serm. 61. in Cant. *Vbi tuta, firmaq; securitas, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior, habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur. Non cado. Fundatus enim sum supra petram firmam. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur.* Augustinus lib.3. de Trinit. c. 20, *Fides ad beatitudinem consequendam necessaria in Christo definita est, qui in carne resurrexit à mortuis. Non enim nisi per illum liberabitur quispiam à Diaboli dominatu per remissionem peccatorum.*

26. Contra Bellarminus varia congerit Scripturæ testimonia,

quibus ostendere conatur, quod objectum fidei justificantis proprium non sit specialis Dei misericordia in Christo: Nam fertur fides etiam in omnipotentiam Dei, & divinitatem Christi.

27. Resp. 1. Non negamus fidem apprehendere etiam promissionem de beneficiis corporalibus. Quæstio verò est, quid fides apprehendat, ut justificet. 2. Fides definitur per assensum, & fiduciam: interdum illius, interdum hujus objectum exprimitur. 3. Alii distinguunt inter proprium fidei officium, & ejus adjunctum exercitium: Officium ejus est proprium justificare; Adjunctum ejus exercitium est etiam extra actum justificationis, utpote quando promissiones corporales apprehendit, in cruce patientiam operatur, &c. Quæstio verò est non de adjuncto exercitio, sed de officio proprio.

28. Regerunt illi: *In symbolo Apostolico, quod est veræ fidei compendium, non fit mentio specialis misericordiæ. Ergo hoc non est proprium fidei objectum.*

29. Respond. 1. In symbolo Apostolico enumerantur potissimum articuli fidei, qui sunt objectum assensus. 2. Refutant objectionem illam secundus, & tertius articulus: Nam in secundo profitemur nos credere in Christum, passum, mortuum, &c. atque hoc ipso meritum ejus apprehendimus. In tertio articulo profitemur, nos credere remissionem peccatorum. Ergo vera fide specialem Dei misericordiam in Christo intuemur: Sine hac enim non est peccatorum remissio.

30. Quæstio tertia: *An fides rectè distinguatur in informem, & formatam, & num charitate formetur?*

31. Respond. Apostolus dicit, *Eph. 4. v. 5. Una est fides.* Est verò una 1. *ratione objecti*, quia doctrina fidei est una. 2. *ratione generis*: Non minus enim infirma fides apprehendit Christum, & cum assensu & fiduciâ est conjuncta, quam firma, 2. *Petr. 1. vers. 1.* Illis, qui ἰσότιμον *coæqualem*, nobiscum sortiti sunt fidem: videatur etiam Augustinus libr. 13. de Trinit. c. 2. Distinguitur verò fides ratione subjecti, & graduum. 1. dividitur fides in historicam, miraculosam, & salvificam. 2. In veram & hypocriticam, 1. *Timoth. 1. vers. 5.* 3. In vivam, & mortuam, *Jacob. 2. vers. 17.* 4. In parvam & magnam, *Matth. 8. vers. 26. cap. 16. v. 8.* In temporariam, & perseverantem, *Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8.* In per-

perfectam, & imperfectam, in concretam, & abstractam, videatur Tom. 4. Jen. Lat. B. Lutheri p. 86.

32. Scholastici & Pontificii statuunt fidem aliam informem, aliam verò formatam, nimirum per charitatem, Lombardus 3. Sent. Distin. 23. liter. C. *Fides*, inquit, *qua creditur, si cum charitate sit, virtus est, quia charitas mater est omnium virtutum, quæ omnes informat.* Thomas 2. 2. quæst. 4. Artic. 3. *Charitas*, inquit, *est forma fidei, quatenus per illam actus fidei formatur, & perficitur.* Pererius in Gen. c. 15. v. 6. *Diversitas est inter actum fidei informis, & actum fidei per charitatem formatæ.* Bellarminus lib. 2. de just. c. 4. *Charitas est forma fidei, & fides non justificat formaliter nisi ab ipsa charitate formata.* Item: *Fides agitur, movetur, formatur, & quasi animatur, per dilectionem. Dilectio est forma fidei.*

33. Docent verò Protestantes distinctionem illam Pontificiam merum esse figmentum humanum. B. Lutherus, quem suggillat Bellarminus lib. 2. de just. c. 4. nominat eam satanicam, & pestilentem. Sententiam igitur Protestantium defensuri sequentes notamus propositiones. Prima: *Fidei justificantis forma non est qualitas, charitas, aut opus quoddam, sed consistit in apprehensione, & receptione gratiæ per Christum acquisitæ, & in Evangelio revelatæ, atq; annunciatæ.* Probamus illud 1. *A fiducia*: Fidem enim esse fiduciam ostendimus in Disput. præcedenti. Nam Christo confidere est ejus meritum vera fide apprehendere: Per quod vero res est, quod est, & ab aliis rebus distinguitur, illud est ejus forma. Atqui fides justificans per apprehensionem meriti Christi est justificans, & á rebus aliis omnibus distinguitur. Ergo. 2. *A manifestis scripturæ testimoniis*, Joh. 1. *vers.* 12. *Quotquot ἔλαβον αὐτὸν ecceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Docet Johannes his verbis, *fidei formam* quæ consistit in meriti Christi receptione, & apprehensione; *Et fidei efficaciam*: Qui enim credunt in nomen ejus, his dat Christus potestatem filios Dei fieri. Similia vide, *Roman. 5. vers.* 11. 17. *Gal. 3. versic.* 14. *Col. 2. vers. 6. Hebr. 4. vers.* 16. 3. *A Fidei justificantis objecto*: Hoc enim est obedientia, satisfactio, & meritum Christi, seu singularis gratia, qua Deus ob satisfactionem Filii sui se justificaturum promisit. Fit autem illud nostrum apprehensione. 4. *Ab absurdo*: Si n. nudus assensus est essentia tota fidei, sequitur & hypocritas justificari, quia per fidem justificamur, *Joh. 3. v. 36. Rom. 1. v. 17. c. 3. v. 22.* Et hypocritæ in Ecclesia vera,

imò & dæmones assensum præbent veræ religioni. At absurdum est consequens. Ergo. Pulchrè scribit Brentius in Apologia Confess. Wirtenb. p. 319. *Fides, ut ita explicandi gratia dicam, duplices habet manus: Vnã quã extendit sursum, & apprehendit Christum, unà cum omnibus beneficiis suis, & hac parte dicimus, nos justificari per fidem: Alteram, quam protendit deorsum ad exercendæ opera charitatis, ac reliquarum virtutum: Et hac parte testificamur quidem veritatem fidei, non autem justificamur.*

34. Propositio secunda: *Vera fides non est informis, non formatur à charitate nec ab ea accipit vim justificandi.* Demonstramus id 1. *à forma veræ fidei.* Informe est, quod debitam non habet formam. Atqui vera fides debitam non habet formam, per quam est, id quod est, & à rebus aliis distinguitur, quæ est fiducialis meriti Christi apprehensio. Ergo non est informis. 2. *A fidei & charitatis in actu justificationis oppositione:* Nullum oppositum est forma alterius oppositi, nec vim formaliter operandi illi potest attribuere. Opposita enim inter se pugnant, & dissentiunt; Forma, & formatum intimè consentiunt. Atqui lex, & Evangelium, opera (& per consequens charitas) & fides, in articulo justificationis sunt opposita, *Gal.* 2. v. 16. Ergo. Vel: quicquid est ex lege, illud non justificat, nec vim justificandi fidei confert, quia justificatio est ex Evangelio, Gal 3. v. 10. & seqq. Atqui charitas est ex lege: Summa enim legis est dilectio, *Matt.* 22. *v.* 40. *Rom.* 13. *v.* 8. 9.

25. 3. *A fidei effecto:* Quod habet se ad fidem tanquam effectus illud non est ejus forma. Atqui opera, & sic etiam charitas habent se ad fidem tanquam effectus *Gal.* 5. *v.* 6. idque negare nequeunt Pontificii, quia fatentur fidem esse radicem, ut justificationis, ita etiam reliquarum virtutum, videatur Lombardus lib. 2. sent. Dist. 26. lit. F. Et 3. senten. Dist. 23. lit. D.

36. 4. *A diversis subjectis:* Nulla virtus intellectus informari potest à virtute voluntatis, ut disputat ipse Bellarminus lib. 1. de justif. c. 7. & 16. *Fieri,* inquit, *non potest, ut una virtus sit in duabus potentiis genere distinctis,* pari igitur ratione dicimus, fieri non posse, ut una virtus, quæ est in una animæ potentia informet alteram, genere ab ea distinctam. Atqui fides est virtus intellectus (tantum ex hypothesi Pontificiorum) Charitas est virtus voluntatis. Ergo non potest informari à charitate.

37. 5. Ex loco *Heb.* 2. *v.* 24. *Rom.* 1. *v.* 17. *Gal.* 3. *v.* 11. *Heb.* 10. *v.* 38.

Justus

Justus ex fide vivit. Per quod igitur vita spiritualis in vera justitia consistens nobis confertur, illud vitam suam, & vim justificandi per se habet, & non aliunde eam accipit. Atqui per veram, & justificantem fidem vita spiritualis nobis confertur. Ergo. Thomas scribit 2.2.q.12. Art.1. *Fides est vita animæ.* B. Lutherus in cap.3.ad Gal. *Spiritus S. qui dat omnibus os, & linguam novit etiam loqui. Benè potuisset dicere, justus ex fide formata vivit: Sed consulto omisit hoc, & simpliciter dicit, justus ex fide vivit.*

38. Objiciunt verò Pontificii dictum Apostoli, *Gal.5.v.6. In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium* ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, *sed fides, quæ per charitatem operatur.* Bellarminus dicit lib.2.de justif.c.4.p.1044. *Apostolus Paulus non solùm docet fidem charitate formari, sed etiam explicat, dilectionem formam esse extrinsecam fidei, non intrinsecam, & quæ det illi, non ut sit, sed ut moveatur, ac per hoc fides sine dilectione non desinat esse fides; sed desinat esse res actuosa, & operans. Sic enim ait Apostolus ad Gal.c.5. Fides per dilectionem operatur. Vbi illud (operatur) passivè accipiendum est, non activè.*

39. Resp. 1. Impingit Bellarminus in principia Grammaticæ, quæ docet (*operari*) non passivè accipi: ἐνεργουμένη est formationis mediæ, in qua semper in N. Testamento activè usurpatur. Et si passiva significatio hic intelligenda esset, dicendum fuisset Apostolo, non δι' ἀγάπης per charitatem, sed παρ' ἀγάπης à charitate. 2. Impingit in principia Logicæ: Omnis enim forma informans est intrinseca, & nulla extrinseca. 3. Contradicit piis Patribus, qui activè, & non passivè intelligunt, ut Theophylactus, & Anshelmus in cap.5. ad Gal. contradicit Lombardo lib.3. Senten. Dist.23. lit. D. Sibi ipsi, quia activè reddit lib 2. de justif.c.5. 4. Contradicit Apostolo, qui vitam describens Christianam, in qua vult lucere fidem, & charitatem, opponit illud dictum v.6. ignavis & inertibus, atque operosis justitiariis, docetque in Christo non valere opera, & circumcisionem, sed tantùm fidem, quæ tamen non sit otiosa, sed per opera, & charitatem tanquã per effectum, & testem, sit operosa, qua de re vide B. Lutherum Tom. 4. lat. Jen. in Epist. ad Gal.

40. Quæstio quarta: *Annón miser peccator certitudine fidei possit esse certus, sibi remissa esse peccata, ac se esse apud Deum in gratia?*

41. Resp. Bellarminus de hac re sic format quæstionem libr.3. de justif.c.2. *Vtrum debeat, aut possit aliquis sine speciali revelatione esse certus*

certitu-

certitudine fidei divinæ, cui nullo modo potest subesse falsum, sibi remissa esse peccata? Coster. scribit in Enc.c.de fide p. 209. *Fidei certitudinem citra omnem dubitationem noluit Christus in nobis esse.* Gregorius de Valentia lib. de Grat.c.6. *Docemus,* inquit, *neminem ex fide penitus esse certum, se ex illis esse, quibus peccata remittuntur.*

42. Accuratè verò distinguunt Protestantes inter electionem, & peccatorum remissionem: De certitudine electionis egimus in Disput. 53. quæst. 2. certitudinem peccatorum remissionis hoc loco tantum attingimus. *Non est igitur quæstio de falsæ fidei persuasione, & de fiducia jactantia: Nec de fidei infirmitate, quæ ex imbecillitate ortu fide est superanda: Neque de timore, in quo perpetuò vivere debemus: Neq; de fundamento certitudinis, quasi illud sit in nobis, & sint nostra opera; Sed de justitia fidei, quæ consistit in peccatorum remissione, & justitiæ Christi imputatione.* Hæc enim certam, & firmam gratiæ divinæ fiduciam in cordibus credentium parere & potest, & debet. Certi igitur possunt esse credentes de peccatorum suorum remissione, & in gratiam receptione, certitudine fidei, non historicæ, sed salvificæ, beneficia Christi apprehendentis, idque docet. 1. *divinarum promissionum de remissione peccatorum credentibus per, & propter Christum factarum firmitas, Psalm.33.v.4. Matth.24.v.35. Rom.4.v.16.1. Pet.1.v.25.* 2. *Iuramenti divini stabilitas, Ezech.33.v.11. Ioh.5.v.24. Ioh.8. v.51. Heb.6.v.17.* 3. *Sacramentorum utilitas, Roman.4.v.11. Mar.16.v.16. 1. Pet 3.v.21. 1. Iohan.5.v.8. Gal.3.v.27.* 4. *Spiritus S. promissionem obsignantis veritas, Eph.1.v.13.14. 2. Cor.1.v.22. Eph.4.v.30. Roman.8.v.16.* 5. *Exauditionis promissæ infallibilitas, Matt.18.v.19 c.21.v.22. Ioh.16.v.23. 1.Iohan.5.v.14.* 6. *Fidei veræ proprietas, Heb.11.v.1.* 7. *Dubitationis deformitas:* Hæc enim facit Deum mendacem, & perjurum.

43. Quare sequentibus Scripturæ testimoniis hanc concludimus Quæstionem, *Johan.3.v.33. Qui recipit ejus testimonium, is obsignavit, quòd Deus sit verax. 1.Iohan.5.v.10. Qui credidit in Filium Dei, habet testimonium in seipso. Qui non credit Deo, mendacem fecit eum, Rom.8.v.38. Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, &c. poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo.*

FINIS DISPUTATIONIS LVII.

DISPUTATIO LIX.

DE FORMALI IVSTIFICATIONIS nostræ causa.

Resp. Eberhardo à Rentelen Revalia-Livono.

THESIS I.

EXAMINATIS *controversiis de naturâ, & proprietate fidei, quæ est instrumentalis justificationis causa, sequitur, ut causam justificationis consideremus formalem.*

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Formam igitur justificationis exprimi imputatione cum negativâ, tum affirmativâ ostendimus Disp 55. th. 16. Illa est peccatorum nobis inhærentium non imputatio, seu remissio, *Psal.* 32. *v.* 1. *Rom.* 4. *v.* 7. 8. *cap.* 3. *v.* 25. *Luc.* 1. *v.* 77. 2. *Cor.* 5. *v.* 19. Hæc est justitiæ Christi nobis non inhærentis imputatio, & applicatio, *Jer.* 23. *v.* 6. *Rom.* 4. *v.* 5. 1. *Cor.* 2. *v.* 30. 2. *Cor.* 5. *v.* 21.

3. Constituunt inde nonnulli duas justificationis partes, στερητικὴν privativam, quæ in peccatorum remissione, & θετικὴν, quæ in justitiæ Christi imputatione consistit. Non est verò ipsorum mens, quod nomine *justitiæ positivæ* sit intelligenda qualitatis infusio, quam opinionem ipsi refutant; Sed vocabulum positionis opponunt imaginariæ, & umbratili justitiæ. Deinde non statuunt partes eas à se invicem separari posse: Nam 1. coram Dei justissimi judicio non habet locum justificatio sine justitia. Ergo ut possit fieri peccatorum remissio, requiritur pro peccatis satisfactio. Quare non fit peccatorum remissio sine justitiæ imputatione, nec justitiæ fit imputatio sine peccatorum remissione. 2. In multis igitur scripturæ dictis de justificatione loquentibus fit mentio solius peccatorum remissionis, ubi non excluditur, sed connotatur imputatio justitiæ Christi: Nam propter solius Christi meritum peccata credentibus remittuntur. 3. Quorum unum per alterum reciproca affirmatione probatur, & de altero directè affirmatur, illa realiter non differunt, sed separari non statim debent. Jam

verò hoc modo agit de peccatorum remissione, & justitiæ Christi imputatione Apostolus, ut unum per alterum reciprocè probet, & de altero directè affirmet: Nam *Roman. 4. vers. 5.* ostensurus justificationem fieri per imputationem justitiæ sine operibus, allegat testimonium *vers. 6.* ex *Psalm. 32. v. 1.* in quo tantum remissionis peccatorum fit mentio.

4. Quando verò imputari dicitur Christi justitia, intelligendum illud est dupliciter, nimirum, 1. *ratione causæ*, quia docetur, justitiam Christi in credentem transcribi, sicut nostra injustitia in Christum est transcripta. 2. *ratione effectus.* Docetur enim aliquem haberi pro justo, qui talis inhærenter non est, sicut Christo verè imputabatur nostra injustitia, ut inde injustis annumeraretur, videatur *Flacius pag. 422.* Ex hisce facile conciliari possunt testimonia, *Proverb. 17. v. 15. Qui justificat impium, abominatio est coram Deo, Et Roman. 17. v. 15. Credenti in eum qui justificat impium*: Nam illud testimonium loquitur de impio, qui nec ipse satisfecit, nec pro quo satisfecit alius; Hoc de impio, qui non ipse quidem satisfecit, sed pro quo satisfecit alius.

5. Imputatio verò alia est secundum debitum, & alia secundum gratiam, *Roman. 4. vers. 3. 4. 5.* Illa respicit opera, & legem; hæc Evangelium, & fidem: Illam nominat Flacius realem; hanc rationalem. De illa dicit Apostolus, *Roman. 4. vers. 4. Ei, qui non operatur merces non imputatur, secundum gratiam, sed secundum debitum.* De hac ibidem vers. 5. *Ei verò, qui non imputatur, credenti autem in eum, qui justificat impium reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratia Dei.* Differt igitur hæc ab illa. 1. *Fundamento*: Nam fundamentum imputationis secundum debitum est in eo, cui aliquid imputatur. Relativè igitur sese respiciunt merces, & opera: Fundamentum imputationis secundum propositum gratiæ Dei non est in operante, (quippe in quo, cum in peccatis sit conceptus & natus, naturâ filius iræ, potius est contrarium) sed in imputante. Relatio igitur est inter justitiam, & fidem: Inde dicitur imputatio fidei. 2. Differunt ut Lex, & Evangelium, ut dictum.

6. Itaque coram Deo justi sumus non per justitiam infusam, & nobis inhærentem, sed per justitiam Christi fide imputatam, inde dicitur imputatio fidei, quia justi coram Deo habemur, & reputamur, eo quod obedientiam, & satisfactionem à Christo pro nobis factam appre-

apprehendimus vera fide. Illustrari illud solet exemplo à veste desumpto: Hæc enim ornat virum, si tamen induatur, & membris applicetur: hæc Christi justitia est ornatus ille sanctitatis, *Psalm. 110. vers. 3.* Vestis salutis, *Esai. 61. vers. 10.* Ornatus filiæ Regis, *Psalm. 45. vers. 10.* Et illa nos Deo gratos reddit; Requiritur vero ejus applicatio, & apprehensio, quæ fit fide. Fides igitur in se non est tanti pretii, ut illius merito coram Deo simus justi: Fit autem per eam applicatio meriti Christi, per quod solum Deo placemus.

Sententia Pontificiorum.

7. Hactenus nullum omninò locum invenire potuerunt Lutherani, ubi legeretur, Christi justitiam nobis imputari ad justitiam, *Bellarminus lib. 2. de just. c. 7.* Justitia igitur illa imputata *est putativa, Bellarminus lib. 2. de justif. cap. 4.*

8. Fides verò imputatur ad justitiam, hoc est, fides charitate formata est ipsa justitia nobis inhærens, qua coram Deo justi sumus, *Costerus p. 254. Ench.*

9. Nulla ratione sanctificationem à justificatione separare aç discernere debemus: Quinimò in ipsa sanctificatione, justificatio collocanda est, *Andradius lib. 6. p. 468.*

Status Controversiæ.

10. Ad duo igitur principaliter referri possunt, quæ sunt controversa inter Protestantes, & Pontificios de formali justificationis nostræ causa. *Prius est de justitia imputata. Posterius est de habituali, vel actuali justitia nobis inhærente.*

11. Quæstio prima: *Num Lutherani inter se dissentiant, dum quidam ipsorum formalem justificationis causam docent fidem, alii gratiam Dei, alii obedientiam Christi nobis imputatam.*

12. R. Calumniantur Pontificii nostram de justificatione doctrinã, quam unam, Apostolicam, & Catholicam omni tempore profitemur, aliquoties hactenus immutatã esse. Salmeron dicit Tom. 15. Com. p. 25. *Lutherani propè ad 22. opiniones de justificatione inter se pervenerunt.* Hadrianus Jungius lib. 3. de doctrina, moribus, & dissidiis Evangelicorũ, falsũ scribit, omnes Evangelicos uno fateri ore, justificatos se esse corã Deo justitia Christi, quę nobis imputatur. Bellar. ne videatur nimis mẽtien-

& calumniando liberalis, quinatio contentus est numero. Nam lib. 2. de Justif. cap. 1. scribit: *Lutherus aliquando fidem, aliquando Christum ipsum fide apprehensum causam formalem justificationis statuit. Philippus fidem nobis pro justitia imputari scribit, addit tamen non propter ipsam fidei virtutem sed propter Christi meritum nos justos coram Deo reputari, dici autem nos fide justificari, quia fides apprehendit Dei misericordiam. Osiander narrat viginti discrepantes sententias de justificatione, ipse autem docet formalem causam justificationis esse illam ipsam justitiam, qua Deus essentialiter justus est. Illyricus scribit, justitiam, quam Deus imputat, non esse qualitates, aut virtutes nostras, neq; ipsam Dei essentiam, sed totum opus, quod Christus Deus, & homo in una persona Mediator noster pro toto genere humano præstitit. Calvinus statuit imputari quidem nobis Christi justitiam, & propter eam condonari peccata, sed tamen in ipsa peccati remissione propriè sitam esse justitiam. Biicerus duplicem excogitavit justitiam, unam imperfectam, quæ sita sit in virtutibus nobis inhærentibus: alteram perfectam, quæ sit Christi justitia nobis imputata.* Ex hac narratione infert errores de justificatione quinque numerari posse: *Vnus*, est, formalem justificationis causam esse fidem. *Alter*, formalem causam justificationis esse Christi obedientiam, & justitiam nobis imputatam. *Tertius*, formalem causam justificationis esse justitiam Dei essentialem nos inhabitantem. *Quartus*, formalem justificationem sitam esse propriè in sola remissione peccati. *Quintus*, formalem causam justificationis duplicem esse, justitiam nostram inhærentem, & Christi justitiam imputatam.

13. Verùm quod Pontificii studiosè calumnientur, facile judicabit ipse, qui summa rerum principia novit. Nam qua conscientia nobis possunt adscribere tertiam, & quintam opiniones, quarum nos nõ esse defensores, sed osores, sed oppugnatores optimè norũt? Tertia fuit olim Osiandri à nostris jam pridem damnati. Nam 1. Illa justitia est causa nostra justificationis, quam loco nostri Christus pro nobis præstitit. Hæc verò non est justitia Dei essentialis, 2. Justitia Dei essentialis est ignis consumens. Ergo ea non sumus formaliter justi. 3. Qua justitia formaliter sumus justi, illa revelatur in Evangelio. Atqui essentialis Dei justitia, cujus speculum lex est, propriè non revelatur in Evangelio, quod est lætum nuncium de misericordi Dei voluntate, & beneficiis Christi. Ergo. 4. Et si sumus justi essentiali Dei justitia,

cui

cur non pariter essentiali Dei omnipotentia? Cur etiam, si ea sumus justi, incarnatus est Christus?

14. Quinta opinio, quam adscribit Bellarminus Bucero, est Pighii Pontificii, idque negare non potest Bellarminus scribens p. 1028. *In eandem sententiam* (intellige, quam adscribit Bucero) *sive potius errorem incidit Albertus Pighius in secunda controversia, & authores antidagmatis Colonienses.* Viderit autem Bellarminus quomodo conciliare velit verba Conc. Trident. Sess. 6. cap. 7. *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Statuunt igitur istius Concilii Patres, justificationem consistere in duobus, in peccatorum remissione, & sanctificatione.

15. Quod attinet tres reliquas sententias, illæ non sunt contrariæ, sed subordinatæ: Distinguimus inter justificationis formam, quæ tantum est unica, & terminos, quibus ea exprimitur, qui sunt diversi. Concurrunt enim in justificatione meriti Christi per fidem apprehensio, negativa imputatio, seu peccatorum remissio, & affirmativa imputatio, seu justitiæ Christi applicatio, & imputatio. Actus illi quoad terminos sunt quidem distincti, sed omnes ad justificationem pertinent: In exprimenda igitur causa formali vel conjunctim sunt sumendi, vel uno nominato reliqui sunt intelligendi. Rectè igitur dixeris, *solam gratiam Dei justificare*, nimirum per Christi meritum nobis acquisitam, & vera fide apprehensam; Solum meritum Christi justificare, nimirum fide justificante apprehensum: *Solam fidem justificare*, nimirum gratiam Dei in merito Christo fundatam apprehendentem. Particula enim exclusiva non excludit causas subordinatas, sed oppositas; Et fides justificat, non ut est qualitas inhærens, sed ut correlatum suum apprehendit.

16. Quæstio secunda: *Num Christi justitia per fidem nobis imputata sit imaginaria, putativa, & B. Lutheri figmentum?*

17. Resp. Altera Pontificiorum calumnia est, quòd nobis affingunt, quasi putativam doceamus justitiam. Andradius justitiam imputatam vocat *amentissimam insaniam.* Thomas Stapletonus in Antidotis Apostolicis *pag.* 97. nominat spectrum cerebri Lutherani, *& advertat*, ait, *Lector omnes Pauli Epistolas, omnemq; scripturam Apostolicam aut Evangelicam, sive aliam quamcunq; voluminum divinorum, nusquam, &*

nunquam hanc imputatam justitiam leget. Salm. Tom. 15. p. 20. *Revera nullibi Scriptura, aut Ecclesia, aut Patres, aut ullum œcumenicum concilium tradit, quod ipsa Christi passio, mors, & obedientia ita nobis imputentur ad justitiam per fidem, ut sit ipsa res, qua nos coram Deo justificamur.* Costerus scribit in Enchir. cap. 6. pagin. 254. *Nusquam in scripturis legimus: justos per Christi justitiam ipsis imputatam esse justos.* Videatur etiam Bellarminus lib. 2. de justif. c. 4. & 7.

18. Calumniam verò hanc refutamus 1. *clarâ literâ, & apertis scriptura testimoniis,* in quibus expresè legitur vocabulum *imputationis ut, Rom. 4. v. 3. 5. 6. credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam. Ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium imputatur fides sua ad justitiam. Quemadmodum & David explicat beatificationis hominis, cui Deus imputat justitiam absq; operibus, Roman. 4. v. 23. 24. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quod hoc imputatum fuerit ei: Sed etiam propter nos, quibus futurum est ut imputetur, credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis. 2. Cor. 5. v. 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ei peccata sua.*

19. 2. *Legitimâ consequentiâ*: Christi enim justitia est nostra justitia, *Jerem. 23. vers. 6. 1. Corinth. 5. vers. 30. 2. Corinth. 5. v. 21. Actor. 15. v. 10. c. 19. v. 38. Rom. 5. v. 19. c. 10. v. 3.* Nostra autem esse nequit nisi per imputationem. Nobis igitur in Christum credentibus peccata sunt remissa, & obedientia Christi imputatur, *Rom. 3. v. 25. Luc. 18. vers. 13. 14. Act. 13. v. 38. 39.*

20. 3. *A Christi satisfactione:* Christus peccata nostra non putativè sed verissimè in se transtulit, & pro eis satisfecit, ita ut nos verissimè satisfeciisse credamur. E. nos non putativè, sed verissimè sumus justi, si ipsius satisfactionem nobis applicamus,

21. 4. *A Relationis veræ, & realis naturâ:* Relatio enim realis, & vera non est putativa, & imaginaria, idque vel prædicamentorum ostendit doctrina. Jam verò obedientiæ, & satisfactionis Christi imputatio est relatio realis, & vera: Nam fundamentum ejus est obedientia, & satisfactio Christi. *Terminus* est persona credens, cui peccata remittuntur, & justitia Christi imputatur. Relatio est fundamenti ad terminum applicatio, hoc est, personæ credentis propter obedientiam & satisfactionem Christi imputatam in gratiam acceptatio.

22. 5. A

22 5. *A Patrum consensu:* Augustinus in Psalm. 31. *Si tantùm credidero in Deum, deputabitur mihi ad justitiam.* idem de imperfect justit. *Jam olim contra superbos clamatum est, Beatus cui non imputavit Dominus peccatum. Non enim imputat his, qui fideliter dicunt : Dimitte nobis debita nostra.* Et in Psalm. 118. *In via fidei pro non peccatoribus habentur, quibus peccata non imputantur.* Bernhardus de sepult. ad milites templi: *Mors in CHRISTI morte fugatur, & Christi justitia nobis imputatur, Unus peccavit, & omnes tenentur rei, & unius innocentia soli reputabitur. Unius peccatum omnibus operatum est mortem, & unius justitia uni vitam restituit.* Idem Epist. 190. *Satisfactio unius omnibus imputatur.*

23. Vociferantur verò Pontificii, asserentes, *nihil posse imputari, nisi inhæreat, cui imputetur.* Bellarminus scribit libr. 2. de justit. cap. 7. *Fieri non potest, ut justitia Christi nobis imputetur, & pugnat cum recta ratione, ita nobis imputari Christi justitiam, ut per eam justi nominemur, ac simus.*

24. Resp. 1. Vocabulum *imputationis* est æquivocum: Notat *imputare*, alicui rei causam, quam habet, vel non habet, bonam, vel malam adscribere. Est igitur imputatio vel rei malæ, vel bonæ. Imputatio rei malæ est duplex : Vel enim fit *debitè*, quando reo culpa, ob quam damnatur, verè inest. Vel *indebitè*, ut quando innocenti imputatur culpa. Imputatio rei bonæ est triplex: Vel enim fit *debitè*, quando res, quæ inest, & debetur, imputatur, & hæc minus propriè dicitur imputatio. Vel *non jure, non debitè*, ut quando reus contra leges absolvitur, innocensque habetur. 3. *Gratiosè*, quando injustus non ex debito, sed ex gratia, causas tamen justas habente absolvitur, ipsique justitia, quæ in ipso non est imputatur. Sic justitia Christi imputatur per fidem peccatori, *Roman. 4. v. 5.* Justificatio igitur est justitiæ imputatio non ob inhærentes qualitates, sed ob satisfactionem Filii. Fundamentum igitur cujus respectu justitia ad beatitudinem imputatur, non est in credentibus, sed potius ejus contrarium, quod tegitur, nec imputetur. 2. Quod imputatur non statim inesse, docet exemplum Christi, cui nostra peccata sunt imputata: Est reputatus inter iniquos, *Mar. 16. v. 28.* Sunt ipsi imputata totius mundi peccata, *Esai. 53. v. 4. Johan. 1. v. 29. Luc. 22. vers. 37. 2. Corinth. 5. vers. 21. Gal. 3. vers. 13. 1. Petri 2. vers. 44.* At inhærenter, qualitativè, & habitualiter non fuit peccator. 3. Paulus hac ratione fuisset in se fugitivus: Nam Epist. ad Philem. v. 19. pro

servo

servo fugitivo intercedens scribit: *Quod si quis læsit te, hoc mihi imputato.* 4. *Psal.* 44. *v.* 23. *legimus, propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.* Num igitur nos Christiani, quâ Christiani sceleroſi sumus homines morte mulctandi? 5. Annon testatur Historia Ecclesiastica temporibus persecutionis Christianis horrenda fuisse imputata scelera, à quibus longè erant alieniſſimi. Sic Plinius scribit lib. 18. cap. 1. *Quod terra noxia parit, nostra est culpa; nos eam nostris criminibus urgemus, culpam nostram illi imputamus.* 6. Arguit idem praxis Pontificia: Nam Pontifex, & ejus satellites Laicis vendunt, applicant, & imputant (sed inhæsivè, & habitualiter non infundunt) suis indulgentiis merita, & opera Francisci, aliorumque sanctorum. Num igitur & hæc imputatio Pontificiis est putativa, commentitia, imaginaria, & amentissima insania?

25. Quæstio tertia: *An igitur justificemur, à peccatorum pœnis absolvamur, & in gratiam ad vitam æternam acceptemur propter meritum Christi fide apprehensum?* Seu: *An formalis justificationis causa sit gratuita peccatorum remissio, & justitiæ obedientia, & satisfactione Christi partaper fidem imputatio.*

26. Resp. A doctrina de imputatione justitiæ Christi per fidem adeò abhorrent Pontificii, ut eam Andradius in defens. fid. Trid. p. 477. vocet *amentissimam insaniam*, Wilhelmus Rainoldus in libr. contra Witak. p. 324. *Mathematicum solifidianum commentum.* in Concil. Trident. Sess. 6. can. 10. dicitur: *Si quis dixerit homines per Christi justitiam formaliter justos, anathema sit.* Bellarminus lib. 2. de just. cap. 2. *Si illud* PROPTER, inquit, *significat causam formalem, respondemus, nos justificari propter novitatem nobis inhærentem, non propter meritum Christi, quod inhærere non potest, ideòq; non propter meritum Filii, non nisi meritoriè, propter novitatem autem formaliter justificari.*

27. Missis istorum hominum calumniis, & blasphemiis, coram Deo imputativa Christi justitia nos justificari probamus. 1. *A forensi vocabuli justificationis significatione*: Nam justificare significat, *Rom.* 4. 5. 8. à peccatis absolvere, & justum pronunciare. Et justificatio est à peccatis absolvendis actio, & in gratiam acceptatio. Ergo non notat justitiæ infusionem, sed imputationem. De antecedente videatur Disp. 55. quæst 1.

28. 2. *A testimoniis scripturæ, quæ docent Christum esse nostram justitiam:*

stitiam: Quæ justitia nobis est acquisita, & à Deo nobis datur, ut per eam justificemur, illa est formalis justificationis nostræ causa. Atqui Christi justitiâ, ipsius obedientiâ, & satisfactione nobis est acquisita, & à Deo nobis datur, ut per, & propter eam justificemur, vide dicta, *Jer. 23. v. 6. Act. 15. v. 10. cap. 19. v. 38. Rom. 5. v. 19. c. 10. v. 3. 4. 1. Cor. 5. v. 30.* E. Deinde ex loco, *2. Cor 5. v. 21 Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut efficeremur justitia Dei in ipso*, sic inferimus: Quomodo Christus pro nobis factus est peccatum, id est insignis peccator, ita nos efficimur per ipsum justitia Dei, h.e. insigniter justi. Atqui per imputationem Christus pro nobis est factus peccatum. E. Augustinus scribit in Ench. ad Laurent. cap. 41. *Ipse peccatum, & nos justitia, nec nostra, sed Dei, nec in nobis, sed in ipso: Sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis factus est.*

29. Excipit Bellarminus lib. 2. de just. c. 10. p. 1070. *Non dicitur*, inquiens, *Christus peccatum, id est, peccator, neq; imputantur illi peccata nostra, quasi ipse illa fecerit, & iniquus haberi posit. Sed solum imputantur illi, quoad debitum faciendi, quod ille sponte suscepit Ex quo non peccator, sed justus dici meretur. Sic igitur & nobis imputatur justitia ejus, quod satisfactionem, quam pro nobis præstitit, sed non propterea justi sumus.*

30. Resp. 1. Christus quidem non fecit peccata, ut inde possit dici peccator, quia in ore ejus non fuit inventus dolus *1. Pet. 2. v. 22.* Sed Christo nostra peccata veré sunt imputata, ut inde propter nostra, & non propter sua peccata diceretur non solùm concretè peccator, sed etiam abstractè peccatum. 2. Urgemus igitur nos ἀντίθεζιν Apostolicã inter δικαιωσύνην, & ἁμαρτίαν. 3. Referimus huc similia scripturæ dicta: *Esai. 53. v. 6. Deus in eum conjecit omnia peccata nostra. Joh 1. v. 29. Agnus Dei, qui portat peccata mundi. Lucæ. 22. v. 37. Numeratus est cum iniquis.* Ex his ita argumentamur: In quem omnia nostra peccata fuerunt conjecta, ut ea portet, pœnas luat, & pro iis satisfaciat, illi peccata ista tanquam propria imputantur. Atqui in Christum omnia peccata fuerunt conjecta, &c. Ergo. Deinde. Qui sua vocat peccata, quæ ipse non commisit, illi imputantur peccata aliena. Atqui Christus vocat sua peccata, quæ ipse non commisit, *Psalm. 69. versic. 6. Deus tu nosti stultitiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Verba hæc esse Christi videre est, *Joh. 19. v. 28. 29. Rom. 10. v. 3.* Ergo.

31. Instant Pontificii: *Christus est justificationis nostræ causa efficiens, & meritoria. Ergo non formalis.*

32. Resp. Obedientia Christi est justificationis nostræ causa meritoria in se, & per se considerata; Est ejusdem causa formalis, nimirum quatenus fide apprehenditur.

33. 3. *A peccatorum remissione, & justitiæ Christi imputatione, seu à justificationis definitione, quæ definitur per peccatorum remissionem, iniquitatum non imputationem, & justitiæ Christi imputationem, Rom. 3. v. 25. cap. 4. v. 5. 6. Luc. 18. v. 13. 14. Act. 13. v. 38. 39. 2. Cor. 5. v. 19.* Qua in re verò definitivè & formaliter consistit hominis justificatio, illa est formalis justificationis nostræ causa. Atqui ea consistit in peccatorum remissione, iniquitatum non imputatione, & justitiæ Christi imputatione. E. Plura vide in Disp. 50. q. 4. & Disp. 55. q. 1.

34. Quare piè dicit Justinus Martyr in Epist. ad Diognet. *Quid aliud peccata nostra potuit tegere, quàm ejus justitia? In quo alio nos iniqui, & impii pro justis haberi possumus, quam in solo Dei Filio? O dulcem permutationem, quàm in solo Dei Filio! O imperveſtigabile artificium! O beneficia expectationem omnem superantia! Vt iniquitas quidem multorum in justo uno abscondatur, justitia autem unius faciat, ut multi injusti pro justis habeantur.* Ambrosius lib. 3. de Virg. *Omnia Jesus est nobis, si volumus: Si vulnus curari desideras medicus est: Si febribus æstuas, fons est: Si gravaris iniquitate, justitia est: Si auxilio indiges, virtus est: Si mortem times, vita est; Si cœlum desideras, via est: Si tenebras fugis, lux est: Si cibum quæris, alimentum est.*

35. Quæstio quarta: *Num inhærens nobis justitia sit formalis justificationis nostræ causa?*

36. Resp. In vulgari dicitur dicterio: *A regia via aberratio est ad diverticula deviatio.* Videre illud est ex variis erroribus, & inter se quas alunt dissensionibus Scholasticorum, & Pontificiorum, de formali justificationis causa: Lombardus lib. 3. Sentent. Dist. 27. lit. 7. Statuit formalem justificationis causam non esse qualitatem aliquam in nobis, sed *ipsum Spiritum S. Cochlæus igitur hoc argumento pugnavit: Deum nos justificare certum est. Atqui Deus est charitas, nos fides. Ergo charitatem non fidem nos justificare certum est,* contra illud Apostoli, *Roman. 3. v. 28. Colligimus fide justificari hominem.* Gropperus dixit, *opera charitatis justificare, non, quia nostra sunt, sed quia profecta sunt à Spiritu S. vel quatenus tincta sunt Christi sanguine.* Resp. 1. Justificamur non propter opera sangui-

sanguine Christi tincta, *sed propter sanguinem Christi nos à peccatis mundantem.* 2. Christus mortuus est non pro nostris bonis operibus, ut illis meritum impetraret, sed pro peccatis nostris, ut nos Patri suo reconciliaret. 3. Opera nostra sunt tincta sanguine Christi, non ut justificent, sed ut Deo placeant.

37. Johannes Roffensis scribit in Assert. Lut. Confut. *Scholastici hac in re* (nimirum de præparatione ad gratiam) *mutuò sibi pugnant. Patres enim asserunt, neminem posse quicquam boni velle sine speciali Dei auxilio, nec sufficere generalem illum influxum; Nonnulli contra Scholastici sic contendunt, hunc sufficere, ut quis absq; illo auxilio bene moraliter agere, & bonum facere posit, non solum ex genere, verùm etiam quod debitis undique circumstantiis ornatum sit.*

38. Alii varias enumerant dispositiones meritorias, & propugnant, Bellarminus lib. 1. de just. enumerat septem; plures alias esse, dicitur in Censur. Col. p. 117.

39. Latomus in suis contra Protestantium doctrinam, editis scriptis philosophatur, *homines primum per legem naturæ justificatos, & salvatos esse, posteà per legem Mosis in monte Sinai promulgatam, denique per legem Christi, nec Abrahamum aliam de Christo doctrinam habuisse, quàm Socrates, Plato, vel quisquam Ethnicus habuit.*

40. Pighius in secunda, & autores Antididagmatis Coloniensis, *duplicem justitiam agnoscunt, qua formaliter simus justi: Unam imperfectam, quæ in virtutibus nobis inhærentibus sit sita, alteram perfectam, quæ est ipsa Christi justitia nobis imputata.* Narrat hanc sententiam Bellarminus lib. 2 de justif. c. 1. eamque improbat.

41. Nonnulli causam formalem justificationis, ajunt esse fidem, & charitatem apprehendentem. Nicolaus Sanderus libr. 2. de justif. c. 1. p. 170. 171, *Causa formalis nostræ justificationis est justitia*, inquit, *hujus initium, & inchoatio prima est fides. Sed non tota formalis justitia in fide sola consistit.* Johannes Hoffmeisterus in Harmon. August. Confess. Art. 4. p. 45. scribit: *Quod Adversarii docent, hominem non posse justificari coram Deo propriis viribus, meritis, aut operibus, sed gratis propter Christum per fidem, non gravatim accipimus, nec putamus, aliquem ex modestioribus Theologis nobis hic reluctaturum.* pag. 46. *Ante exortum hunc in Ecclesia Dei tumultum, nemo fuit offensus particula illa, SOLA, quam jam tenera quorundam aures vix ferre possunt. Nemo siquidem unquam in jus vocavit D. Ambro-*

sium, quod affirmarit hominem S O L A *fide justificari. Quod Paulus Apostolus fidei (addam) &* S O L I *fidei (modò rectè intelligatur, justificationem adscribit, neminem hactenus offendit.* Et pag. 47. 48. *De fide, & operibus ait Augustinus capit. 14. de Spirit. & lit. Cum dicit Apostolus, arbitrari se, hominem justificari per fidem, sine operibus legis: non hoc agit ut præcepta, & professa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisq; per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserunt. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum.*

42. Damnatur verò sententia hæc ab hodiernis Pontificiis. Bellar. lib. 1. de just. c. 17. *Non apprehendit,* inquit, *fides justitiam Christi, sed ipsa fides in Christum est justitia.* Ibidem: *Justificatur homo ex fide, non quia fides tantùm respicit promissionem, & illam credendo apprehendit, sed quia remissionem impetrat, & suo quodam meretur.* Ob usurpationem particulæ *solius* criminis falsi B. Lutherus accusatur ab iisdem.

43. Becanus Tom. 1. Opus. cap. 2. de just, Cath. th. 3. *Patet,* inquit, *Iustificationem consistere in his duobus. Primò, in remissione, seu expulsione peccati. Secundò, in infusione, seu acquisitione justitiæ.*

44. Bellarminus lib. 2. de just. cap. 2. ait. *Ecclesiæ Catholicæ sententia de causa formali justificationis, explicatur à Tridentina Synodo Sess. capit. 7. his verbis: Vnica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus.* Et paulò infra: *Id in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum S. charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atq; ipsis inhæret. Vnde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Idem: *Status totius controversiæ revocari potest ad hanc simplicem quæstionem, sit ne formalis causa absolutæ justificationis justitia in nobis hærens, annón.*

45. Costerus in Enchir. cap. 6. p. 261. *Forma seu causa formalis, quæ in justificatione accipitur nempe justitia ipsa, & gratia: Sic enim per justitiam internam homo est justus, sicut per sapientiam sapiens, per albedinem albus, per calorem calidus, per munditiem mundus.*

46. Non per omnia etiam inter se de formali justificationis consentiunt Bellarminus, & Costerus: Ille enim statuit peccata prius fugari, & posteà infusionem gratiæ succedere. Nam lib. 2. de justif. c. 2. *Cum illustratur à sole per idem lumen, quod recipit, desinit esse tenebrosus, & in-*

& incipit esse lucidus: Sic etiam homo per eandem justitiam sibi à sole justitiæ donatam, atque infusam desinit esse injustus, delente videlicet lumine gratiæ tenebras peccatorum, & incipit esse justus succedente nimirum tenebris peccatorum ipsa justitiæ luce. Costerus verò asserit, prius infundi gratiam, qua deinde expellantur peccata. Sequitur ipse Thomam, qui 1. 2. quæst. 113. artic. 8. scribit: *Ordine naturæ prior est infusio gratiæ, quia in quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis; secundo motus ipsius mobilis, tertiò terminus motus: Dei moventis motio est gratiæ infusio, motus mobilis est duplex motus liberi arbitrii, terminus est remissio culpæ.*

47. Hæc de dissensionibus Pontificiorum inter se: Ex qua narratione videre est alterius opinionem improbari, & damnari ab altero: Et ex eadem judicium fieri de ipsorum assertione, quam proponere consueverunt, in loco de Ecclesia: Bellarminus dicit libr. 4. de Eccles. capit. 10. *Nota* (Ecclesiæ veræ) *est conspiratio in doctrina.* Costerus in Enchir. cap. 2. p. 87. *Catholici omnes ubivis terrarum sub uno capite Romano Pontifice, cui omnes parent, & Principes, & Reges, ut Christi vicario, eandem fidem constanter retinent, idem dicunt, idem sentiunt, idem credunt per omnia, & ne in minimo quidem religionis negotio discrepant. Est igitur apud ipsos verissima Ecclesia Christi.* Inverte argumentum: Nam in primario illo Articulo, qui est de justificatione non idem dicunt, non idem sentiunt. Ergo stantibus ipsorum hypothesibus non est apud eos vera Ecclesia.

48. Nos breviter ostendemus, *justitiam nobis inhærentem, sive renovationem non esse formalem justificationis causam nostræ,* & quidem 1. *à perpetua oppositione in Articulo justificationis inter legem, & Evangelium, fidem, & opera, gratiam & opera, gratiam & debitum, credentem, & operantem:* Cui gratia justificans opponitur, illo non justificamur. Atqui gratia justificans in Articulo justificationis perpetuò in Scripturâ opponitur operibus, & sic charitati, & renovationi, *Rom. 3. v. 21. cap. 4. v. 4. 5. 16. cap. 11. v. 6. Gal. 2. v. 21.* E. operibus, qualitate inhærente, & charitate non justificamur. Et quamvis extra articulum justificationis, nimirum in Articulo Renovationis gratia justificans amicè ut causa, & effectum consentiant, in ipso tamen Articulo justificationis inter se pugnant.

49. 2. *A differentia justificationis, & sanctificationis:* Quod differt à justificatione causis, effectis, subjecto, objecto, illud non est ejus causa formalis, nec eâ constituit. Atqui sanctificatio differt à justificatione 1. *cau-*

efficiente proxima: Justificatio enim nõ inhæret in nobis, nec habet causam in nobis, quia gratiâ imputativâ justificamur, *Rom.* 4.*v.*5.6.24. Sanctificationis verò causa proxima est voluntas, quæ est principium omnium humanarum actionum. 2. τῷ εἶναι *sive ipsa forma*: Justificationis enim forma & τὸ esse consistit in peccatorum non imputatione, eorum remissione, & justitiæ Christi imputatione; Sanctificatio verò est veteris Adami cohibitio, ejus in novum quædam transmutatio, & impurarum qualitatum ad puras reductio. 3. *Effectis*: justificatio nos absolvit à peccatis in judicio Dei, & propter Christum innocentiæ laudem tribuit; Sanctificatio verò ob suam imperfectionem in judicio Dei nos absolvere nequit. Bernhardus dicit lib. de Grat. & libero arb. *Est via regni, non causa regnandi.* Justificatio actus est ἀδιαίρετος individuus; Sanctificatio dividuus: Successivé enim, & per gradus perficitur ex Dei beneplacito: Coram Deo enim nemo est innocens, *Exo.* 34.*v.*7. Peccatum adhuc habitat in carne renatorum, *Rom.* 7.*n.*18. Mendaces sunt, qui se peccatum habere negant, 1. *Joh.* 1.*v.*8. Sanctissimis igitur quique peccatorum remissione sese indigere, & humiliter, & veraciter confitentur, *Psal.* 32.*v.*6. Renovari igitur debent indies 2. *Cor.* 4.*v.*16. 4. *Subjecto*: Nam justificationis subjectum, & fundamentum non est in nobis, sed extra nos, nempe est Christi obedientia, & satisfactio: Hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum, Jehova justitia nostra, *Ier.* 23.*v.*6.*c.*33.*v.*16. Christus factus est nobis à Deo justitia, 1 *Cor.* 1.*v.*30. Sanctificationis verò subjectum est in nobis: Sunt enim omnia membra, *Rom.* 6.*v.*19. *Sistite membra vestra serva justitiæ ad sanctimoniam.* 5. *Objecto*: Justificatio enim respicit Evangelium, & Christum, seu obedientiam ejus perfectam, & passionem duram; Sanctificatio legem. Alii rem eandem aliis proponunt terminis: Differunt enim justitia imputata, & inchoata. 1. *integris prædicamentis*: Illa docendi causa refertur ad prædicamentum relationis; Hæc ad prædicamentum actionis. 2. *Causa efficiente proxima*, quæ illius est beneficium Christi: Hujus opus Spiritus S. 3. *ordine antecedentis, & consequentis*: Illa ordine naturæ est prius, hæc posterior. 4. *Effectibus*: Illius effectus est pax & tranquillitas conscientiæ; Hæc illius testimonium. 5. *Adjuncto perfectionis*: Illa est perfecta, hæc indies perficienda.

50. 3. *Ab imperfectione sanctificationis*: Nulla ad justificationem coram Deo valet justitia, nisi quæ est absoluta cum lege Dei conformitas

mitas, ut ostendemus in Disput. de lege Dei. Atqui neque habitualis neque actualis nostra justitia est absolutè legi Dei conformis : In multis enim labimur omnes : Justitia nostra est velut pannus menstruatæ. Quilibet igitur suam immundiciem agnoscat, judicium Dei deprecetur, misericordiam ejus imploret & in solo mediatore Christo omnem spem, ac fiduciam, omne profugium, & solatium constitutum habeat, oportet.

51. 4. *A fide.* Docet passim scriptura justificari nos fide, & non charitate, ut demonstravimus in Disputat. de Fide. Ergo charitas non est justificationis causa. 5. *Ab effecto.* Effectum rei non est ejusdem causa. Atqui charitas, & reliqua bona opera sunt justificationis effectum, idque ostendemus in Disput. de bonis operibus. Ergo.

52. Obstrepunt Pontificii regerentes varia, ut probent justitiam inhærentem esse formalem justificationis nostræ causam, sed sunt ea contorta, & rarò ex propria sede desumpta, ex scripturæ dictis malè applicatis elicita. Examinavimus nonnulla in Disputat. 50. & 55. Addimus jam pauca. Primo opponunt dictum, 1. *Cor. 6. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Hinc infert Bellarminus justificationem duo continere, purgationem, sive ablutionem, & sanctificationem. Quod si justificatio est ablutio, & sanctificatio; sequitur, ut justificatio non sit sola peccatorum remissio sine interna sanctificatione.

53. Resp. 1. Non statim quæ conjuncta sunt unius rei simul causa formalis sunt : Nam causa & effectus, subjectum & adjunctum proprium individuo nexu sunt conjuncta, sic peccatorum remissio, & interior sanctificatio sunt quidem conjuncta, sed non sunt simul justificationis formalis causa. 2. Docet Apostolus, Corinthios olim fuisse in Ethnicismo variis peccatorum sordibus contaminatos; Sed nunc per Christi sanguinem, qui abluit ab omnibus peccatis, ablutos : Fuisse eosdem olim maledictos : At nunc eos esse fide sanctificatos. 3. Non inconveniens eorum est explicatio, qui docent triplicem proponi ab Apostolo accusationem, & illi triplici accusationi opponi triplex Trinitatis subordinatum beneficium : Nam *sordibus* opponitur ablutio, *contaminationi* sanctificatio, *reatui*, quem his exprimit, regnum Dei non hæreditabunt, opponit justificationem. Hæc verò tria confundere est judicium pravum in rebus gravissimis prodere, & pro uno

& eo-

& eodem sumere est vel per inscitiam fallere, vel per malitiam alios fallere velle.

54. Secundò, ex *Rom.8.vers.29. & 1.Cor.15.vers.49. Qua ratione Christus fuit justus, eadem & nos sumus justi: sumus enim conformes imagini Christi. Atqui Christus non est justus per imputationem, sed per justitiam inhærentem. Ergo.*

55. Resp. 1. Cur non infert etiam Jesuita, nos ita esse justos, ut nullum commiserimus peccatum: Nam ita Christus fuit justus, ut nullus dolus in ore ejus fuerit inventus? Cur pariter non colligit, justitiam nostram non includere fidem? Hanc enim non includebat justitia Christi. 2. Conformitas piorum cum Christo consistit primò in fide, per quam inseruntur corpori ejus mystico. Secundò *in calamitate & cruce*: Quemadmodum enim Christus per passionem intravit in gloriam suam, *Luc.24.v.26. Psal.110.vult. Phil.2.* Ita & pios Christi discipulos per multas tribulationes oportet ingredi in regnum Cœlorum, *Act.14.v.22.* Discipulus enim non est major Præceptore, si persecuti sunt Præceptorem, persequentur & discipulos, *Matt.10.* Tertiò, in *humilitate*: Salvator dicit, *Matt.10.v.28. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quartò *in conformitate gloriæ*: Hæc autem non est confundenda cum conformitate hujus vitæ, justificationis & gratiæ: In resurrectione enim mortuorum transformabit Christus corpus nostrum humile, ut fiat conforme corpori suo glorioso. Pia est sententia Bernhardi Serm. 25. super Cant. *Sponsa Christi nævo nigredinis in loco peregrinationis suæ non caret, alioquin erit, cum eam sibi in patriâ Sponsus gloriæ exhibebit gloriosam, non habentem maculam, aut rugam.*

FINIS DISPUTATIONIS LIX.

APPENDIX PARTIS TERTIÆ, ET ULTIMÆ, DE PAPISMO

UNA CUM JNDICE.

AUTHORE

JOHANNE GISENIO SS. THEOL. D. ET IN ACADEMIA GIESSENA ORDINARIO ejusdem Professore.

Typis exscribebat CASPARUS CHEMLINUS.

ANNO clo Io cXIX.

Universitäts-Bibliothek
Gießen

ODE ALCAICA

In Tractatum *De Papismo fugiendo.*

D. JOHANNIS GISENII, THEOLOGI CELEBERRIMI: COLLEGÆ ET Amici sui honorandi.

TAndem absolutum fine bono est opus
Rectè inchoatum, jamq; Typographi
Extrema toti libro adacta est
Non sine laude manus. Tuerì
Nunc fas ab ovo singula: nunc licet
Repullulantes inde referrier
Fructus laboris obstinati
Et cerebri vehementioris.
Mare æstuosum nónne Papismus est?
In quo secando multum operæ locet
Multum & laboris, quisquis ille
Tandem erit, has pelagi procellas
Qui nave forti dividet: hac licet
Transire & illac perq; meabilem
Sulcare Pontum: jam Charybdim
Iamq; licet fugitare Scyllam,
Monstriq; quantum est cumq; in inhospitì
Maris profundo: nunc Helice est opus
Isto in Papismo deserendo
Nempe tuâ faculâ, Giseni.

Hæ

Hac prævia sti publico in atrio
Genti Studentum, commoda sensit hæc
Non parva, te tuumq; sidus
Illa probè fuerat secuta
Pervenit hinc ad littoris aurei
Actam, inque tranquillo posuit pedis
Plantam, inq; CHRISTO pacis almæ
Constituit solidum trophæum.
Macte esto, DVCTOR, laudis adoreâ,
Gisseni, aperti navigat æquoris
Vndam tuum sectata sidus
Gens studiosa Charybdi abacta.

Conradus Bachmannus.

DISPUTATIO LX.

QUÆ EST

DE LEGE DEI PRIOR.

Resp. M. Samuele Edelio Ulmensi

THESIS I.

EVICIMUS in Disputationibus præcedentibus, hominem justificari sola fide in Christum, idque passim docetur in scriptura per Synonymicas loquendi formulas, ut sunt 1. sine operibus. 2. Gratia, gratis, per gratiam. 3. Particulis exclusivis, cujusmodi sunt nisi per legem, Gal. 2. v. 16. Tantum crede, Luc. 8. v. 50. Itaq; justitia coram Deo subsistens non est ex lege, id ostensuri, quædam de natura legis præmittimus.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Lex est doctrina divinitus tradita, continens regulam eorum, quæ Deus fieri voluit in suo populo, propositis præmiis obedientiæ, & pœnis inobedientiæ, iisq; temporalibus simul & æternis. Vel: *Lex est norma, rectè agenda intellectui practico cum obligatione præscribens, ut omnia benefiant, conserventur, & Dei gloria illustretur.*

3. Notationem legis latini dant triplicem, primò dictam eam esse, ajunt, *à ligando.* Honorius Augustodunensis in Ps. 1. scribit: *Lex à ligando dicitur eo quòd homo in mandatis Dei loris obedientiæ ligetur.* Placet hæc notatio Scholasticis. Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. ait: *Lex à ligando dicitur, quia obligat ad agendum.* Albertus part. 1. Dist. 26. mem. 4. art. 3. *Lex à ligando dicitur, quia coactivo sermone ligat ad implendum ea, qua præcipiuntur à legislatore.* Nonnulli igitur *funium* nomine legem intelligi censent, quibus Dominus apud *Hoseam c. 11. v. 4.* ait, se suum populum traxisse. Et *Psal. 2. v. 3.* Disrumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum eorum. Displicet verò notatio ea Becmanno in lib. de orig. lat. lin. p. 264. *Lex nonnullis malè à ligando; Repugnat enim analogia, & quando lex obligare dicitur, metaphora id fit, desumptâ à vimine, aut fune.*

4. Secundò *à legendo*, sic sentit Varro de lat. qui legem tantùm de mandatis scriptis intellectam voluit. Et Isidorus lib. 2. Etym. c. 10. & lib. 5. c. 3. dicit: *Lex à legendo est, quoniam leges publicè legi consueverunt*, scriptæque proferuntur, ut ab *omnibus legantur*. Corasius in tit. ff. de legib. p. 63. *erroneam hanc dicit esse Etymologiam, cum legi accidentarium sit ut legatur*. Et Musculus in lib. Comm. p. 34. ait: *Meo judicio, non minus incommodè lex àb eo ducitur, quòd publicè legatur, quam si regem ex eo dicputes, quòd publicè regatur.*

5. Tertiò *à deligendo*, Cicero 1. de leg. *Etsi Græci legem à tribuendo appellent, ego tamen à legendo, id est deligendo eam nomino: Nam ut illi æquitatis, sic nos latini dilectus vim in lege ponimus.* Dupliciter verò inde est ducta. 1. *ratione sui & passivè*, quia ipsa ex multis statutis est delecta, ut observetur una. 2. *ratione objecti*, & quia est eligendorum norma, & præscribit deligenda, seu facienda.

6. Græcis lex νόμος dicitur, quam vocem Plato à mente derivat, quæ græcè νόος vel νοῦς dicitur, Lib. 12. de legib. dicit, *Lex obtinet nomen simile nomini mentis.* Cicero verò lib. 1. de leg. & Scapula in Lexico ἀπὸ τοῦ νέμειν derivant, quod lex, cuique quod suum est, tribuat.

7. Hebræis lex dicitur thora, à radice, jara, quæ vox in Hiphil docendi habet significationem. Pulchrè dicit Chemnitius par. 2. L. C p. 3. *Ratio appellationis est: Sicut pluvia præparatur in nubibus, & spargitur, ut terram imbuat, & fœcundet: Ita Deus tradidit doctrinam legis, non ut in libris delitescat*, sed ut docendo spargatur, & in *corda scribatur.*

8. Usurpatur vocabulum legis in Scriptura 1. *pro quavis inclinatione, propensione, vi, seu impetu ad aliquid impellente, ac movente*, Roman. 2. v. 14. c. 3. v. 27. c. 7. v. 23. c. 8. v. 2. 2. *pro forma politiæ, & constitutione Sacerdotii* Matt. 11. v. 13. Gal. 3. v. 20. Heb. 7. v. 12. cap. 10. v. 1. 3. *pro tota religione*, Psal. 1. v. 2. Psal. 19. v. 8. 9. Esai. 2. v. 3. Ier. 32. v. 33. Rom. 3. v. 27. cap. 8. v. 2. Gal. 2. v. 19. 4. *Pro tota Scriptura V. Testamenti, ut* Ioh. 7. v. 58 c. 10. v. 34. Psal. 81. v. 6. Iohan. 12. v. 34. cap. 15. v. 25. Psal. 34. v. 19. 1. Cor. 14. v. 34. 21. Esai. 28. v. 11. Roman. 3. v. 39. 5. *Pro quinque libris Mosis, & quidem vel conjunctè pro omnibus*, Luc. 24. v. 44, Matt. 7. v. 21. Luc. 10. v. 26. *Vel distinctè pro singulis, ut pro libro primo*, Galat. 4. v. 21. *Pro libro secundo*, Matt. 12. v. 5. *Pro libro tertio*, Iohan. 8. v. 5. *Pro quarto*, Heb. 7. v. 5. *Pro quinto*, Iohan. 7. v. 51. c. 8. v. 17. 6. *Pro lege morali, seu præceptis Decalogi obligantibus, vel ad obedientiam, vel ad pœnam*, Rom. 2. v. 12. 14. c. 3. v. 19. 21. c. 4. v. 14. 15. c. 7. v. 7. Gal. 3. v. 10. 7. *Pro*

secun-

secunda legis tabula, Rom.13.v.8. Gal.5.v.14. 8. *Pro legis moralis rigore & obligatione ad pœnam, Rom.6.v.14. Gal.4.v.4.c.5.v.18.1.Tim.1.v.19.9.Pro lege ceremoniali, Luc.2.v.22.Ioh.1.v.17.1.Cor.9.v.20.Heb.9.v.22.* 10. *Pro lege forensi, Act.23.v.3.* 11. *Pro operibus legis, Gal.2.v.21.*

9. Lex est ceremonialis, forensis, & moralis. Leges ceremoniales continebant statuta de variis ritibus, ac ceremoniis ad exercitium, aliorumque cultus divini operum destinatis. Erant igitur leges illæ umbræ futurorum bonorum, *Col.2.v.17.Heb.10.v.1.* Leges forenses continebant præcepta judicialia, ex quorum præscripto populus Respub. Israëlitica instituenda, & moderanda erat: In istis quod morale est, accommodari etiam potest nostro foro, non quia est Mosaicum, sed quia est naturale.

10. *Lex moralis* (de qua potissimum hic agimus) *est doctrina à Deo tradita, præcipiens quales nos esse, & quæ facere, quæ omittere oporteat: & requirens perfectam obedientiam erga Deum, ac pronuncians irasci Deum, & punire æterna morte, non præstantes perfectam obedientiam.* Vel: *Lex moralis est legis naturæ ad populum Judaicum è monte Sinai facta repetitio.*

11. Causa efficiens legis principalis est Deus, Pater illuminum, *Jac.1.v.17.Exod.20.v.1.2.c.31.v.18.Deut.9.v.10.* συναίτιοι verò vel administri fuerunt primò Angeli, qui tanquam internuncii & testes sunt adhibiti. *Act.7.v.53. Gal.3.v.19.* Secundò Moses peculiariter à Deo designatus, *Exod.19.v.3. Joh.1.v.17.* Ille Israelitarum dicitur νομοθέτης non αὐτυρραπτικῶς, sed διακονικῶς, non magisterialiter, sed ministerialiter.

12. *Forma legis* est congruentia cum justitia in Deo, & norma obligans omnes vel ad obedientiam perfectam, vel ad pœnas æternas, vel, est præscriptio agendi obligatoria.

13. Finis legis remotus & generalis est duplex, prior est gloria Dei, *1.Cor.10.v.31. Col.3.v.17. Matt.5.v.16.* Posterior est publica in societate humana tranquillitas, *1.Tim.2.v.2.* In specie finis legum ceremonialium erat, ut omnia fierent ordine, & decenter, qui finis esse debet omnium rituum Ecclesiasticorum, *1.Cor.14.v.40.* Deinde erant leges illæ typus & præfiguratio Messiæ, *Col.2.v.17.Heb.10.v.1.2.* Finis legum forensium erat bona Reipub. Judaicæ, ob quam peculialiter illi populo erant præscriptæ administratio, & consequenter Messiæ

adumbratio: injunctæ enim inter alia erant, ut esset certus locus, & populus ex quo nasceretur Messias.

14. *Finis legis* moralis est triplex respectu triplicis hominum generis, quorum alii sunt peccatores obstinati, alii justificandi, alii justificati: Primus finis dicitur *politicus*, & spectat contumaces, quibus lex proponitur, non ut sit rerum agendarum norma, sed potius, ut ipsi cōminatione pœnarum coërceantur: Pœnæ hæ sunt cùm æternæ, tùm temporales, quarum executio demandata est Magistratui politico, cujus est irrogare pœnas iis qui legi contumaciter in externa regenda disciplina resistunt. Hinc Apostolus dicit, 1. *Tim.* 1. *v.* 9. *Lex injustis est posita* vide etiam *Rom.* 1. *v.* 20. *Gal.* 3. *v.* 19. Lutherus dicit par. 3. Art. Schmal. Articul. 2. *Lex à Deo data est, ut peccatum prohiberetur cominationibus, & metu pœnarum.* Secundus finis est *Pædagogicus*, de quo disserit Apostolus, *Rom.* 3. *v.* 20. *c.* 5. *v.* 20. *c.* 7. *v.* 7. *Gal.* 4. *v.* 24. Lex enim 1. perfectionem summam cùm internam, tùm externam requirit, à qua, cum homo longissimè absit, ideò. 2. mentis nostræ cœcitatem, & voluntatis, omniumque membrorum pravitatem ostendit, & arguit: *Per legem enim agnitio peccati, Roman.* 3. *v.* 20. 3. Deinde ob malitiam accusat, & damnat, terroremque injicit, *Roman.* 4. *v.* 15. 1. *Corinth.* 15. *v.* 56. Nam legi addita est horrenda comminatio, *Deut.* 27. *v.* 26. 4. Hoc pavore homo nō ad desperationē, sed obliquè ad medicum quærendum adigitur, cum verè suum peccatum agnoscit. Hinc rectè finis hic dicitur *Pædagogicus*, eo quod arguendo, accusando, & terrendo, tanquam pædagogus ad Christum ducat. *Gal.* 3. *v.* 24. Respicit igitur finis hic principaliter homines justificandos. Tertius est *Didacticus*, qui respicit Renatos, seu justificatos: Licet enim hi non amplius sint sub lege ratione maledictionis, & rigorosæ exactionis, *Rom.* 6. *v.* 14. *Gal.* 3. *v.* 23. Sunt tamen sub lege respectu studii bonorum operum, & novæ obedientiæ. Hoc igitur suo officio lex fungitur tripliciter, 1. *Docendo*: Ostendit n. quæ opera Deo placeant, 2. *Arguendo*, nimirum imperfectionem operum, quæ fiunt à Renatis, eorundemque immunditiem ob oculos constituendo. 3. *Excitando*, nempe ad studium bonorum operum, ne vetus Adam dominium sibi sumat.

15. *Subjectum* legis ἀνθρωποπαθῶς dicitur esse mens Dei, in qua perfectè lucet sapientia, & justitia in lege expressa. Respectu nostri est mens humana, cui notitia in creatione est implantata.

16. Ob-

16. *Objectum legis* est obedientia, seu conformitas, & contumacia naturæ rationalis. In specie objectum legis moralis est dilectio Dei, & proximi. *Deut. 6. v. 5. Matt 22. v. 37.*

17. *Adjuncta proprietas legis moralis est* primò æternitas, *Levitic. 11. v. 44. Luc. 6. v. 16. Roman. 3. v. 23. Eph. 2. v. 10.* Complectitur enim veritatem justitiamque Dei, & sic ejusdem gloriam, quæ est æterna. Deinde objectum ejus sunt promissiones, & pœnæ: Promittit enim sub conditione perfectæ obedientiæ temporalia, & æterna bona, idque ex singulari misericordiæ motu, *Exod. 20. v. 6. Luc. 10. v. 28. Gal. 3. v. 12.* Delinquentibus verò pœnas æternas annunciat, *Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. Rom. 2. v. 6.*

18. De abrogatione legis Mosaicæ si quis quærat, distinctè arbitramur esse respondendum. Ceremoniales enim leges planè sunt abolitæ, quæ finem in Christo sunt assecutæ, *Jer. 31. v. 31. Actor. 15. v. 6. Eph. 2. v. 14. Matth. 11. v. 13. Heb. 8 v. 13.* Idem de forensibus est statuendum, *Genes. 49. v. 10. Col. 3. vers. 11. 1. Petr. 2. v. 13.* Politia enim judaica erat instituta. 1. ut esset officina patefactionum divinarum. 2. Ut esset Academia, seu certa sedes doctrinæ à Deo patefactæ. 3. Bibliotheca librorum propheticorum. 4. certus locus, & certus populus, ex quo nasceretur Messias, doceret, ederet miracula, offerret sacrificium, & resuscitaretur. Hos fines, cum sit adepta, abrogata est. Primis verò annis propter infirmos aliquot ceremoniales leges Apostoli observarunt, *Actor. 15. vers. 3. c. 21. vers. 26. 1. Corinth. 9. v. 10.* Quam primum verò Judæi affluerunt opinionem necessitatis, ostensa est abrogatio, *Gal. 2. v. 11. c. 5. v. 4.*

19. Lex moralis verò abrogata quidem est 1. quoad justificationem, Gal. 3. v. 21. 2. quoad maledictionem, *Gal. 3. v. 13.* 3. quoad exactionis rigorem, *Gal. 5. v. 18. Rom. 8. v. 14.* Sed æterna est quoad doctrinam, & obedientiam.

Sententia Pontificiorum.

20. Jesuita Crusius neophytorum Landspergensium δικω'τυς referente Hasemullero c. 9. p. 344. dixit: *Hæ sunt noster Decalogus: Si has regulas corde, & factis custodierimus, verè justificabimur, neq; damnari poterimus. Nam perfectiora, & meliora lege divina tradunt, nempe Christi consilia, quæ sunt votum paupertatis, castitatis, & obedientia, quorum lex ignara perfectum vitæ æternæ meritum trădere nequit.*

31. Assertioni huic correspondet praxis ipsorum, & quorundam scripta: Nam contra primum præceptum Franciscus Toletus lib. 4. de instruct. Sacer. c. 9. p. 251. *quantum*, inquit, *ad intentionem dilectionis, non tenemur præcepto Deum plus omnibus diligere, imò aliquando fervent iùs amamus res sensibiles, & creaturas.* Contra secundum scribit idem c. 22. *Licet jurare secundum suam mentem contra mentem judicis. Si crimen est occultum, non debet quis jurare: Si cogatur, debet uti æquivocatione, puta, nescio, intelligendo intra se ut dicam tibi; vel non feci intelligendo, nunc non feci, vel quid simile.* contra tertium cap. 24. *Homo tenetur sub mortali* (peccato) *ad sanctificandum festum, sed non tenetur sub mortali ad bene sanctificandum.* Contra quartum præceptum lib. 5. cap. 1. *Potest filius uxorem ducere se dignam invitis parentibus sine peccato mortali.* Contra quintum lib. 4. c. 13. *Cum homo ira aliqua, vel alia motus passione, non advertens verba, quæ proferebat; protulit blasphemiam non est mortale peccatum.* Quomodo homicidia extenuent, docet praxis, & oratio Patris Guignardi Parisiis in Parlamento recitata, parricidium Regis à Jacobo Clemente patratum vocat ipse *factum heroicum, velut Sancti Spiritus donum.* Contra sextum præceptum scribit Bellarminus lib. de Monach. c. 34. *Melius est scortari, & uri, quàm post unam fornicationem votum cælibatus violando ad nuptias transire.* Et Costerus in Enchir. de Cælibat. Sacerdot. *Sacerdos si fornicetur, aut domi concubinam foveat, etsi peccat, gravius tamen peccat, si contrahat matrimonium.* Contra septimum asserit Johannes Maldonatus in summula quæst. 8. art. 3. *Pauperes non faciunt furtum, cum pressi extrema necessitate rem alienam capiunt: quia res tùm propriè non aliena, sed communis vitæ periclitentis.* Contra octavum idem quæst. 7. Art. 3. *Non peccat judex, si damnet aliquem secundum legem, licet ipse sciat, eum esse innocentem.* Et Toletus lib. 5. c. 56. *Cum causa criminalis est, & maximè mortis, quamvis in hoc opiniones existant, tamen communior, & verior est, quod Jus lex licitè possit damnare innocentem.* Contra nonum, & decimum affirmat Bellarminus lib. 5. c. 6. concupiscentiam nullum ex se, *vel naturâ suâ peccatum esse.*

22. Porrò dicendum est nos ea, quæ Deus in lege præcepit, posse perfectâ, & integrâ obedientiâ implere *Colonienses in censura* pagin. 48.

23. Itaque suo modo justitia coram Deo subsistens est ex lege

STA-

STATUS CONTROVERSIÆ.

24. Principalis igitur controversia est, *an verè renati bonis suis operibus perfectam legi obedientiam, quam ea requirit, cumulatè, & plenè in hac vita præstare valeant.* Dependent ab hac quæstione controversiæ aliæ, quas duabus Disputationibus inclusas considerabimus.

25. Quæstio prima: *An Christus pro nobis legem impleverit, & nos à maledictione legis liberaverit?*

26. Resp. Tanta Jesuitarum quorundam est impudentia, ut illud in dubium vocare non erubescant: Gregorius de Valentia in volum oper. Theol. sect. 5. lib. de divin. grat. par. 4. c. 2. p. 196. scribit: *Sectarii frustra pleraque alia absurda suscipiunt, ut monstrent, quomodo, & à quo lex plene observetur, quale est illud, quod Bucerus lib. de concordia controversiarum dicit, Deum esse, qui præcepta pro nobis servat. Et illud quod non minus absurdè dicit Chemnitius contra c. 11. Sess. 6. Christum adimplere id, quod nos perfectè facere præcipimur, neq; exequi possumus, ac proinde in Christo nos legi satisfacere, scilicet Deo, & Christo Domino data sunt legis præcepta, ut cum ab illis ea servata fuerint, tum demum sit à nobis legi satisfactum: illos oportet jejunare, credere, pœnitere, sperare,* &c. Reliquos quod attinet Pontificios, illi vix evadere possunt, quin indirectè, & consequenter statuant, Christum pro hominibus perfectè legem non impleviſſe. Nam exigunt ab hominibus legis impletionem, renatos perfectè legi satisfacere posse, imó plus quàm lex præcipit præstare, & per hoc eos justificari fabulantur. Ergo Christus pro eis legem non implevit, nec ipsi per Christi justitiam legis impletione acquisitam justificantur. Consequentia est manifesta 1. Aut enim impletio legis à Renatis præstanda respicit eundem finem, quem impletio Christi, aut diversum. At non diversum secundum ipsos Pontificios. Ergo eundem. Subsumo: Quod præstant Pontificii, illud non est assecutus Christus: Si enim Christus sua impletione finem illum esset perfectè assecutus, frustrà eum quærerent Pontificii. Atqui Pontificii fabulantur, se perfectam legis impletionem præstare. Ergo ex parte illud innuit Tapperus Tom. 1. Art. 7. p. 15. asserens *satisfactiones Christi nõ mereri nomen satisfactionis pro peccatis nostris.* 2. Quod pro nobis præstitit Christus, illud nos præstare non poteramus. Atqui secundum Pontificios perfectam legis impletionem nos præstare possumus. Ergo illam pro nobis non præstitit Christus. 3. Proprium renatorum non est proprium Christi: Quod enim

à nudo

à nudo præstari potest homine, in illo non consistit proprium officium Christi. Atqui perfecta legis impletio secundum Pontificios est proprium quoddam Christi. Ergo. 4. Justitia coram Deo valens procreanter neq[illegible] adscribi Christo, & homini renato. Eam igitur aut perfectè acquisivit Christus, aut renati. At secundum Pontificios Christus. Ergo non renati.

27. Inquis, *Christus ideò legem perfectè implevit, ut nos eam perfectè impleremus. Ergo utriq; & Christo, & homini renato legis impletio adscribitur.*

28. Resp. 1. Scriptura legis impletionem homini impossibilem esse docet, nominat jugum, quod portare neque patres potuerunt neque nos possumus, *Act.* 15. Ergo non nobis, sed soli Christo legis impletionem adscribit, docetque solum Christum esse justificationis nostræ causam meritoriam. 2. Ex opinione illa Pontificia, sequitur Christum esse legis non perfectorem, sed inchoatorem, contra illud Apostoli, *Rom* 10. *v.* 4. *Christus perfectio legis.* 3. Et quid quæso faciunt aliud Pontificii adjungentes perfectionem opellarum humanarum obedientiæ Christi legi præstitæ, quam quòd eam perfectam esse statuant?

29. His præmissis, Christum perfectè legem impleviſſe demonstramus 1. *A fine incarnationis Christi.* Cujus gratia Christus est promissus, venit, & incarnatus est, illud revera præstitit. Quis enim affirmabit, Christum non esse assecutum finem suum. Atqui Christus venit non ut legem solveret, sed ut adimpleret. Ergo. Minor legitur, *Matt.* 5. *v.* 17. 18. Intelligitur verò lex non forensis, & ceremonialis, sed moralis: Nam eam intelligit legem, de quâ dicit, quod prius cœlum, & terra sint interitura, quam vel apex unus hujus legis intereat, qui non impleatur, *v.* 18. Hæc autem lex non esse potest alia, quàm moralis. Deinde eam Christus intelligit legem, quam in subsequentibus versiculis sibi explicandam sumit. Hæc verò est sola lex moralis. Ergo. Et annon Christus suo adventu leges ceremonialem, & forensem, quæ umbræ erant futurorum bonorum solvit, & abolevit?

30. 2. *A collatione Adami primi, & secundi Rom.* 5. *v.* 18. 19. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines, in justificationem vitæ: Sicut enim per inobedientiam, unius homines peccatores constituti sunt multi: Ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.* Hinc ita argumentamur: Pro quibus Christus perfectam obedientiam Patri præstitit, pro iis legē perfectè implevit, quia

quia obedientia illa consistit in perfecta legis impletione. Atqui pro nobis miseris hominibus Christus perfectam obedientiam Patri præstitit. Ergo pro nobis legem perfectè implevit. Assumptio patet primò ex *justitiæ partæ consideratione*: Hæc enim consistit non in aliquotum, sed omnium Decalogi præceptorum impletione. Secundò *ex justitiæ divinæ immotâ regulâ*, quæ tantum acceptat justitiam omnibus numeris plenam, rejicit imperfectam, *Deut.27.v.27. Gal.3.v.10.* Tertiò, *ex oppositione justitiæ, & peccati*: Peccatum enim est, ἀνομία, illegalitas. Ergo justitia est ἐνομία, cum lege conformitas.

31. 3. *Gal.4.v.4.5. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Hinc ita inferimus primò: Propter quos Christus factus est sub lege, pro iis legi obedientiam præstitit, legemque implevit. Atqui Christus propter nos homines factus est sub lege. Ergo. Secundo: Qui nos liberavit à rigorosâ legis obedientiâ, ille rigorosam legi obedientiam pro nobis præstitit. Atqui Christus nos liberavit à rigorosâ legis obedientia. Ergo.

32. 4. Ex *Rom.10.v.4. Finis legis Christus ad justitiam omni credenti*: Quicunque verò est legis perfectio, & consummatio ad justitiam omni credenti, ille perfectè legem pro credente implevit. Atqui Christus est legis perfectio, & consummatio ad justitiam omni credenti. Ergo. Dicitur enim Christus *finis legis*, *Rom.10. non respectu abrogationis*, quod finem legi imposuerit: Nam agit Apostolus de lege non ceremoniali, & forensi, sed de morali, quam Christus non venit solvere, sed adimplere; ut ejus impletio à Christo præstita credenti ad justitiam imputaretur. Nec dicitur *finis legis respectu novarum virium largitionis, quibus mediantibus faciamus aliquid legis*; quia agit Apostolus non de sanctificatione, sed de justificatione. Neque dicitur duntaxat *finis legis respectu ultimi scopi*, quatenus lex ex accidente dicitur pædagogus ad Christum, *Gal.3.v.24.* Hunc enim finem Apostolus hîc principaliter non intendit; Sed dicitur *finis legis* respectu impletionis, & consummationis, quia Christus pro nobis omnia illa præstitit, quæ lex à nobis exigebat: Docet hanc interpretationem scopus Apostoli: ostendit enim justitiam non esse quærendam extra CHRISTUM, sed in ipso solo, qui sit finis legis: Venit eam implere, *Matth.5. vers.18.* Piè igitur dicit Augustinus libro 2. contra Ad-

versarios legis cap. 7. *Christus finis legis perficiens, non interficiens, finis quippe dicitur, propter quem omnia fiunt, quæcunque aliquo fiunt officio.* Quorumcunq; igitur Christus est perfectio legis ad justitiam, ille legis impletione justitiam acquisivit. Atqui Christus omnium credentium est perfectio legis ad justitiam. Ergo.

33. 5. Ex 2. *Cor. 5. v. 21. Eum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Pro quibus verò Christus factus est peccatum, hoc est, peccata ipsi omnium sunt imputata, pro iis legem implevit. Atqui Christus pro nobis factus est peccatum Ergo. Deinde in quo efficimur justitia Dei, ille pro nobis legem implevit, quæ impletio nobis imputatur. Atqui nos efficimur justitia Dei in Christo. Ergo.

34. 6. Ex *Rom. 8. v. 2. 3. 4. Lex Spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati, & mortis: Nam quod impoßibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Qui est author nostræ liberationis à pœna, quæ legis transgressoribus est debita, ille pro nobis legem perfectè implevit, quia legis impletio liberationis illius est causa. Atqui Christus est author nostræ liberationis à pœnâ, quæ legis transgressoribus est debita: In Christo enim Jesu nos lex liberavit. Ergo. Deinde quod impossibile erat legi, illud Filius Dei in similitudinem carnis peccati missus, pro nobis præstitit. Atqui perfecta obedientia legi à nobis præstanda, erat legi impossibilis. Ergo. Tertiò, Quod per carnem infirmabatur, illud pro nobis præstitit Christus. Atqui lex, ejusque plena obedientia infirmabatur per carnem. Ergo. Denique cujus legis impletio nobis imputatur, ille pro nobis legi perfectam obedientiam præstitit. Atqui Christi legis impletio nobis imputatur. Ergo.

35. 7. *A Pharisaismo, Iudaismo, & Photinianismo*: Opinio enim hæc est Pharisaica, Judaica, & Photiniana. Ergo meritò à veris Christianis proscribitur. De Pharisæis id videre est ex, *Matt. 5. v. 19. cap. 9. v. 11. Luc. 11. v. 15. Ioh. 8. v. 57.* Photiniani scribunt in Catech. Rac. p. 164. *Non ideò venit Christus, ut pro nobis legem impleret.*

36. 8. *A propria quorundam Pontificiorum confeßione*: Sebastianus Barradius Jesuita Tom. 1. Comment. in concor. & histor. Evang. lib. 2. c. 21. *Non venit, inquit, Christus Matt. 5. Solvere legem, sed adimplere, quia*

non

non solvit legem, sed observavit. Neq; solùm observavit, sed etiam implevit, quippe, qui legis fuerit plenitudo, atq; idcirco semetipsum exinanierit, ut legem cumulatissimè compleret. Jodocus Lorichius Jesuita ostendit in thesauro Theol. tit. de nova lege, quot modis Christus legem impleverit. *Præcepta legis*, inquit, *implevit Christus partim opere, partim doctrina: Opere quia est circumcisus, in templo oblatus, cum parentibus secundum legis cerimonias in Ierusalem ductus, ubi & alios ritus legis istius observavit: tametsi non obligaretur: præterea omnes Prophetias, & figuras veteris legis implevit suâ passione, morte, resurrectione, ascensione, ceterisq; actis, & institutis suæ vitæ. Doctrina autem implevit legis præcepta trifariam, &c.*

37. Quæstio secunda: *Num homo per legis obedientiam coram Deo justificetur?* Seu, *num justitia coram Deo subsistens sit ex lege?*

38. Resp. Pharisæi olim adscribebant omnem justitiam coram Deo valentem suis operibus legi perfunctoriâ ratione præstitis. Parum ab hac opinione absunt Pontificii, statuentes hominem ex operibus legis justificari, & legis observationem esse justitiam coram Deo valentem. Bellarminus scribit lib. 2. de justif. c. 12. Illud, *A quibus non potuistis in lege Mosis justificari*, significat observationem legis, propriis viribus, vel solâ ipsâ lege juvante præsumptam, non justificare, nō quod vera legis observatio non sit justitia; Sed quod lex ante remissionem peccatorum servari non possit.

39. Scribit quidem idem Bellarminus lib. 4. de justific. cap. 14. pag. 1226. *Nulla lex est, quæ sine fide, & gratiâ justificare possit.* Quam autem ipse fidem intelligat, ostendimus in Disputat. de fide, nimirum non eam, quam scriptura per apprehensionem meriti Christi definit, sed quæ sit infusa qualitas, & per opera nostra informetur. Stapletonus scribit part. 3. expl. 6. p. 335. *Apertè declarat Apostolus naturam fidei, cui justificationem attribuendam censet, quæ scilicet per dilectionem operatur.*

40. Credunt verò, docent, & profitentur Protestantes, neminem justificari ex lege coram Deo. Proinde legis obedientiam non esse Articulo justificationis immiscendam: Ἀδυναμία verò, & impotentia illa justificandi adscribitur legi non absolutè, simpliciter, & per se: Hoc enim redundaret in ignominiam 1. ipsius Dei, Decalogi autoris 2. in ignominiā ipsius legis divinæ, quæ per se est bona, & sancta, *Rom. 7. v. 12. 1. Tim. 1. v. 8.* 3. In ignominiam promissionum divinarum legi annexarum de vitæ æternæ possessione attribuendâ legem perfe-

etè adimplentibus, ut: *Gal.4.v.12. Qui fecerit hæc vivet in eis.* Et *Rom.7.v.10. Inventum mihi est mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.* Sed impossibilitas attribuitur legi accidentariâ ratione, seu per accidens; nimirum respectu carnis nostræ depravatæ, quæ legē Dei, quantumvis in se sanctam, bonamque non implet, sed infirmat. Ergo lex impeditur culpâ non sui, sed vitio carnis, quo minus vitam peccatoribus conferre possit, Apostolus dicit, *Rom.8.v.3.* Quod impossibile erat legi, *in quo infirmabatur per carnem.* Augustinus de spirit. & lit. cap. 19. *Neq; suo vitio lex non implebatur, sed vitio prudentiæ carnis, quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.*

41. Probatur hæc sententia, 1. Ex *Rom.8.v.3. Lex infirmatur per carnem.* h. e. per hominem habentem adhuc sensum carnalem, quem habet omnis etiam renatus, quia sentit aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, Et si dixerit, se non habere peccatum, veritas non est in ipso. A quo igitur lex infirmatur, eum non justificat, quia lex non justificat, nisi perfectè impleatur. Atqui lex infirmatur à carne etiam renati, quatenus videlicet ipse est vetus Adam. Ergo. B. Lutherus Tom.1. Jen. lat. pag. 506. proponit hunc Syllogismum: *Quicunq; vult intrare ad vitam, debet servare mandata Dei,* sed nullus sanctorū *servat mandata Dei, quia omnes sancti sunt peccatores. Ergo nullus sanctorum potest intrare ad vitam.*

42. 2. Ex *Gal.3.v.10. Quicunq; sub operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Quibus verò lex maledicit, eos non justificat. Atqui hominibus lex ob peccatum maledicit. Ergo.

43. 4. *A causâ meritoriâ salutis, quæ est meritum Christi, Galat. 2. v.21. Non abjicio gratiam Dei; Si enim per legem est justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Quod igitur in Articulo justificationis operibus legis adscribitur, illud omne merito Christi detrahitur. Atqui illis *justitia* à Pontificiis adscribitur. Ergò.

44. 5. Ex *Rom.3.* Quod Scriptura operibus legis denegat; illud idem contra Scripturam illis adscribitur. Atqui justificationem operibus Scriptura denegat. Ergo. *Rom.3.v.20.* Ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus. *vers.28.* Arbitramur justificari per fidem sine operibus legis. *Galat.2.v.16.* Scientes, quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.

45. 6. *Ab exemplorum Abrahæ, & Apostolorum inductione:* Hi enim justifi-

justificati sunt non ex lege, ejusque operibus, sed solâ fide. Ergo nec Abrahami spirituales filii aliter justificantur, *Rom.*4.*v.*13.14. *Non per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi, seu per justitiam fidei. Si n.qui ex lege hæredes, inanis facta est fides, & abolita est promissio.* Philip. 3.*v.*6.7. *Secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sum sine querela. Sed quæ mihi, fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* verſ. 9. *Non habeo meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est justitia in fide,* Gal.2.*v.*16. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: Et nos in Christo Iesu credidimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificatur omnis caro.*

46. Regeris, Paulus, inquiens, *illam negat legem justificare, de quæ erat tunc temporis mota quæstio. Atqui hæc erat lex nō moralis, sed ceremonialis, utipatet ex Act.*15. *Et Apostolus disertè allegat exemplū de circumcisione,* Rom.4.*v.*9. *De Neomeniis, Sabbato, diebus festis, cibis,* Gal.4.*v.*10. Col.2.*v.*16.21. *Ergo.*

47. Resp.1. Apostolus de illâ agit etiam lege, ex qua cognoscuntur peccata, *Ro.*5.*v.*20. ejusq; opera negat justificare. Atqui hæc est lex moralis, *Rom.*7.*v.*7. Ergo.2. De illa etiam agit, quæ inscripta est Ethnicorum cordibus, *Rom.*1.*v.*19. *cap.*2.*v.*15. Atqui hæc est lex moralis: ceremoniales enim leges Mosaicæ ad solum populum Judaicum pertinebant. Ergo.3. Illam intelligit Apostolus legem, de quâ dicit. *Gal.*3.*v.*12. *Qui fecerit hæc vivet in eis, & verſ.*10. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Atqui hæ sententiæ pertinent præcipuè ad legem moralem, *Deut.*27 *v.*26. *Luc.*10.*v.*8. Ergo.3. Clarè idem ostendunt exempla: Nam de Abrahamo qui est non particulare, sed universale justificationis exemplar; (Unde pater fidei vocatur) dicit *Apostolus, non ex operibus, sine operibus.* Justificatus verò est Abrahamus ante datam circumcisionem, & 430 annis priusquam lex promulgaretur. Sic de Ephesiis dicit, alienos eos fuisse à Politiâ Mosaicâ h. e. non habuisse eos legem Mosaicam ceremonialem, *Ephes.*2.*v.*12. At de iisdem dicit: *Gratia salvati estis non ex operibus, non ex vobis.* Item *Tit.*3.*v.*5. dicit: *Non ex operibus, quæ fecimus nos.* Sed *Gal.*2. ait, Titum nunquam ceremonialia Mosis recepisse. 4. Quare *Galat.*3.*v.*21. universaliter dicit: *Si data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.* 5. Et *Rom.*10. *Gal.*3. opponit justitiam legis, & fidei, fidem & opera, credere

& facere, & de hoc facere allegat sententiam, quæ *Luc.10.v.28.* ad opera moralia manifestè refertur. Nõ facit verò ἀντίθεσιν inter τὸ facere ceremoniale, & morale. 6. Itaque Apostolus negat quidem nos ceremonialibus Mosaicis justificari, de quibus principaliter *Act.15.* mota fuit quæstio, verum non de his tántum agit, sed progreditur à parte ad totam legem, quia præcipua pars legis est Decalogus: Si igitur lex ceremonialis ad justificationem est necessaria, erit multò magis moralis: Atque ipsa quæstio de necessitate observationis ceremoniarum Mosaicarum, necessariam esse ad justificationem legis quoque observationem statuebat. Inde Apostoli in hac disputatione à parte ad totum, à specie ad genus progrediuntur, & nos ex lege morali justificari etiam negant, idque exemplis ex eâ allegatis docent.

48. Quæstio tertia: *An igitur nullus legis in Ecclesiâ sit usus?*

49. Resp. Antinomi tertium legis usum in sententiâ Protestantium expositum partim vivente adhuc B. Luthero, partim eo vitâ functo, oppugnabant contendentes, *usum istum legis ex agro, ac finibus Ecclesiæ renatorum esse eliminandum: Legem non esse dignam, ut nominetur verbum Dei. Eam ad curiam pertinere, non ad suggestum. Mosen cum suâ lege ad patibulum esse relegandum.* **Alle die mit Mose vmbgehen/müssen zum Teuffel fahren/an Galgen mit Mose/** refert blasphemas has Antinomorum voces B. Luthetus Tom.1. Jen.lat.pag.517.

50. Imputari verò ejusmodi non debent nec possunt Lutheranis, cum constet ab iis hanc opinionem improbari: In libro concordiæ his verbis suam proponunt confessionem pag.595. *Credimus, docemus, & confitemur concionem legis non modò apud eos, qui fidem in Christum non habent, & pœnitentiam nondum agunt, sed etiam apud eos, qui verè in Christum credunt, verè ad Deum conversi, & renati, & per fidem justificati sunt, sedulò urgendam esse.* Et pag.718. *Credimus, docemus, & confitemur unanimiter, quòd etsi credentes, & ad Deum conversi, atque justificati sunt à maledictione legis, ita quidem ut eâ ratione jam liberi dicantur: tamen in lege divinâ quotidie exercere se debeant, ut scriptum est: Beatus, qui lege Domini delectatur: Est enim lex Dei instar speculi limpidissimi, in quo voluntas Dei, & quæ ipsi placent, perspicuè oculis nostris proponuntur.*

51. Confirmatur hæc sententia 1. *Ab exemplo primorum parentum*: Hos enim voluit Deus in statu integritatis non pro arbitrio voluntaris

luntatis suæ, sed secundum præscriptum legis suam obedientiam creatori præstare. Ergo nec hodie vult renatos sine lege ad lubitum obedientiæ opera comminisci. 2. *A fine redemptoris:* Redempti enim sumus, ut ambulemus dignè in novitate vitæ, *Rom.6.v.4.* Hoc autem fieri nequit absque Decalogo, qui exprimit voluntatem Dei. 3. *Ab imperfectione renovationis:* Obedientia enim renatorum inchoata est imperfecta, *Rom.7. vers.22. Gal.5.v.17.* Ergo ne à voluntate Dei aberret, secundum legem est informanda. 4. *A fine promulgati Decalogi*, qui fuit ut homines docerentur de voluntate Dei, & ad eam homines suas actiones conformarent. Finem hunc lex in N. Testamento obtinet etiã quoad renatos. Ergo & his est proponenda. 5. *Ab apertis Scripturæ testimoniis, Deut.6.v.6. Ios.1.v.8. Psal.1.v.2. Psal.119.v.105.*

52. 6. Quare piè scribit B. Lutherus Tom.1. Jen. lat. in Disp.2. contra Ant. p.518. *Quantum cœlum à terrâ distat, tantùm debet lex à justificatione separari. Et nihil docendum, dicendum, cogitandum in re justificationis, nisi solum verbum gratiæ in Christo, exhibitæ. Ex his autem non sequitur, legem esse abolendam, & è concionibus Ecclesiæ tollendam, Quin eò magis est necesse eam doceri, & urgeri, quod non est necessaria, sed impossibilis ad justificationem.*

53. Quæstio quarta: *An leges Ecclesiasticæ obligent conscientiam?*

54. Resp. Illud conscientiam obligat, quod ad obediendum cum comminatione offensionis Dei; & peccati mortalis perpetrationis præscribitur. Hæc modo obligatur conscientia vel generaliter mediante generali præcepto, vel specialiter, & quidem vel mediatè & indirectè, vel immediatè, & directè: Leges *Ecclesiasticæ directè, & immediatè non obligant conscientiam.* Probamus id 1. *A solius Dei proprio: Dominus enim est legifer noster, Esa.33.v.22.* Unus est legislator & Judex, *Iacob.4.v.12.* Ergo solius Dei est proprium leges directè & immediatè conscientiam obligantes ferre. 2. *A confessione Apostolicâ:* Inde Apostoli sunt confessi sibi non competere potestatem ferendi leges directè conscientiam obligantes, 1. *Corinth.7. vers.35.* 2. *Corint.1.v.24.* 3. *A libertate Christianâ:* Servitute enim, quæ oritur ab humanis obligationibus sublatâ in libertatem Christiani sunt vindicati, *Actor.15.v.10. 1. Cor.5.v.23. Gal.5.v.1.* 4. *A fine legum Ecclesiasticarum:* Feruntur enim illæ non

læ non & conscientiis necessitas imponatur, sed ut omnia ordine fiant, & scandalum vitetur.

55. Generaliter verò & indirectè conscientiam obligant. 1. Docet id Apostolus, *Rom.* 13. *v.* 1. Quisquis opponit se potestati, Dei ordinationi resistit. Et *v.* 5. Necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Leges verò Ecclesiasticas spernere, est Magistratum, qui earum est custos contemptim habere. 2. legibus istis legitimis contemptis, contemnuntur & ipsi verbi ministri. 3. Et omnis lex Ecclesiastica legitima fundatur in legibus generalibus. Quare leges consequenter saltem conscientiam obligant.

56. Quod verò objicitur ab adversariis, *licitam esse Ecclesiasticarum legum transgressionem, si hæ conscientiam non obligent*, ad hoc ipsum facilimè respondetur ex datâ distinctione. Nam 1. negamus leges Ecclesiasticas obligare conscientiam specialiter, & directè; docemus, quod eam obligent generaliter & indirectè. 2. Distinguimus inter leges Ecclesiasticas: Quædam n. verbo Dei adversantur, quibus non est obtemperandum; Quædam boni ordinis causa præscribuntur, quibus modo legitimo injunctis obedire tenemur. 3. Aliud est conscientiis velle dominari, & aliud legitimis legibus obtemperare. 4. Aliud est jurisdictio, & aliud scandali evitatio: Ecclesiasticis legibus est obtemperandum non propter jurisdictionem Episcoporum, quasi per se conscientiam obligarent, sed propter scandali evitationem.

Finis Disputationis LX.

§

DISPUTATIO LXI.

QVÆ EST

DE LEGE DEI ALTERA.

Resp. Thomâ Wehnero Rochlitiâ-Misnico.

THESIS I.

DE legis naturâ, descriptione, & causis egimus in Disputatione superiori, ipsámque doctrinam quibusdam quæstionibus illustravimus. Quæ verò sunt reliquæ, eas jam proponemus. & examinabimus.

2. Quæstio prima: *Num homines non renati solis liberi arbitrii viribus legi morali satisfacere possint?*

2. Resp. Pelagiani à non-renatis perfectè legem, impleri posse, haud obscurè asserebant. Augustinus in lib. de hæresibus ad Quod vult Deum cap. 88. scribit: *Pelagiani Dei gratiæ in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata.* Et Epistola 92. ad Innocentium dicit eos asseruisse, *posse hominem in hac vitâ præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ salvatoris per solùm liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere: Dimitte nobis debita nostra.*

4. Pelagianis succedunt Scholastici legis impletionem non-renatis possibilem esse statuentes. Nam Gabriel Biel in 2. sentent. dist. 28. q. un. art. 3. *Homo*, inquit, *per liberum arbitrium ex suis naturalibus potest divina præcepta, quoad actus substantiam implere.* Et lib. 1. sentent. Dist. 1. q. 2. art. 3. *Potest viator ex puris naturalibus Deum diligere, quia omni dictamini rectæ rationi voluntas se potest ex suis naturalibus conformare, sed potest ratio ostendere, quod hujusmodi objectum diligendum.* Nicolaus de Orbellis 2. senten. Dist. 28. q. 2. Mandata Dei, inquit, *non sunt supra hominem, quia omni volenti se disponere Deus dat gratiam gratum facientem, per quem ille potest adimplere, non tantum, quantum ad genus operis, sed etiam quantum ad in-*

tentionem præcipentis. Antonius part.1.tit.11.c.3. *Homo, ait, potest inclinare aurem suam in verba legis: inclinare autem aurem est implere integraliter, obedire intentionaliter, & agere constantionaliter. Integraliter implere est totam legem facere, intentionaliter obedire est secundum intentionem legislatoris, & non secundum verba legem facere. Constantionaliter est propter timorem pœnarum non deslinare.*

5. Pontificii quidem conqueruntur de injuria suis à nostris illatâ. Nam Johannes à Daventria scribit in Harm. August. confess. p.292, *Volve, revolve omnia Catholicorum scripta, dispeream, si plus à nostris libero arbitrio attributum sit, quam isti attribuunt. Vbicunque ergo offendes, quod Catholicos, cum Pelagianis conferunt, ubicunq; offendes, quod dicant Catholicos docere, hominem posse Deum diligere super omnia, & præcepta Dei facere, mereri gratiam, &c. mendacium esse agnoscito, ob hoc solum excogitatum, ut suis fidem faciant, nostrisq; miserè imponant.* Bellarminus lib.5. de Grat. & libr. arb. cap.13.p.802. *Tertius*, inquit, *error*, (qui nimirum Pontificiis à Protestantibus attribuitur:) *Homo ex puris naturalibus potest diligere Deum super omnia. At hoc scripserunt Scholastici quidam pauci, sed non debet Ecclesiæ Catholicæ tribui opinio paucorum, quam in eadem Ecclesiâ plures, & graviores refellunt.*

6. Sed protestatio hæc facto est contraria: Nam quidam ex Pontificiis idem cum Scholasticis Doctoribus docent directè, quidam indirectè. Directè Johannes Cochlæus in 18. Attic. August. Confess. *Qui hominem*, inquit, *propriis naturæ viribus præcepta Dei quoad substantiam actus facere posse negant, videntur hominis naturam (opus utiq; bonum & imaginem Dei) nimis deprimere atque à naturali bonitate suâ, quam à Deo habet, & quâ ratio ad optima deprecatur, ut ait Aristoteles in Ethicis, dejicere, & ipsum Deum, Opt. Max. summâ bonitate, clementiaq;, & misericordiâ privare, dum imputant ei, quod imposuerit homini præcepta factu impossibilia. Sciunt namque omnes, quod tyrannicum sit potiùs, quàm regium subditis impossibiles constituere leges, & onera imponere ipsis importabilia.* Ibidem: *Ne quis verò dicat, hæc dicta esse de homine in statu naturæ integræ, per inobedientiam Adæ, & peccatum originale corrupta, dicit contra hoc textus apertè: Mandatum, quod tibi præcipio hodie non est suprate.* Beçanus Tom.1.oper.in senten.Cathol. cap.6.th.6.p.322. *Singula præcepta*, inquit, *servare, & brevi aliquo momento, præsertim quando non urget tentatio dæmonis, nec aliorum exempla, aut pravæ occasiones; non videtur esse supra vires liberi arbitrii. Ratio est, quia nullum*

lum est præceptum naturale, quod per se impossibile sit. Imò ideò vocatur naturale, quod habeat proportionem ad vires naturales. Potest ergò naturæ viribus servari. Ibidem th.8. *Alterum assertum est: Hominem in statu naturæ lapsæ, sive sit in peccato originali, sive in actuali, sive in utroq;, posse per solas naturæ vires elicere aliquem actum dilectionis Dei super omnia, ejusdem modi, & speciei, cum illo, quem posset homo in puris naturalibus.*

7. Indirectè idem statuant oportet, qui gentiles sapientiores ex lumine naturæ salvatos esse sunt opinati, ut Ludovicus Vives in c. 47. lib.18. August.de Civit.Dei: Catharinus in comment.in 1.Tim. 4. Andradius explicat. orth.lib.3.p.288. & 292. Erasmus Tammerus, Latomus Lovaniensis. De Monacho quodam Franciscano scribit Sleidanus lib.13.anni 1552.p.m.440. *Ad exitum Martii, Franciscanus quidam Pauli ad Romanos explicabat epistolam frequenti auditorio; & subinde per occasionem acerbo convitio Lutherum, socios que notabat, eóq; fuit progressus, ut diceret eos, qui Christi cognitionem nullam habuissent, & alioqui vitam egissent honestè, salutem esse consecutos: Hanc etiam esse genuinam Pauli sententiam, in ejus, quam diximus, epistolæ capite secundo.* Maldonatus Jesuita in Matt. 11. v.11. scribit: *Gentiles poterant servata lege naturæ omnium confessione salvi esse. Lex autem naturæ satis illis erat ab ipsâ naturâ prædicata.*

8. Refutamus verò opinionem illam 1. *ex testimoniis Scripturæ hominem totaliter corruptum esse arguentibus:* Quicunque enim in peccatis est conceptus, & natus, naturâ filius iræ, & ita corruptus ut sit caro, & non possit bonum cogitare, ille non potest legem Dei implere. Atqui talis est omnis non-renatus. Ergo. *Psal.51.v.7.* In iniquitate formatus sum, & in peccatis fovit me mater mea. *Gen.6.v.5.c.8. v.22.* Omne figmentum cogitationum cordis humani tantummodo malum est ab adolescentiâ suâ omnibus diebus. *Jer.17.v.19.* Pravum est cor hominis *Eph.2.v.3.* Eramus naturâ filii iræ sicut & cæteri. *Joh.3. v.6.* Quod natum est ex carne caro est *Psal.14. v.3* Omnes declinaverunt simul abominabiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. *Matth.12.v.34.* Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali. *Luc.16. v.44.* Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere.

9. 2. *Ex testimoniis, quæ docent non-renatos in spiritualibus esse mortuos:* Nullus in spiritualib.mortuus, perfectè legē Dei implet. Atqui omnis non-renatus in spiritualibus est mortuus. Ergo. *Matth. 8. vers.22.* Si-

ne, ut mortui sepeliant mortuos suos. *Rom.9.v.13.* Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes. *Col.2.v.13. Eph.2.v.1.* Et vos convivificavit, cum essetis mortui delictis, & peccatis vestris. *1.Pet.2.v.24.* Christus pertulit peccata nostra in corpore suo, ut peccatis mortui justitiæ vivamus.

10. 3. *Ex testimoniis non-renatos peccati servos esse asserentibus:* Quicunque est peccati servus, ille non perfectè implet legem. Omnis nō renatus est peccati servus. Ergo. *Joh.8.v.34.* Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. *Rom.6.v.16.* Cui exhibetis vos servos ad obedientiam, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam. *vers.17.* Gratiæ Deo, quod fuistis servi, obedistis autem. *vers.19.* Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ. *2. Pet.2.v.19.* Servi sunt corruptionis: A quo enim quis superatus est, hujus & servus est.

11. 4. *A fidei carentia;* Quicquid enim est extra fidem, peccatum est, *Ro.14.v.23.* Et sine fide Deo placere, impossibile, *Heb.11.v.6.* Atqui omnia non-renatorum opera sunt extra fidem. Ergo sunt peccatum, & Deo non placent: Et per consequens legi Dei non sunt conformia.

12. 5. Ex *Rom.8.v.7.8. Sapientia carnis inimica est Deo: Legi enim Dei non est subjecta: Nec enim potest: Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Qui verò in carne sunt h. e. versantur in desideriis carnis, & propterea non possunt legi subjici, atque sunt inimici Dei, illi perfectè legem Dei non implent: Consistit enim perfecta legis impletio in perfectâ dilectione Dei. Atqui non-renati sunt in carne, & propterea non possunt legi Dei subjici, atque sunt inimici Dei. Ergo.

13. 6. Ex *Rom.7.v.14. Lex spiritualis est; Ego autem carnalis sum.* Et ex *1.Cor.2.v.14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, stultitia illi sunt, nec potest cognoscere.* Nullus verò merè carnalis perfectè implet legem spiritualem. Atqui omnis non-renatus est merè carnalis. Ergo.

14. 7. *A gratiosa Dei præsentiæ carentiâ:* Quicunque carent gratiosâ Dei præsentiâ, illi non faciunt opera Deo placentia, nec perfectè implent legem: Gratia enim Dei operatur in nobis bonum. Atqui omnis non-renatus caret gratiosâ Dei præsentia. Ergo. Majoris veritas

patet

patet ex plurimis Scripturæ dictis, ut Johan. 15. v. 5. dicit Christus: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Augustinus super hunc locum commentans dicit: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum nullum: quia sine me nihil potestis facere. Non dicit, sine me parum potestis facere, nec dicit, non poteritis ardui aliquid facere sine me, nec difficulter sine me poteritis, sed nihil sine me potestis: nec dicit, sine me nihil potestis perficere, sed nihil potestis facere.* 2. Cor. 3. v. 5. Sufficientia nostra ex Deo est. Phil. 2. v. 13. Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bonâ voluntate.

15. 8. *A Christi redemptione*: Quicunque non potuerunt liberari à maledictione legis absque Christi redemptione, illi ipsi perfectè legem non implent. Atqui nulli homines potuerunt liberari à maledictione legis absque Christi redemptione. Ergo.

16. 9. *A vitæ æternæ negatione*: Quibuscunque enim vita æterna justè denegatur, illi legem perfectè non implent. Atqui non-renatis vita æterna justè denegatur, *Act. 4. v. 12.* Extra Christum non est salus. *Joh. 17. v. 3.* Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. *Mar. 16. v. 16.* Qui credit, salvatur, qui non credit damnatur. Ergo.

17. 10. Piè igitur dicit Cyrillus lib. 9. cap. 44. *Opera fidei congruentia facere eorum solummodo est, qui Deum diligunt.* Et Augustinus tract. 3. in Johannem: *Vnde facti erant homines sub lege? Non implendo legem: Qui enim legem implet, non est sub lege, sed cum lege. Qui autem sub lege est, non sublevatur, sed premitur lege. Omnes itaque homines sub lege constitutos, reos facit lex, & ad hoc illis super caput est, ut ostendat quod peccata non tollat. Lex ergò jubet, dator legis miseretur; in eo, quod lex jubet, conantes homines implere viribus suis, quod à lege præceptum est, ipsâ temeritate, & præcipi præsumptione ceciderunt & non sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei.*

18. Fratereulos igitur suos hæreseos arguens Acosta Jesuita lib. 5. de procuranda Indorum salute cap. 3. scribit: *Vix satis mirari possum, quid præceptoribus quibusdam Scholasticis nostri seculi in mentem venerit, ut nunc quoque temporis, post tamdiu revelatum Christum sine Christi notitiâ salutem cuiquam æternam contingere posse confirment, indigna Theologo sententia, quæ (ut liberè, & verè dicam) nihil in sacris literis, nihil in sanctis Patribus firmitudinis habeat, tantùm humanâ quadam successione introducta.* Ibidem: *Quorum sententia, tametsi ipsi Catholici sint, est apertè hæretica, ut nihil ma-*

gis repugnet fidei, quasi verò fides ab Apostolis necessariò desiderata ad percipienda ea, quæ à creatura cognosci possit, & non potiùs ad ea, quæ in cor hominis non ascenderunt, nobis verò revelavit Deus per Spiritum, &c.

19. Factores legis perfectè legem implent. Atqui non-renati sunt factores legis, teste Apostolo, *Rom.2.v.14. Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Ergo.

20. Resp. 1. Aliud est legem perfectè implere, & aliud aliquid legis facere: Ethnici non perfectè legem impleverunt; sed aliquid tãtum legis fecerunt, h.e. quædam opera cum lege Dei congruentia peregerunt: Nam justiores externæ pædagogiæ, & honestati studuerunt: Inde non dicit Apostolus, gentes feciſſe legem, sed ἔθνη τὰ νόμε ποιῦσι faciunt ea, quæ sunt legis, & quæ cum eâ congruunt. 2. Qui verò peccat in uno, peccat in omnibus, *Jac.2.v.10.* Ergo legem perfectè non servat, nec ex ea justificatur. 3. Dicit Apostolus de Ethnicis, *Rom.2.v.15.* Quod cogitationes ipsorum sese invicem accusent. Et *cap.1.v.20.* Quod sint inexcusabiles. *vers.21.22.32.* Quod evanuerint in cogitationibus suis, & obscuratum sit insipiens cor eorum. Dicentes sapientes esse, quod stulti fuerint: repleti omni iniquitate, & digni morte.

21. Quæstio secunda: *An renati possint implere legem.* Vel: *An verè renati suis bonis operibus perfectam obedientiam, quam lex à nobis requirit, in hac vitâ præstare valeant?*

22. Resp. Controversia illa inter Pontificios & Protestantes est principalis, quando disputatur de legis impletione: Non enim in controversiam venit amplius, 1. De hominibus non-renatis, quos perfectè legem solis liberi arbitrii viribus non posse implere, ostendimus in quæstione præcedente. 2. Nec quæstio est de Christo: Hic enim venit legem non solvere, sed pro nobis implere. 3. Neq; quæritur de inchoatione novæ obedientiæ; Renati n. debent renovari in dies, lux ipsorum appareat oportet coram hominibus, fidem suam declarare debent bonis operibus. Itaque & debent, & possunt novam inchoare obedientiam. 4. Neque quæritur de imputatione obedientiæ Christi: Verè-fideles fide & imputatione legem implent. 5. Tandem neque quæstio est de statu innocentiæ, & gloriæ, an perfecta obedientia in istis statibus legi præstari potuerit, & futurum sit, ut id fieri possit.

23. Sed verus controversiæ status est *de operibus renatorum, an ea*

ita

ita perfectè, & cumulatè satisfaciant legi divinæ, ut nihil coram Deo in illis reprehendi possit?

24. Pontificii affirmationem amplectuntur. Verba enim concil. Trident. Sess. 6. cap 11. hæc sunt: *Nemo quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet: Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti: Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Et Can. 18 *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Colonienses in censura pag. 48. *Dicendum est nos ea, quæ Deus in lege præcepit, posse perfecta, & integra obedientia implere.* Wilhelmus Lindanus lib. 3. Panop. cap. 19. *Pios Christi spiritu adjutos non posse Dei legem implere, uti hodie docent Evangelici, illam resipit blasphemiam, quam D. Hieronymus alicubi abominatur simul & execratur, Deum impossibile aliquid præcepisse. Insana ista hæc doctrina, ac nefario in Deum sacrilegio impia cum sui absurditate pius sit auribus intolerabilis.* Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap: 23. pag. 942. *Non timemus asserere*, inquit, *posse hominem per gratiam Dei justificatum, ejusdem gratiæ adjutorio, & legem implere, & ea impletione vitam æternam promereri.* Idem lib. 4. de Justif. c. 10. pag. 1205. *Catholici* (Pontificii) *omnes summa consensione contrarium docent. Fatentur enim legem Dei justis hominibus absolutè esse possibilem, non quidem per solas vires liberi arbitrii, ut hæretici calumniantur nos dicere, sed per auxilium gratiæ, & spiritum fidei, & charitatis in ipsa justificatione nobis infusum.* Vitus Miletus in discussi libelli D. Heshusii de sexcentis erroribus. defen. cir. 45. p. 85. *Legem impleri posse per gratiam, qui negaverit, non homo, sed brutum est: Quid enim non potest, qui Deum adjutorem habet?* Costerus in Enchirid. cap. 6. de justif. Dicere, mandata Dei ab homine impleri non posse, non falsum, ait, est modo, sed cum gravi in Deum blasphemia conjunctum. Becanus Tom 1. opusc. p. 297. th. 37. *Patet*, inquit, *legem Dei non modo possibilem esse, sed etiam facilem, & jucundam iis, qui gratia Dei adjuvantur.*

25. Contrà sententia Protestantium est, legis impletionem renatis in hac vita non modò non esse facilem, sed etiam impossibilem.

26. Sententiam hanc confirmamus 1. Ex *Deut. 6. v. 5. Matt. 22. v. 37. Mar. 12. v. 30. Luc. 10. v. 27.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente

mente tua. Et proximum tuum sicut temetipsum. Quicunque igitur perfectè cupit implere Dei legem, ille ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus debet Deum diligere, & proximum suum (cujus nomine homo quivis etiam inimicissimus notatur, Matt. 5.) sicut semetipsum. Atqui illud à nullo hominum renatorum potest præstari. Ergo.

27. Excipiunt Pontificii: Nam Costerus in Enchirid. pag. 344. *Possumus diligere Deum in toto corde*, ait, *sicut de se fatetur David Propheta: In toto corde meo exquisivi te.* Becanus Tom. 1. opuscul. de justific. bon. operum, c. 1. th. 31. *Calvinus ait, præceptum hoc, Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, non posse impleri in hac vita. Catholici contrà statuunt, & probant exemplo Davidis, & aliorum sanctorum, qui illud servarunt.*

28. R. 1. *Refutat opinionem hanc ipsa verborum emphasis.* Nam disertè dicit Moses: Diliges Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex omni virtute, quæ verba diligentissimè in N. Testamento repetuntur ab Evangelistis, ob singularem, quæ ipsis inest emphasin, ut nimirum doceant, requiri non tantùm sinceritatem aliquam superficialem, & mutilatam, sed perfectionem summam. Nam *totum* in scriptura denotat *omne* annotante Flacio in Clave script. Augustinus dicit lib. de spirit. & lit. cap. 36. *Non restat in nobis aliquid quod addi possit ad totum, quod si restabit aliquid, illud non erit totum.* Philosophi dicunt: *Totum est, cui nihil* deest. Est verò in dicto illo Mosis observanda triplex totalitas, primò *totalitas objecti diligendi*, quod est *Deus, & proximus* sive sit noster amicus, sive inimicus. Deus igitur diligendus est totus, & quicquid ad eum refertur: Qui diligit Deum, & fratrem suum diligit, 1. *Joh.* 4. *v.* 21. Quare diligendus est & Deus, & omnis homo, etiam hostis noster. In his, qui voluntatem Dei non plenè exequitur, non totum Deum, sed dimidium diligit. Secundò, *totalitas subjecti diligentis*, quod est totus homo, secundum omnia ipsius membra omnesque ipsius vires. Nihil enim debet esse in ipso, quod non singulari ardeat amore Dei, & proximi, etiam inimici. Tertiò, *totalitas adjuncti temporis*: Præcipitur enim dilectio perpetua, & continua, nullo momento interrupta, *Deut.* 6. *vers.* 2. Custodias omnia mandata, & præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, & filiis tuis, & nepotibus tuis *cunctis diebus vitæ tuæ. Cap.* 11. *v.* 1. Ama Deum tuum, & observa præcepta ejus, & ceremonias, judicia atque mandata

data *omni tempore* Augustinus dicit lib.1.de doct.Christ.c.22. *Hac regula dilectionis divinitùs est constituta: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa, quæ confers. Cum autem ait: Toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.* Hinc ita inferimus: Quicunque nequit Deum, & quicquid ad Deum refertur, ut sunt amicus & inimicus, diligere ex totis viribus omni tempore, ille nequit legem perfectè implere. Atqui nullus id præstare potest homo, 1.*Reg.*8.*v.*46. Non est homo, qui non peccet. *Prov.v.*24.*v.*16. Justus cadit in die septies. *Gal.*5. Caro concupiscit adversus spiritum. *Rom.*7. Bonum, quod volo non facio: Perficere bonum non invenio. *Iac.*3. In multis labimur omnes. 1.*Ioh.*1. Si dixerimus nos peccatum non habere, fallimus nos ipsos. Ergo.

29. 2. Refutat opinionem eandem scopus Moïs, qui patet ex *Deut.*6.*v.*17.18. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, & ceremonias, quas præcepit tibi. Et fac, quod placitum est, & bonum in conspectu Domini. Exigit igitur ab Israëlitis suis obedientiam perfectissimam, & omnibus numeris completam, quæ exactissimè ad voluntatem divinam conformetur. Apostolus dicit, 1.*Tim.*1.*v.*5. Finis præcepti est charitas de corde puro. Quæcunque igitur dilectio stare nequit cum imperfectione, & excludit omnem vitiositatem, illa excedit vires hominum renatorum. Atqui dilectio *Deut.*6. præcepta stare nequit cum ulla imperfectione, & excludit omnem vitiositatem. Ergo. Deinde quæ dilectio proficisci debet ex corde mundissimo, illa superat in hac vita vires renati: *Quis n. dicere potest mundum est cor meum: Prov.*20.*v.*9. Atqui dilectio *Deut.*6. præcepta proficisci debet ex corde mundissimo, 1.*Tim.*1.*v.*5. Ergo.

30. Secundum argumentum, quo ostendimus legis ἀδυναμίαν sumimus *à spiritualitate legis, Rom.*7.*v.*14. *Lex spiritualis est, ego autem carnalis*: Quæ lex est spiritualis, ea superat vires hominis renati: quia homo renatus ex parte adhuc est carnalis; Lex autem spiritualis non nisi spiritualia exigit opera. Atqui lex moralis requirens à nobis dilectionem Dei ex toto corde est spiritualis. Ergo.

31. Tertium *à perpetua legis violatione*: Qui subinde legem violat,

& peccato carere nequit, ille perfectè legem implere nequit. Et per consequēs illius vires superat. Atqui omnis renatus subinde legem violat, & peccato carere nequit, idque thesi 28. ostendimus. Ergo.

32. Quartum ex *Act.15.v.10. Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neq; Pater nostri neq; nos portare potuimus.* Quod verò neque Patres fideles, neque Apostoli præstare potuerunt, illud & nobis renatis est impossibile. Atqui neque Patres nostri, neque Apostoli præstare perfectam obedientiam legi potuerunt. Ergo. vel ita: Cui lex est jugum importabile, ille eam nequit perfectè implere. Atqui lex etiam moralis est omni renato jugum importabile. Ergo.

33. Regerunt Pontificii asserentes Apostolum Petrum loqui de sola lege ceremoniali: Colonienses in censura fol. 52. *Scriptura sententiæ*, inquiunt, *quæ loquuntur de difficultate, & impossibilitate legis, quàm grave onus sit, quod nec nos, nec Patres nostri ferre potuerint, intelligenda non de diligendo Deo ex toto corde, & non de concupiscendo, sed tantùm de ceremoniis Mosaicis.* Bellarm. lib. 4. de justif. c. 14. pag. 1223. *Non loquitur S. Petrus nisi de lege ceremoniali. Id quod evidenter probo, primùm ex occasione illorum verborum. Scribit enim S. Lucas, surrexisse quosdam ex discipulis, qui dicerent, oportere gentiles conversos ad fidem circumcidi, atque istam fuisse causam, cur Apostoli concilium coegerint. Secundò idem probatur ex concilii decreto: Visum est Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneri, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à sanguine suffocato, & fornicatione. Hæc dicuntur necessaria ex solâ lege ceremoniali. Tertiò probatur ex ipsa summa decreti: Apostoli enim jugum importabile appellant legem ceremonialem, atq; ejus obligationem declarant per Christum omninò esse sublatam.* Becanus Tom. 1. opus. de just. bon. oper. c. 1. th. 39. dicit: *Certum est, Petrum non loqui de lege morali, quæ continetur in decalogo, & de quâ hic disputamus, sed tantùm de ceremoniali: Contendit enim Christianos non esse obligandos ad circumcisionem, & similes ceremonias Iudaicas.*

34. Resp. 1. Illam intelligit Apostolus legem, de qua fuit interrogatus à Pseudoapostolis, & Pharisæis. Atqui illa fuit & lex ceremonialis *v.1. & 5.* Et moralis, quæ ad justificationem sit necessaria, *v.5.10. 11.* Ergo. 2. Cui legi Pharisæi vim justificandi adscribebant, eam intelligit etiam Apostolus. Atqui eam adscribebant legi morali, *Matt.19.v. 16. Mar.10.v.17. Luc.18.v.18.* Ergo. 3. Illam intelligit Apostolus legem quæ erat jugum importabile. Atqui illa potissimum est lex moralis,

quæ

quæ omnium est gravissima, Bellarm. dicit lib. 4. de justif. c. 14. p. 1224. *Non lex ceremonialis dicitur jugum importabile, quia sola ipsa sit importabilis, sed quoniam adjuncta legi morali auget vehementer onus, & sit jugum ferè importabile homini jam onerato lege morali.* Ergo. 4. Cui legi in negotio justificationis opponitur gratia, de illa loquitur Apostolus, *Act.* 15. *v.* 11. Atqui gratia in negotio justificationis opponitur non tantùm legi ceremoniali, sed etiam morali. Ergo. 5. Cui legi erat facta promissio vitæ, & salutis æternæ, illam intelligit Apostolus Petrus, quia ejus observationem Judæi potissimum urgebant. Atqui promissio illa potissimum facta est legi morali, ejusque observationi, *Luc.* 10. *v.* 27. *cap.* 18. *v.* 18. 20. *Matt.* 19. *v.* 16. 18. *Mar.* 10. *v.* 17. 19. *Rom.* 2. *v.* 13. Ergo. 6. Itaq; occasionem ad hoc primum convocandum Apostolicum concilium non sola dedit circumcisio, sed etiam lex moralis.

35. Instat Bellarm. *illa*, inquiens, *lex*, quę *adhuc nos obligat, dici nequit ab Apostolo jugum importabile. Atqui lex moralis adhuc nos obligat. Ergo.*

36. Resp. Ad argumentum hoc responsum est in disputatione præcedente de abrogatione legis: Liberati enim sumus à maledictione legis, & obedientiâ rigorosâ, sed non ab obligatione ὑπηκοείᾳ evangelicâ temperata.

37. Quintum argumentum petimus *à peccato* homini renato inhabitante, ejusque malis actionibus: Nam 1. Renatus operatur opera odio Dei digna, *Rom.* 7. *v.* 14. Ergo perfectè legem non implet. 2. In homine renato peccatum inhabitat, & operatur, *Rom.* 7. *v.* 18. Ergo perfectam obedientiam legi non præstat. 3. Homo renatus bonum non perficit, *Rom.* 7. *v.* 18. Ergo licet aliquid legis, & aliquo modo legem faciat, non tamen perfectè eam implet.

38. Sextum *à pugnâ carnis & spiritus in renato*: In ipso enim caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus adversus carnem, *Gal.* 5. *v.* 17 Ergo perfectam obedientiam legi non præstat: Concupiscentia enim cui spiritus repugnat, est rei illicitæ.

39. Septimum *à fine missionis Christi*; Christus in hunc venit mundum, ut pro nobis legem impleret, *Matth.* 5. *v.* 17. *Gal.* 3. *v.* 21. *Rom.* 8. *v.* 2. Ergo nos eam perfecta non implemus.

40. Octavum *ab imputata obedientia à Christo legi præstita*: Christus, qui est legis perfectio, imputatur credentibus per fidem, *Rom.* 10. *v.* 4. Ergo ipsi fideles legem perfectè non implent.

41. Nonum, *ab operum imperfectione:* Omnium renatorum opera sunt imperfecta, *Esa.* 46. *v.* 6. Facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Ergo nullus renatorum omnibus numeris absolutam præstat legi obedientiam, quam lex exigit.

42. Quare verè scribit Bernh. Epist. 11. *Lex grave utiq; & importabile jugum super omnes filios Adam, seu inclinans, & incurvans cervices nostras, adeò ut vita nostra inferno appropinquaverit. Infelix ego homo quis meliberabit de corpore mortis hujus? Quo utiq; sic premor ut nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea.* Et serm. 2. in Vig. nat. *Propterea mandata sua mandavit custodiri nimis, ut videntes perfectionem nostram deficere, & non posse implere quod debet, confugiamus ad misericordiam, & dicamus, quoniam melior misericordia tua super vitas.* Chrysost. in c. 10. Epist. ad Rom. hom. 17. *Quid lex vult? hominem justum facere? sed non potest, nemo siquidem illam implevit.*

43. Oppugnant sententiam hanc scripturæ variè Pontificii, ad objectiunculas quasdam breviter respondebimus. Objectio prima: *Christus dicit, Matt. 11. v. 30. jugum meum suave est, & onus meum leve. Ergo ad observandum est possibile,* Concil. Triden. sess. 6. c. 11. Costerus in Enchir. c. 6. p. 244.

44. Respon. 1. Scriptura sibi non est contraria: Autor enim ejus est omniscius Deus. Legem verò moralem nominat jugum importabile, quod neque Patres nostri, neque Apostoli portare potuerint, *Act.* 15. *v.* 10. Ergo lex moralis non est jugum nobis portabile. 2. Dicitur verò jugum Christi suave, & onus ipsius leve non absolutè, sed secundum quid, nimirum *respectu inchoationis,* quia renati sunt filii Dei, & ducuntur à spiritu ejus, qui infirmitati ipsorum opitulatur. Deinde *respectu imputationis:* Quicquid n. fit vitiosè, propter Christi meritũ non imputatur. 3. Vel jugum illud, & onus hoc non incommodè explicatur de jugo crucis, & non de jugo legis, quæ explicatio colligitur ex *versiculo* 28. 29. Venite ad me, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, &c. Dicitur verò jugum hoc suave primò *in collatione ad infinitam iram Dei, & maledictionem,* quam Christus à nobis in se transtulit. Bernhar. serm. super Psalmum, qui habitat in tabernaculis tuis, *Onerat nos,* inquit, *cum exonerat Deus, onerat beneficio, cum exonerat peccato.* Secundò, jugum afflictionum, & tribulationum, quod homini

homini Christiano secundum voluntatem divinam imponitur, ut vetus Adam, ne erumpat, cohibeatur, caro coerceatur, dicitur onus leve *propter divinum auxilium:* Fidelis n. est Deus, qui non patietur vos tentari, supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione eventum, ut possitis sustinere, 1. *Cor.* 10. *v.* 13. Tertiò *propter æternam recompensationem gratuitam* : Pondus n. tribulationum verè momentanea est levitas, si comparetur cum æternæ gloriæ fruitione: Apostolus dicit 2. *Cor.* 4. *v.* 17 Momentanea levitas tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis Et *Rom.* 8. *v.* 18. Non condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 3. Alii jugum hoc exponunt *de doctrina Christi, seu de doctrinâ Evangelicâ*, quæ veram fidē inculcat, offert, & confert, ad inchoatamq; obedientiam instigat. Cōfirmant hanc interpretationem *primò ex contextu.* Nam *v.* 23. 24. Christus Capernitas reprehendit quod doctrinam Evangelicam à se repulerint, *v.* 25. Deo Patri agit gratias, quod eam occultaverit sapientib. *v.* 27. agit de cognitione, quæ ex hac habetur doctrinâ. *v.* 28. 29. subjicit ad hanc doctrinam invitationem. Secūdò *ex officio legis, & Evangelii.* Nam lex terret, accusat, & damnat; Evangeliū verò reficit, consolatur, & salvat: Qui verò onere peccati, quod lex manifestavit, sunt onerati, eos Christus ad se invitat dicēs *v.* 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Non a. reficit doctrinam præscribendo, quia non ipse, sed Moses, est legislator, *Ioh.* 5. *v.* 19. sed doctrinam evangelicam inculcando, quæ est potentia Dei ad salutem omni credenti, *Rom.* 1. *v.* 16. Tertiò *ex jugi & oneris limitatione*: Dicit enim Christus jugum MEUM, onus MEUM. Intelligit igitur non doctrinam Mosaicam sed Evangelicam, quam ipse annunciavit. Nominatur verò doctrina hæc *jugum & onus* respectu veteris hominis, qui legi mentis repugnans exuitur; & contrà novus homo induitur. Nominatur jugum, & onus hoc *leve & suave* respectu doctrinæ legis; quæ neque vires ad novam obedientiam confert, neque obedientiam inchoatam acceptat.

45. Objectio secunda: *Mandata Dei non sunt gravia*, 1. *Ioh* 5 *v.* 3. *Ergo non sunt impossibilia*, Concilium Trident. sess. 6. c. 11. Colonienses in censura pag. 53.

46. Resp Utrumque affirmat scriptura. Utrumq; igitur est verum. Mandata Dei sunt jugum, quod neque Patres, neque Apostoli

ferre potuerunt, *Act.*15.*v.*10. Sapientia carnis non potest legi Dei subjici, *Rom.*8.*v.*7. Sunt verò mandata Dei gravia, & non gravia, sed respectu diverso. *Gravia sunt absolutè, & in se spectata*, quatenus sunt mandata Mosis omnibus numeris consummatam obedientiam requirentis, & in eos, quorum obedientia imperfectione aliquâ laborat maledictionis fulmen torquentis. Invictum enim est fundamentum hoc: *Qui non caret peccato, ille est prævaricator legis: Peccatum enim est legis prævaricatio. Atqui nullus sanctorum caret in hac vita peccato.* Ergo. Mandata verò Dei gravia non sunt 1. *peccati non-imputatione*: Renatis enim peccata ad damnationem non imputantur, sed merito Christi, tanquam præstantissimo velamine teguntur, *Psal.*31.*v.*1. *Rom.*4.*v.*7. Mandatorum igitur gravitas in rigorosâ totius legis obligatione sub æternæ damnationis pœnâ consistens per Christi obedientiam tollitur, Augustinus lib.1.retract. cap.19. *Omnia mandata*, inquit, *facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur.* 2. *Obedientiæ, & satisfactionis Christi per fidem imputatione.* Cum enim Christus obedientiâ suâ legem impleverit, quæ fidelibus ad justitiam imputatur, ideò ipsis gravia non sunt, quippe quæ ipsorum loco à Christo sunt impleta. 3. *novæ obedientiæ inchoatione*: Nam Spiritus S. fidelium corda gratiosè inhabitans non est otiosus, sed interiùs renovat, charitatis facem accendendo hujusmodi in ipsis operatur velle, ut delectentur lege Dei, *Rom.* 7.*v.*22. *Psal.*1.*v.*2. *Ps.* 119.*v.*14. Sint Zelotæ bonorũ operum, *Tit.*2.*v.*14. Hoc igitur respectu mandata Dei non sunt gravia credentibus: Opera enim illa dilectionis, quæ Spiritus S. auxilio inchoantur, clementer acceptat Deus, videatur Chemnitius par.2.L.C. p.24.

46. Objectio tertia: *Omnia possum in eo, qui me confortat*, Phil.4. *v.*13. *Vbi vides*, inquit Bellarminus lib.4.de justif.11. p.1206. *dilatationem cordis per infusam charitatem, & gratiam Domini confortantem efficere, ut mandata facile conserventur. Quod multo ante futurum prædixit Ezech.*c.36. *v.*27. *cum ait: Spiritum meum ponam in medio vestri & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis.*

47. Respon. 1. Si universalis illa particula, omnia possum, absolutè, & simpliciter est accipienda, sequitur Apostolum potuisse infernum destruere, & mundum redimere, ἄτοπον. 2. Apostolus fatetur Rom.7. se non agere, quod vult: se facere, quod odio habet, *vers.* 15.16.

15.16.19. Malum adjacens in se operari malum, *vers.* 20.21. Legem repugnantem hærere in membris suis, & captivare se in peccato, *vers.* 23. 24. Ergo verba illa Apostoli non sunt absolutè accipienda. 3. Sunt verò limitanda, & restringenda ad mentem, & scopum Apostoli, qui est de adversis, & prosperis, quæ Apostolus cum animi moderatione perfert. 4. Potest verò illa omnia in Christo: Reduplicativè igitur dictum hoc Apostoli, hoc sensu est intelligendũ: *Omnia* quæ possum, & quatenus possum, non ex meis viribus, sed in Christo possum. 5. Si morosè Pontificii instent, & ad legis impletionem verba Apostoli detorqueant, respondebimus distinguendo *inter perfectionem inchoationis, seu partium, & consummationis, seu graduum*: Prior, & non posterior adscribitur Renatis. 6. Renati dicuntur ambulare in præceptis Dei respectu impiorum, & hypocritarum, atque respectu inchoatæ novæ obedientiæ, & non respectu consummatæ.

48. Objectio quarta: *Gen.17. v.1. Ambula coram me, & esto perfectus. Matt.5.v.45. Estote perfecti. Ergo renati possunt esse perfecti.*

49. Resp.1. *A præcepto ad posse non valet consequentia.* 2. Præcipitur etiam non-renatis, ut sese convertant, & legem Dei perfectè impleant, sed hinc ad possibilitatem Pontificiam argumentari, non licet. 3. Etiamsi renati summo conatu ad perfectionem summam contendant, non tamen eam in hac vita assequuntur teste Apostolo, *Phil. 2.v.12.* 4. *Perfectionis* vocabulum attribuitur etiam obedientiæ inchoatæ, notatque sinceritatem, & opponitur hypocrisi.

50. Objectio quinta: Idem evincere conantur exemplorũm inductione. PRIMUM EST DAVIDIS, *qui dicitur viam mandatorum Domini cucurrisse, & in toto corde Dominum exquisivisse, Psal.119.v.10.32.3. Reg.14.v.8.c.15.v.5. Act.13.v.22.* SECUNDUM JOSIÆ, *qui reversus est ad Dominum omni corde suo, in tota anima sua, & in universa viriute sua, 2.Reg. 23. v.25* TERTIUM ASÆ, EJUSQVE POPULI, *qui in tota voluntate sua quæsierunt Dominum, & invenerunt, 2.Par.15.v.15.* QVARTUM EST JOSUÆ, *qui universa implevit, quæ præcepit Moses; Non præterit de universis mandatis, nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Mosi, Ios.11.vers.15.* QVINTUM ZACHARIÆ ET ELISABETHÆ, *qui ambo erant justi ante Deum incedentes in omnibus mandatis sine querela, Luc.1.v.6.* SEXTUM DISCIPULORUM CHRISTI, *qui sermonem Domini servarunt, Ioh.17.v.6.*

51. Resp.1. Absolutè non posse intelligi encomia illa, quasi David & alii

& alii omnimodam obedientiam legi præstiterint, ex ipsorum patet factis: Nam DAVID fuit adulter, & homicida, arroganter populũ numerabat, in familiam Nabalis sæviebat. Delicta igitur sua deplorat, eorumq; remissionem petit, *Ps.*19.*v.*13. *Ps.*103.*v.*2. *Ps.*143.*v.*2. JOSIAS bellum non necessarium movebat, in quo obiit, 2. *Par.*33.*v.*20. ASA reprehenditur, eò quod fiduciam habuerit in rege Syriæ, & non in altissimo, & quod Prophetam in carcerem conjecerit, violenterque quosdam de populo tractarit, 2. *Paral.*16.*v.*7.10.12. JOSUAM, qui absque peccato fuisse dixerit, ex numero hominum eximat, oportet. ZACHARIAS ob diffidentiam punitur, *Luc.*1.*v.*18.20. De discipulis Christi dicit Petrus, *Act.*15.*v.*10. *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neq; NOS portare potuimus.*

52. 2. Phrasis *ex toto corde* dupliciter usurpatur in scriptura. Vel enim notat obedientiam summam, & omnibus numeris perfectam sine ullius pravæ concupiscentiæ, aut alterius peccati maculâ; In hac significatione de nullo renato potest prædicari; vel opponitur hypocrisi, & externæ simulationi, notatq; obedientiam non frigidam, & Pharisaicam, sed sinceram, & veram in peculiari aliquâ obedientiâ. Itaque *toto corde, & perfecto corde* opponitur duplici cordi: Cultum n. hypocriticum scriptura ita describit, ut *Psal.*12.*v.*13. Corde, & corde locuti sunt. similia vide 1. *Paral.*12.*v.*33.38. *Esai.*29.*v.*13. *Iac.*1.*v.*8.

53. Objectio sexta: *Si legis mandata sunt impossibilia, & non justificant. Ergo sunt frustranea.*

54. Resp. Quamvis præcepta legis ob peccatum hunc non habeant usum, ut justificent, habent tamen alios usus insignes, & quidem 1. *Debiti, & infirmitatis nostræ commonitorium*: Docent n. quid præstare debeamus, quod ob infirmitatem non possumus. 2. *Pædagogium: Gal.*3.*v.*24. 3. *Ad preces invitatorium*: Ambrosius dicit super Lucam c.7. *Agnoscendo peccatum veniam peto.* 4. *Bonorum operum instructorium*: 5. *Damnatorium*: Augustin. in Psal.94. *Si Deus*, inquit, *velket pro meritis agere, non inveniret, nisi quod damnaret.* 6. *Ad studium bonorum operum excitatorium*: ad quæ voce legis excitamur: Augustinus dicit libr. 1. ad Valerium cap. 29. *Nisi esset quandoque perficiendum, nunquam jubendum fuisset.*

Finis Disputationis LXI.

DISPUTATIO LXII.

QUÆ EST

DE BONIS OPERIBUS IN universali prior.

Resp. Johanne Balhorn Susatensi Westphalo.

THESIS I.

FIDES per bona opera est efficax, *Gal.5.v.6.* Et sine operibus est mortua, *Jac.2.v.26.* Duo Igitur Christianismi sunt momenta, fides, & studium bonorũ operum: Illa habet se instar causæ; hoc instar consequentis proprii à formâ promanantis, Augustinus in lib.de fide, & operibus cap.14. *Cum dicit Apostolus, arbitrari se, justificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit, ut percepta, ac professà fide, opera justitiæ contemnantur: Sed ut sciat, se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non antecedunt justificandum.* Itaque postquam egimus de justificatione & ostendimus, neminem ex lege justificari, recto ordine sequitur, ut agamus de justificatorum fructibus.

SENTENTIA PROTESTANTIVM.

2. *Bona opera sunt actiones interiores, & exteriores mandatæ in Decalogo, quæ Spiritu S. autore, & adjutore fiunt à renatis juxta normam legis divinæ ad Dei gloriam, fidei testimonium, & proximi utilitatem.*

3. Appellatio bonorum operum est vel generalis complectés totam hujus loci doctrinam, *Tit.2.v.14. Eph.2.v.10.* vel specialis denotans aliquam tantùm speciem, *1.Tim.2.v.10. 2.Thess.2.v.17.* Dn. Chemnitius appellationes bonorum operum redigit in certas classes: Quædam enim ostendunt causam efficientem, quædam formalem, quædam subjectum, quædam finem & effectum.

4. Synonyma ferè sunt, Bona opera, *Matth.5.v.16. Act.9.v.36.* Sanctificatio, *Rom.5.v.15.* Renovatio mentis, *Rom.6.v.4.* Justificatio bonæ conscientiæ, *Rom.9.v.1.* Sacrificia, *1.Pet.2.v.5.*

5. Genus bonorum operum est appellatio *actionis*, quia per eam describuntur passim in Scripturâ, & quidem non per externam tantùm, sed potissimùm per internam, quam lex etiam requirit, & Deus novit, *Deut.6.v.5. Esa.29.v.13.*

6. *Causa efficiens bonorum operum principalis, & summus author est Deus*, qui ea vult, mandat, & suo Spiritu ad operandum homines ducit, eosque operantes juvat. Vult ea, *1.Thess.4.v.3.4.* Mandat, *Joh.13.v.34.* Efficit, *Philip.2.v.13.* Hinc virtutes Christianæ dicuntur fructus Spiritus, *Gal.5.v.22.* Et qui his studiosè vacant, nominantur spirituales, *Gal.6.v.1.*

7. *Norma bonorum operum*, seu causa instrumentalis dirigens est lex. Itaque opus propriâ intentione susceptum, & lege non comprehensum bonum non est, *Num.15. vers. 39. Deuter.4. vers.2. cap.12. vers.8. Matth.15.v.2.*

8. *Causa efficiens bonorum operum proxima est renatus fidelis.* Quicquid enim est extra fidem, peccatum est, *Rom.14.v.23.* Arbor mala non potest ferre fructus bonos, *Matth.7.v.18.* Hinc est regula: *Bona opera non nominibus, sed adverbiis judicanda sunt.* Oportet igitur non tantùm justa fieri, sed etiam justè. Unde Apostolus nos vivere jubet *sobriè, justè, & piè.* Scholasticæ quædam hoc loco tradi solent distinctiones, ut 1. quod opera quædam sint à Spiritu S. sed non cum Spiritu S. hoc est, quod sint à Dei motu quodam extraordinario, sed non sint cum Spiritu sanctificante, ut in Aristide justitia, in Cicerone eloquentia. 2. Quod quædam sint à Spiritu S. & cum ipso, ut fides in credentibus, & ipsorum bona opera. 3. Quod quædam sint cum Spiritu S. & non ab ipso, ut peccata venialia. Modus verò loquendi, *cum Spiritu S.* explicatur de gratiosâ præsentiâ, ex *Roman.9. v.1. cap.14.v.17. 1.Cor.12.v.13. 2.Cor.6.v.6. 2.Thessal.2.v.13. 1.Pet.1.v.2.* 4. Quod quædam opera sint nec à Spiritu S. nec cum ipso ut peccata mortalia, videatur *Armandus de Bello visu Tract.2. cap.126.*

9. *Forma bonorum operum intrinseca, & constituens est ἐννομία*, seu conveniencia cum lege, atque sic cum voluntate divinâ, cujus lex est expressio.

pressio. Forma quasi extrinseca, assistens, & denominativa, quâ Deo sunt accepta, est fides, quæ Christum apprehendit, *Joh. 1. vers. 12. Col. 2. vers. 6.* Et propter quem apprehensum Deo placent, *Ephes. 1. vers. 6.* Quamvis verò opera hæc in se spectata magnâ imperfectione laborant, *Eccles. 7. v. 21.* quia in voluntate Dei renovatâ adhuc sunt multæ imperfectiones: Supplet tamen ipsos defectus CHRISTUS apprehensus, & tegit imperfectiones: Ipse enim pro nobis legem perfectè implevit, cujus perfecta impletio fide nobis imputatur, *Rom. 4. v. 5. c. 8. v. 3. 4. Gal. 4 v. 4. 5. 2. Cor. 5 v. 21. 1. Pet. 2. v 5.* Itaque dupliciter dicuntur bona, respectu Christi legaliter, respectu imputationis Evangelicè.

10. *Fines bonorum operum possunt ad tres classes referri.* Primò à renatis sunt facienda *ad Dei gloriam propagandam, Matth. 5. vers. 36. 1. Cor. 10. vers. 31. Phil. 1. vers. 11.* Dei enim est voluntas, ut bene operemur, *1. Thess. 4. v. 3. 1. Pet. 2. v. 15.* Ipse mandavit, *Levit. 11. v. 44. c. 19. v. 2. Esai. 1. v. 36. Matth. 5. v. 16.* Quare renati bene operentur ad gloriam Dei mandatis, *Joh. 13. vers. 34. Christi redimentis, Tit. 2. vers. 12. Roman. 6. vers. 4. Spiritus S. sanctificantis, & ad participandam sortem sanctorum in lumine vocantis, 1. Cor. 1. v. 2. 2. Timot. 2. vers. 21. Col. 1. vers. 9. 12. Joh. 16. vers. 8. 13.* Renati enim Dei sunt filii, *Matth. 5. versic. 45.* Servi, *Luc. 17. versic. 10.* Peculium, *Tit. 2. vers. 14. 1. Pet. 2. vers. 9.* Templum *1. Cor. 6. v. 19.*

11. Secundò ad fidem ostendendam, *Jac. 2. vers. 17.* iram Dei vitandam, *Roman. 8. vers. 13. Gal. 5. vers. 19. 20. 21.* vocationem, electionem, & spem suam confirmandam, *2. Pet. 1. v. 10. 1. Thess. 4. vers. 7. Col. 1. vers. 22. 23.* Tertiò *ad proximi ædificationem*, & quidem si nondum sit conversus, ad eum vitæ sanctimoniâ lucrandum, *1. Pet. 3. v. 16.* vel ad redarguendum, *Tit. 2. v. 7. 8.* Si verò sit conversus, ne quis ei sit scandalo, *1. Cor. 10. v. 32. 2. Cor. 6. v. 3.*

12. *Fructus bonorum operum* ex gratuitâ promissione proficiscentes sunt omnis generis bona, quæ generatim piis promittuntur, *Levit. 26. v. 3. 4. Deut. 11. v. 22. Cap. 28. v. 1. Psalm. 41. 112. Prov. 3. v. 10. 11.* Nam secundum opera fit retributio, *Rom. 2. v. 6. 7. 10. Dan. 12. v. 2. 3. 2. Cor. 5. v. 10.* Et quidem in utraque vitâ, *1. Tim. 4. v. 7.* Ratæ verò sunt promissiones illæ in Christo, *2. Cor. 1. v. 20.*

13. *Objectum sunt Deus, & proximus, Matth. 22. v. 37. 38.* Sub quo & ipse, qui studet bonis operibus, comprehenditur.

14. Distinguit Augustinus inter opera legis, & gratiæ rationem distinctionis petens ex causa efficiente agente: Apostolus *Rom. 6. v. 14.* docet, renatos non esse sub lege, sed sub gratiâ.

Sententia Pontificiorum.

15. Non fidelium tantùm, sed infidelium etiam opera Deo sunt grata, quia à longè, & remotè disponunt, *Salmeron lib. 15. p. 41. Bellarminus lib. 5. de justif. cap. 22.*

16. Opera justorum absolutè sunt bona, *Bellarminus lib. 4 de justif. cap. 16.*

17. Lutherani bonorum operum sunt hostes, *Bellarminus lib. 4. de not. Eccl. Hadrianus jungius pag. 190.*

18. Bona opera sunt necessaria ad salutem, *Bellarminus* lib. 4 de bonis operibus cap. 1.

19. Non merendi tantùm, sed etiam satisfaciendi vim habent, Gregorius de Valentiâ Tom. 3. Disp. 7. q. 20.

20. Salutem igitur, ut procreant, ita eandem conservant. *Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 23.*

21. Christi gloria illustratur, eò quod opera nostra ab eo vim justificandi acceperint, *Costerus in Enchir. p. 292.*

Status Controversiæ.

22. Quare oppugnantur à Pontificiis potissimum causa efficiens proxima, & fines bonorum operum: Statuunt enim ipsi bona opera mereri vitam æternam: Costerus in Enchir. pag. 285. *Ex Scripturis*, inquit, *manifestum evadit, justorum opera apud Deum mereri, iisq; mercedem vitæ æternæ deberi.* Et pag. 290. *Homo justus*, inquit, *non solùm vitam æternam meretur operibus bonis, sed ampliorem etiam gratiam Dei, atq; justitiam in hac vitâ.*

23. Quæstio prima: *An infidelium opera legi naturæ conformia Deo sint ingrata?* Seu: *An actiones non-renatorum rectè peccatis annumerentur?*

24. Resp. Concilium Trident. Sess. 6. Can. 7. *Si quis*, ait, *dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunq; ratione facta sunt, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementiùs quis nititur, se dis-*

ponere

ponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema sit. Salmeron Tom. 15. pag. 41. *Triplicia sunt operum genera*, inquit, *alia, quæ prodeunt in lumine naturæ sine ullâ fide, quæ nec justificant, nec ad justificationem disponũt, nisi longè, & valdè remotè. Qui enim legibus mortalibus assueſceret, minùs esset indispositus, & minus resisteret divinæ gratiæ, & vocationi. Secundum genus operum à fidei lumine proficiscitur, ante charitatem tamen, & gratiam, & talia acceptantur à Deo, ut dispositiones ad justificationem sufficientes. Tertium à fide per charitatem operante prodit, & à jam justificato: Et hæc sunt illa opera, quæ meriti rationem habent, & quæ augent, & perficiunt justitiam,* Bellarminus lib. 5. de justif. cap. 22. *Potest*, inquit, *homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare, & mereri ex congruo gratiam justificationis* Costerus in Enchir. cap. 6. p. 276. scribit: *Infidelium opera non ex infidelitate oriuntur, sed aliunde, velut ex naturali instinctu, & rectæ rationis judicio, & hæc nemo dixerit esse peccata.*

25. Protestantes verò de quæstione hac rotundè & accuratè suam proponunt sententiam in libro Concordiæ pag. 700. 701. *Quomodo, & quâ de causâ, bona credentium opera (licet in hac carne nostra impura, & imperfecta) Deo placeant, & accepta sint: videlicet, propter Dominum nostrum Iesum Christum, per fidem: Propterea quod persona Deo accepta est: Etsi enim illa, quæ ad conservandam externam disciplinam faciunt (qualia etiam ab infidelibus, & non ad Deum conversis hominibus fiunt, & quidem requiruntur) suam, coram mundo, dignitatem, & laudem habent: & temporalibus quibusdam præmiis, in hoc mundo à Deo ornantur: attamen cum non ex verâ fide proficiscantur, revera coram Deo sunt peccata, h. e. peccatis, & immunditia reputantur, propter naturæ humanæ corruptionem, & quia persona cum Deo non est reconciliata: Mala enim arbor non potest bonos fructus ferre. Et in ea, quæ ad Romanos scripta est, legitur: Quicquid non ex fide est peccatum. Necesse est enim, ut persona Deo anteà placeat, idq; propter solum Christum, si modò personæ illius opera Deo placere, & accepta esse debent.*

26. Sententiam hanc declaraturi cum Augustino dicimus libro 4. contra Julianum, cap. 3. *Distinguenda esse opera, quæ per peccatum sunt ingressa ab iis, quæ sunt opera creationis Dei in homine adhuc reliqua: Anima, & corpus, & quæcunq; bona animæ, & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt, quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. Ita notitia numerorum, notitia legis naturæ, & omnes veræ notitiæ in homine sunt per se, & suo ordine res bonæ: Artes etiam, & leges veræ, inde extructæ, sunt res bonæ. Sic*

affectus nonnulli in homine sunt lege Dei præcepti , nonnulli lege Dei prohibiti.

27. Deinde dicit Augustinus de nat. & gratiâ cap. 3. *Omnia bona, quæ natura habet, in formatione, vitâ, sensibus, mente, &c. à summo Deo creatore, & artifice suo habet. Vitium verò, quod ista naturalia bona contenebrat, & infirmat, ut illuminatione, & curatione opus habeat, ex originali peccato contractum est. Naturalia igitur bona , quæ adhuc in homine reliqua sunt , variè , & horribiliter per peccata vitiata , læsa , & contaminata sunt.*

28. Tertiò , *actiones quædam suo genere sunt indifferentes , quæ tum sunt bonæ si bene fiunt ; Quædam suo genere sunt vitiosæ, & lege Dei prohibitæ; Quædam suo genere non sunt vitiosæ, ut virtutes ethicæ, Politicæ, & Oeconomicæ inventiones artium , constitutiones honestarum legum.* Actiones igitur hæ per se , & suo genere non sunt vitiosæ , hoc est, ipsa materia , seu substantia actionum non est mala ; Peccatis verò in non-renatis annumerantur per accidens , & quidem 1. *respectu causæ efficientis existentiæ subjecti, & personæ non-renatæ* : Qui non est idoneus cogitare aliquid boni ex se , tanquam ex se , ille multò minus potest producere actiones Deo placentes. Atqui nullus non-renatus idoneus est cogitare aliquid boni ex se , tanquam ex se , 2. *Cor.* 3. *v.* 5. Ergo multò minus potest producere actiones Deo placentes : Quicquid ab impuro fit, impurum est, *Joh.* 14. *v.* 4. Mala arbor nequit bonos fructus producere, *Matth.* 7. *v.* 8.

29. 2. *A causâ, propter quam solam Deo placent opera* , quæ est fides : Quicquid est extra fidem , peccatum , & Deo displicet, *Rom.* 14. *vers.* 23. Sine fide impossibile est placere Deo, *Heb.* 11. *vers.* 6. Deus respexit ad Abelem , & munera ejus : Ad Cainum verò non respexit, *Gen.* 4. *vers.* 4. 5. Quia fide Abel potiorem hostiam obtulit Deo, quàm Cain , *Hebr.* 11. *vers.* 4. Fides purificat corda , *Act.* 15 *vers.* 9. Atqui non-renatorum opera & actiones sunt extra fidem. Ergo.

30. 3. *A fine* : Quicquid non fit in Dei gloriam , Ecclesiæ, proximique commodum , illud non est opus Deo placens , sed coram Deo peccatum : Nam non actibus , sed finibus pensantur officia. Et non officiis , sed finibus à vitiis discernendæ sunt virtutes,

dicit

dicit Augustinus. Atqui non-renatorum ut & Ethnicorum virtutes fiunt, seu illi has referunt non in Dei gloriam, Ecclesiæ, proximique commodum, sed vel ad voluptatem, vel ad avaritiam, vel ad ambitionem. Ergo non placent Deo: Injustum enim & sacrilegium est, virtutes debere vitiis.

31. 4. *A consensu Patrum*: Augustinus lib. 3. ad Bonifac. cap. 10. *Sine fide*, ait, *etiam quæ videntur bona opera in peccata vertuntur.* Ambrosius de vocat. gent. lib. 1. c. 3. *Sine cultu veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest.* Et lib. 3. cap. 1. *Apostolus non dixit: Omne quod non est ex fide, nihil est, sed dicendo, peccatum est, declaravit, quod si non fuerunt ex fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia, quæ non juvant suos operarios, sed condemnant: inflatosq; præcipitant, atque à finibus æternæ salutis eliminant.* Anshelmus in 14. ad Rom. *Omnis vita infidelium peccatum est, & nihil bonum sine summo.* Nazianzenus in Orat. reversi ex agro: οὐκ ἔστι χωρὶς πίστεως πρᾶξις ἐνάρετος, sine fide nullum opus bonum, seu approbatum est. Chrysostomus in Epist. ad Rom. οὐδὲν ὄφελος ἀγάπης πίστεως χωρὶς, μᾶλλον δὲ οὐδ' ἄν γένοιτο ἀγάπη ἑτέρως. Nullus usus charitatis absque fide: imò verò charitas aliter non existit. Bernhardus serm. 4. in ascens. *Quicquid sine fide præsumitur, nulla est animi solida virtus: sed ventosa quædam inflatio, & tumor inanis.* Et Serm. 22. in Cant. *Quid vobis Philosophis cum virtutibus, qui DEI virtutem Christum ignoratis.* Sermon. de donis Spiritus S. cap. 1. *Omne virtutum ædificium illico vergit in præcipitium, si gratiæ amiserit præsidium.* Irenæus lib. 3. cap. 22. *Sicut nihil est delectabile hominibus sine luce: Sic similiter nihil est delectabile neq; acceptum Deo sine fidei lumine.*

32. Objectio prima: *Actiones suo genere non sunt vitiosæ. Virtutes non-renatorum sunt actiones. Ergo non sunt vitiosæ, nec peccatum.*

33. Resp. 1. Virtutes illæ per se, suo genere, & formaliter non sunt peccatum, sed per accidens coram DEO peccatis annumerantur, nimirum ratione efficientis, subjecti, & existentiæ. 2. Sic cor pravum dicitur, *Jerem. 17. vers. 9.* non quasi formaliter & substantialiter sit pravum, sed quia est coinquinatum,

pravum

pravum dicitur, ita actiones, quæ fiunt à personis nec regeneratis, nec renovatis, sunt vitiosæ. Sic oratio impii dicitur fieri in peccatum, *Psalm.* 109. *v.* 7. Sacrificium, atq; immolatio peccantium dicitur esse abominatio Jehovæ, *Esa.* 1. *v.* 13.

34. *Nullum Dei opus est peccatum. Atqui excellentes, & heroicæ virtutes Ethnicorum sunt peculiaria opera, & bona Dei. Ergo.*

35. Resp. 1. Quatenus sunt opera Dei, non sunt peccata, ut nec cor, quatenus est creatura Dei est pravum, sed quatenus est pollutum, vitiosum dicitur, ita & virtutes infidelium. 2. Quare peccatis illæ accensentur per accidens, quia in infidelibus contaminantur, qui & eis abutuntur.

36. Objectio tertia: *Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide peccatum est, objicit Julianus Augustino.* Erasmus dicit: *Num, quando Socrates honestâ disciplinâ gubernat mores, idem est coram Deo, ac si vel sororem stuprasset, vel matrem veneno sustulisset.*

37. Resp. 1. Repetimus responsionem datam, nimirum non suo genere actiones illas esse vitiosas, sed per accidens, eò quod fiant à personâ non regeneratâ, & fide destitutâ. 2. Salvator dicit *Matth.* 11. Tolerabilius erit Sodomæ in die judicii, quàm Corazin. Et Augustinus *qui boni*, inquit, *non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali.* Itaque peccata gradibus inter se differunt. 3. Bona opera non ex nominibus, sed ex adverbiis judicanda sunt. Bona igitur sunt, si bene fiant. Augustinus dicit: *Catholica fides justos ab injustis non operum, sed ipsà fidei lege discernit, sine quâ, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.* Et Epist. 99. *Virtutes gentilium*, inquit, *quâdam indole animi ita delectant, ut eos, in quibus hæ fuerunt, vellemus præcipuè ab inferni cruciatibus liberari, nisi aliter se haberet sensus humanus, aliter justitia creatoris.*

38. Quæstio secunda: *An opera justorum absolutè, seu perfectè sint bona?*

39. Resp. Bellarminus dicit lib. 4, de justif. cap. 16. *Opera simpliciter sunt bona, atq; à peccatis verè proprieq; distincta.* Et paulò pòst: *Opera fidelium possunt esse simpliciter, & absolutè bona.*

40. Adversatur verò opinio hæc. 1. *Scriptura, & quidem primò, quæ docet opera justorum esse impura, Esa.* 64. *v.* 6. Facti sumus quasi immũdi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Quorum igitur opera sunt immunda, illorum opera non sunt absolutè perfe-

perfecta. Atqui omnium renatorum opera propter peccata ipsis adhærentia sunt immunda. Ergo. vel ita: Opus quod non procedit de corde puro, non est absolutè bonum, 1. *Tim.* 1. *v.* 5. Atqui renatorum opus non procedit de corde puro, *Esai.* 64. *v.* 6. *Prov.* 20. *v.* 9. Ergo.

41. 2. *Adversatur Scripturæ dictis, quæ agunt de perpetuâ legis violatione*: Qui enim peccatis non caret, & subinde legem prævaricatur, illius opera non sunt absolutè perfecta. Atqui nullus renatus caret peccatis & omnis subinde legem prævaricatur, 1. *Reg.* 8. *v.* 46. Non est homo, qui non peccat, *Prov.* 20. *v.* 9. Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? *Prov.* 24. *v.* 16. Justus cadit in die septies, *Rom.* 3. *v.* 23. Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei, *Jac.* 3. *v.* 2. In multis offendimus omnes. 1. *Joh.* 1. *v.* 8. Si dixerimus, peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ergo.

42. 3. *Adversatur propriæ renatorum confessioni*: Qui subinde pétit peccatorum suorum remissionem, ipsius opera non sunt absolutè perfecta. Atqui omnis renatus subinde eam petit, *Matth.* 6. *v.* 12. *Luc.* 11. *v.* 4. Dimitte nobis debita nostra. *Psal.* 19. *v.* 13 Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me *Psal.* 130. *v.* 3. Si observaveris iniquitates, Domine quis sustinebit? *Psa.* 143. *v.* 2. Ne ingrediaris in judicium cum servo tuo, quia in conspectu tuo non justificabitur ullus vivens. Ergo.

43. 4. *Adversatur confessioni Apostoli Pauli, Rom.* 7. *v.* 14. *& seqq.* Quicunque enim post renascentiam adhuc est carnalis, sentit aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis, facit opera detestanda, & justo odio digna, illius opera non sunt absolutè bona. Atqui fatetur post renascentiam de se illud Apostolus Paulus. Ergo.

44. 5. *Adversatur opinio hæc Bellarmini piis Patribus, & aliis quibusdam Papistis*: Bernhardus serm. 5. de verbis Esaiæ, *cernere est*, inquit, *quam sit justitia illa sublimis, quam sicut montes Dei Propheta esse miratur. Nostra enim (si qua est) humilis justitia, recta forsan, sed non pura. Nisi fortè meliores nos esse credimus, quam Patres nostros, qui non minus veraciter, quàm humiliter ajebant: Omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris: quomodo enim pura justitia nostra, ubi adhuc non potest culpa deesse.* Ambrosius lib. 2. de Jacob. c. 2. *carnalis infirmitas operibus impedimento est.* Hieronymus Epist. 29. ad Hieronym. *Charitas, quæ jam non potest augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine: quamdiu aût augeri potest, profectò illud, quod minus est, quàm debet, in vitio est, ex quo vitio non justificabitur in conspectu*

Dei omnis vivens. Cassander in Consultat. pag. 40. *Sunt merita nostra velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringitur, perforat manum innitentis, & quasi pannus menstruata sunt omnes nostræ justitiæ. Jugiter enim super pannum vitæ, quem justitiæ operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum: Quæ igitur ex eis poterit esse fiducia apud Deum, qui neminem diligit nisi ex toto corde conversum?* Johannes Hoffmeisterus in Harmon. August. Confess. Art. 6. pag. 121. *Non arbitror*, inquit, *quenquam tam stolidum, qui dicere ausit, opera nostra coram Deo, propter suam ipsorum bonitatem, & ex sui naturâ arrepta esse, nec ipsa egere misericordia, & proprietate Christo.*

45. Quæstio tertia: *Utrum Lutherus prohibuerit bona opera; An verò ea necessaria esse docuerit?*

46. Resp. Calumniantur Pontificii, Lutherum, & Protestantes prohibere bona opera, ipsorumque dogma aperire fenestras ad quasvis impietates, & introducere laxationem disciplinæ, & morum confusionem intolerabilem. Baronius in suo Jubilæo de Luthero scribit: *Non solum tale doctrinæ genus, de solius fidei absq; operibus justificatione in vulgus sparsit, quo tanquam Epicurea tuba omnes à sanctitate ad licentiam ac profanitatem avocati convolarunt; Verùm & de ipsis operibus bonis tàm contemptim ac perniciosè locutus est, ut nihil aliud nisi escam impietatis proponere hominibus voluisse videatur.* Hadrianus Jungius in Farragine suâ de doctrinâ, moribus, fructibusque Evangelicorum his alloquitur verbis Lutheranos: *Quocunque in loco vestigium ponitis, cernitur repente major flagitiorum licentia, minor ad omne facinus verecundia: multò audaciùs temeritas, impudentia, libido volitat: intolerabilis superbia, & arrogantia magis, quàm ante confirmatur: Prisca religio, atque sanctitas in contemtum adducitur: Pudor, metus, divinique judicii formido labascit, ac minuitur; contentiones, & dissidia augentur: denique multiorum scelerum colluvies, vel saltem horum scelerum, malorumque incrementa cum istâ novâ vestrâ disciplinâ importantur.* Johannes à Daventriâ in Harmon. Augustan. Confess. Art. 6. pag. 58. *Opera bona*, inquit, *quæ autore Luthero proscripta erant, ab exilio tandem revocata sunt.* Et paulò pòst: *Qui tum omnem movisset lapidem, ut omnis ex humanis cordibus benè operandi adimeretur affectus, omnisq; conatus, palmâ donabatur, eratq; præclarus hujusce choreæ ductor.*

45. De Diabolicâ verò hac calumniâ conqueruntur, & protestantur Protestantes: Articulus vigesimus Augustanæ Confessionis sic habet: *Falsò accusantur nostri, quod bona opera prohibeant. Nam scripta eorum,*

rum, quæ extant de decem præceptis, & alia simili argumẽto testantur, quod utiliter docuerint de omnib. vitæ generib. & officiis, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant, &c. Et Articulo sexto: *Item docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata à Deo facere, propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri.*

46. Idq; docet praxis Protestantiũ: Habent enim Conciones de reb. arduis, in quibus populus ad studium bonorum operum excitatur, mali voce legis terrentur, magistratus ad puniendum transgressores admonetur.

47. Sunt verò bona opera facienda. 1. *Propter* Deum creantem: Creati n. sumus ad bona opera, *Eph. 2. v. 10.* 2. *Propter Deum mandantem:* Ipse n. mandavit, ut bonis operib. studeamus, & mala fugiamus, *Lev. 11. v. 44. c. 19. v. 2. Esa. 1. v. 16. Matt. 5. v. 16. Joh. 13. v. 34. 1. Thess. 4. v. 3. 4.* 3. *Propter Christum redimentem:* Redempti n. sumus pretioso sanguine Christi, ut in justitiâ, & sanctitate vitæ ambulemus, *Luc. 1. v. 75. Rom. 6. v. 4. 2. Cor. 5. v. 15 Tit. 2. v. 14. 1. Pet. 2. v. 24. 4. Propter Spiritum S. sanctificãtem:* Nam per Baptismum nos regeneravit, & sanctificavit, ut veteri homine exuto inducamus novum & sanctitatem lectemur, *Rom. 8. v. 13. Gal. 5. v. 25. Eph. 4. v. 24.*

48. 5. *Propter Deum glorificantem:* Ut nostris bonis operib. Deus glorificetur, qui ipsorum est author, approbator, & remunerator, *Matt. 5. v. 16. Phil. 1. v. 11. 1. Pet. 2. v. 12. 6. Propter Dei imitationem, Eph. 5. v. 1. 1. Pet. 2. v. 21. 7. Propter gratitudinis nostræ erga Deũ declarationem, Rom. 12. v. 1. 1. Cor. 10. v. 31. Philip. 1. v. 11. 1. Pet. 2. v. 9. c. 4. v. 11.* 8. *Propter Evangelii dignitatem, Col. 1. v. 10. Phil. 1. v. 27. Tit. 2. v. 10. 1. Pet. 2. v. 12.*

49. 9. *Propter Deum vocantem*: Vocat enim Deus nos in vineam suam, ut bene operemur, *Matt. 20. v. 1. 1. Pet. 2. v. 5.*

50. 10. *Propter proximum*, ut eum ad veram pietatem invitemus, *Matth. 5. v. 16. 1. Cor. 9. v. 22. 1. Pet. 2. v. 12. c. 3. v. 1.* Ut ipsum juvemus, ipsũ amemus, non verbis, sed reb. & factis, *1. Joh. 3. v. 18. Rom. 14. v. 1.* Ut benefaciẽdo calũniatores cõfundamus, *Tit. 2. v. 8. 1. Pet. 2. v. 12. c. 3. v. 16.*

51. 11. *Propter nos ipsos*: Nam regeniti nova creatura sumus in Christo, *Rom. 6. v. 2. 2. Cor. 5. v. 17.* Quare oportet, ut fructus pœnitentiâ dignos edamus, fidem nostram bonis operibus declaremus, & consequamur præmia à Deo gratuita corporalia, & spiritualia, quæ ex immensa gratiâ Deus promisit.

52. Quare impudentissimè calumniantur Pontificii asserentes Lutherum, & Lutheranos bona prohibuisse opera. Nam de Lutheranorum, seu Protestantium sententia jam diximus. Lutherus verò improbat quidem, & damnat fiduciam, quam in bona opera mentes humanæ collocant; Sed non simpliciter ipsa opera improbat, sed potiùs commendat. Nam Tom. 4. Jen. lat. p. 165. scribit: *Necessariũ est, ut pii Doctores tàm diligenter doctrinã de bonis operibus urgeant, quàm doctrinam de fide: Satan enim utriq; infensus est, & accerrimè resistit, fides tamen primùm plantanda est: Sine eâ enim impossibile est intelligi, quid bonum opus sit, quid Deo placeat.* Ibidem pag. 109. *Extra causam justificationis nemo potest bona opera à Deo præcepta satis magnificè commendare: Quis enim vel unum opus, quod Christianus ex fide, vel in fide facit, utilitatem, & fructum satis prædicare potest? Est enim pretiosius quàm cœlum, & terra.* In Disputat. contra Eccii: *Eccius scit, me non ita sapere, quod bona opera non sint necessaria.* Idem in 5. caput Epist. ad Gal. *Si opera sola docentur, fides amittitur, si fides sola docetur, statim somniant homines carnales, opera non esse necessaria.* In libello de votis monasticis: *Opera Legis divina in Decalogo mandata,* inquit, *non justificant, nec sunt necessaria ad salutem, & justitiam, cum Paulus dicat: Ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Tamen necessaria sunt, neq; omitti possunt etiam præsente fide, quæ sola justificat, cum sint fructus fidei justificantis.*

53. Quare ipse Gregorius de Valentia Tom. 2. Disputat. 7. quæst. 6. pag. 991. hoc testimonium fert de Luthero: *Lutherus contra Antinomos apertè disputavit, Christianos aliis etiam obligari præceptis, ipsisq; bona opera esse necessaria.* Et Bellarminus sui immemor scribit lib. 4. de justif. cap. 4. *Videtur Lutherus docere, libertatem Christianam in eo consistere, quod pia conscientia libera sit ab omnibus operibus* NON FACIENTIS, *sed accusantibus, & defendentibus.*

54. Quæstio quarta: *An bona opera sint necessaria ad salutem?*

55. Resp. Possent quidem ad pauca redigi capita, quæ sunt inter Pontificios, & Protestantes de bonis operibus controversa, & quæri *primò de justitia operum, secundò de ipsorum meritis*; Sed quoniam Pontificii sese multis parergis oblectant, ideò, ne videamur maximè necessarias quæstiones neglexisse, vestigia ipsorum sequemur, & quid de propositâ quæstione statuant, ipsorum verbis proponemus.

56. Bellarminus scribit lib. 4. de justif. cap. 7. *Adversarii in eo conveniunt, ut bona opera non sint necessaria, nisi necessitate præsentia.* Cujus propo-

propositionis hic sensus est, ut opera bona fieri debeant, quoniàm alioqui fides non esset viva, nec vera, nisi fructus bonos faceret, quomodo ignis non esset ignis, nisi calefaciat: tamen opera bona non habeant ullam relationem ad salutem, quasi sint merita, causæ, conditiones &c. Nos, inquit, *contra dicimus, opera bona homini justo esse necessaria ad salutem, non solùm ratione præsentiæ, sed etiam ratione efficientiæ, quoniam efficiunt salutem, & sine ipsis sola fides non efficit salutem.* Et cap. 8. pag. 1204. *Sequitur conclusio*, ait, *necessaria esse ad salutem opera bona, non solum ratione præsentiæ, sed etiam alicujus efficientiæ, & non minus opera, quam fidem ad salutem suo modo referri.* Et cap. 7. p. 1199. Distinguit *inter Lutheranos rigidos & non rigidos*: Illos cap. 1. p. 1166. nominat Illyricanos, & Saxonicos; hos Majoristas, & Electorales. Idem propugnat Becanus Tom. 1. Opuscul. de justit. bon. oper. cap. 2. pag. 303. *Catholici*, inquit, *docent, opera esse necessaria ad salutem, & neminem salvari posse, nisi qui legem observat.*

57. Protestantium verò sententiam priusquàm proponamus, & declaremus propositionem hanc (*Bona opera ad salutem sunt necessaria*) resolvimus. Primò aliud igitur est, *necessarium esse*, & aliud, *ad salutem necessarium esse*. Secundò, *bona opera sunt necessaria*. Tertiò, vocabulũ *necessitatis* multifariam usurpatur. Est enim necessitas absoluta, sive consequentis, quam Theologi nominant necessitatem simplicis coactionis; vel est conditionata consequentiæ, sive ex hypothesi, quam Theologi non incommodè nominant necessitatem mandati, debiti, & ordinis. Deinde necessitas est mutabilitatis, vel immutabilitatis, causæ, vel effectus juris, vel eventus, vel brevius: *Alia est necessitas externa βιαία violenta, quando quis vi externâ, cui resistere nequit, præter suam voluntatem rapitur*, ut maleficus in carcerem; *Alia ist necessitas ἡγεμονικὴ, & προαιρετικὴ, ἢ συνεπτικὴ, quæ in justo ordine & relatione cõsistit, quâ Deus mandavit, ideo oportet nos Deo mandanti obtemperare.* Necessitas hæc differt à necessitate coactionis dupliciter: Nam coactio oritur à vi externa; At necessitas hæc consequentiæ à fide: Quia enim fons, mater omnium virtutum fides est in corde hominis regenerati; Ideircò non possunt non inde bonorum operum rivuli promanare. Deinde illic est reluctatio, hic assensio. Vel annotante Dn. Chemnitio par. 3. L. com. pag. 49 Scriptura vocabulo *necessitatis* utitur. 1. pro eo, quod tanquam ad justitiam, & salutem necessarium exigitur, *Act. 15. v. 5. Gal. 2. v. 4.* 2. Significat coactionem, vel involuntarium aliquid, 2. *Cor. 9. v. 7.* 3. Pro

eo, quod non est adiaphoron, seu arbitrariũ, sed debitum ratione mãdati, & voluntatis divinæ, *Act.16.v.16. Rom.13.v.5.1.Cor.9.v.16.* 4. Sæpius usurpatur generaliter pro necessitate consequentiæ, seu immutabilitatis, *Heb.7.v.12.17.c.9.v.16. Phil.1.v.14.C.2.v.25. Luc.14.v.18. Judæ v.* 3. Quartò *bona opera sunt necessaria necessitate mandati*, quia Deus mandavit, cui simpliciter est obtemperandum: *Debiti* quia debitores sumus, *Luc.17.v.10. Joh.13.v.14. Rom.8.v.12.1.Joh.4.v.11. Ordinis*, quia hæc est perpetua justitiæ norma, ut rationalis creatura obtemperet creatori: *Consequentiæ*, quia fidem veram necessariò comitantur bona opera. Quintò, *necessitas coactionis evertit spontaneum, & liberum; Necessitas verò consequentiæ cum spontaneo optimè consistit.* Bona opera renatorum sunt libera, non sanè ac si homo renatus legibus divinis omninò sit solutus, vel facere bona opera, vel omittere possit; Sed quia illa ex spontaneo, liberoque Spiritu à renatis fiunt. Itaque utrumque est verum, quod bona opera sint spontanea, *Psal.51.v.14.21. Psal.54.v.8. Psalm.110.v.3. Rom.6.v.12.cap.8.v.15.cap.12.v.8.2.Cor.9.vers.7. Philip.1.v.3.* Et quod sint necessaria, *Rom.13.v.5.1.Cor.9.v.16. Act.15.v.28.1.Joh.4.v.21.Rõ.6.v.18. cap.8.v.12. Tit.3.v.1.1.Tim.6.v.17.1.Pet.5.v.2. ad Philem.8.v.8. Ex.35.v.12. cap.36.v.21. Eccl.35.v.10.11.*

58. Quamvis verò bona opera sint necessaria, nequaquam tamen *ad salutem ea necessaria esse dicendum, aut existimandum est.* Probamus id 1. *à particulis χωριστικαῖς, quibus utitur Apostolus in enumeratione causarum justificationis, & salvationis.* Sine quo justificamur, & salvamur, & quod à justificationis modo excluditur, & quod est pseudoapostolicum, illud non est necessarium ad salutem. Atqui sine bonis operibus justificamur & salvamur, & illa à justificationis modo excluduntur, & opinio de necessitate operum ad salutem est pseudoapostolica, *Act.15.v.1.5. Rom.3.v.28.c.4.v.6. cap.11.v.5.6. Gal.2.v.16. Eph.2.v.8.9.2.Tim.1.v.9. Tit.3.v.5.* Ergo. vel opinio illa directè pugnat cum hypotyposi sanctũ verborum, & cum dictis Apostolicis. Etgò omninò est improbanda.

59. 2. *A confusione legis & Evangelii.* Salus nobis obtingit ex solo Evangelio, & non ex lege, *Rom.11.v.6.* Ergo opinio illa eundem illum effectum legi, & Evangelio simul adscribens confundit legem cum Evangelio.

60. 3. *Ab absolutissimâ meriti Christi perfectione:* Solum meritum Christi est meritoria causa salutis, *Act.4.v.12.* E. non bona opera: Et per consequens bona opera ad salutem non sunt necessaria.

61. 4. *A remotione causarum, ob quas loquendi illa formula usurpatur; Aut enim intelligitur de causâ efficiente*, atque tum manifestè est impia Scripturæ adversa: Non enim operibus, sed solâ fide meritum Christi apprehendente justificamur, & salvamur; *Aut de causâ conservante*, atque ita Scripturæ etiam est contraria: Conservatur enim salus, sicut acquiritur, nempe per fidem, *Rom.* 4. *v.* 14. 16. *c.* 5. *v.* 12. *c.* 11. *v.* 20. *Col.* 1. *v.* 22. 1. *Pet.* 1. *v.* 5. Aut intelligitur *de effectu & fructu necessariò sequente*, & tum inepta, & incommoda est, quia effectus non ad constituendam causam, sed contrà causa ad producendum effectum necessariò requiritur.

62. Quæ reponit Bellarminus fundamenta, ea præcipua examinabimus in Disputatione præcedente de merito bonorum operum.

63. Quod attinet dissensionem, quæ de hac quæstione fuit olim inter Protestantes, cujus etiã meminit Bellarminus, hujus notanda est occasio, progressus & exitus. Occasionem præbuit liber ille Augustanus Imperatoris Caroli mandato editus & interim dictus, in quo phrasis illa imprimis urgebatur. Nonnulli igitur Wittebergenses, ut Johannes Major & alii phrasin illam pacis causâ admittendam censuerunt, quibus sese opponebant Jenenses. In Altembergensi igitur Colloquio anno Christi 1568. de hac quæstione disquisitum est, & phrasis hæc in libro Cõcordiæ Articulo 4 est improbata. Imò D. Johãnes Major ipse jam attingens annum septuagesimum modum illum loquendi in Testamento suo anno Christi 1570. edito adjecit his verbis: **Vnnd damit ja allerley Jrrung / Gezenck vnnd Mißverstand / gentzlich abgeschnitten / vnd auffgehaben würde / hab ich auch diese reden / gute Werck sind nõtig zur Seligkeit / es ist vnmüglich ohne gute Werck selig zu werden / Item, niemand ist jemals ohne gute Werck selig worden / welche von meinẽ widerwertigen / auff obgedachten Mißverstand / zu wieder meiner Meinung mit gewalt gezogẽ werdẽ für dieser Zeit / gutwillig fallen lassen / wie ich den auch hinfuhrt davon keinen zanck mit jemands erregen will.**

64. Quæstio quinta: *Num igitur bona opera sint perniciosa ad salutem?*

65. Resp. Quando opera justificationis negotio immiscentur, meritum justificandi, & salvandi illis adscribitur, fiducia in eis collocatur, hac inani persuasione opera non tantùm sunt ad salutem inutilia, sed etiam noxia, & perniciosa, attestante Apostolo qui sua se opera nõ tantùm ita se habere profitetur, quod sint σκύβαλα, sed ter inculcat, quod sint ζημία, *Phil.* 3. *v.* 7. 8. Si nimirum in illis fiduciam collocet, ut semetipsum *v.* 4. declarat.

67. Cum

67. Cum autem illud fiat non per se, & vitio operum; sed per accidens, & culpâ hominum opinione meriti turgidorum, ideò non simpliciter, nudè, & absolutè dicendum est, opera renatis esse pernitiosa. 1. quia contentiones parit. 2. Quibusdam ansam cavillandi præbet. 3. Apostolus igitur non absolutè dicit: *arbitror ea opera esse detrimentum*, sed addit declarationem, *si fiduciam habui in carne*. 4. Inde dicit Apologia Augustan. Confess. *Non damnamus ipsa opera; sed opinionem meriti, & fiduciam justitiæ, & salutis, quæ collocatur in opera damnamus.* Et liber Concor. Art. 4. pag. 708. *Propositio illa in Ecclesiis nostris reprehenditur & rejicitur propterea, quòd ita nudè usurpata, falsa est, & offendiculi plena, quâ disciplina & morum honestas labefactantur, dissolutæ verò & Epicureæ feræ vitæ janua aperitur, & confirmatur: ab eâ enim re, quæ alicui ad animæ suæ salutem pernitiosa creditur, abstinendum, & cavendum esse omnes judicant.*

Finis Disputationis LXII.

DISPUTATIO LXIII.

QUÆ EST

DE BONIS OPERIBUS IN universali altera.

Resp. Stephano Hoffbauer Augustano.

THESIS I.

FINIS bonorum operum pro diversitate objectorum *Dei, nostri, & proximi* est triplex. *A parte Dei finis summus est ipsius gloria, cui subordinatur mandatum. A parte nostri est fidei testificatio, & officii nostri debita executio. A parte proximi finis bonorum operum est, ut infideles bono exemplo ad veram pietatem invitentur; fideles in pietate confirmentur.*

2. Finis, quem ipsis affingunt Pontificii, quasi bona opera sint meritoria salutis æternæ, pugnat directè cum Scripturâ. Rotundè hac de re proponunt sententiam suam Protestantes in libro Concordiæ Art. 3. pag. 584. *Credimus, docemus, & confitemur, hoc ipsum nostram esse coram Deo justitiam, quòd Dominus nobis peccata remittat, ex merâ gratia, absque ullo respectu præcedentium, præsentium, aut consequentium nostrorum operum, dignitatis, aut meriti. Ille enim donat, atq; imputat nobis justitiam obedientiæ Christi: Propter eam justitiam à Deo in gratiam recipimur, & justi reputamur.* Et pag. 586. *Fides vera nunquam sola est, quin charitatem, & spem semper secum habeat.*

3. Specialiùs assertionem illam Protestantium ut evolvamus, & declaremus, quæstiones quasdam de merito operum proponemus.

4. Quæstio prima: *Num bona opera justificent?* Seu: *Num opera justorum sint meritoria vitæ æternæ?*

5. Resp. Pontificii suis operibus se vitam æteruam mereri con-

fidunt. Canon 32. Concil. Trident. Seſs. 6. ſic habet: *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut, ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratiâ deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.*

6. Eckius in Enchir. Tit. 5. pag. 41. *Fides non ſufficit ſine operibus, & opera aliquid ſunt, id eſt, meritoria vitæ æternæ ex gratiâ DEI acceptante.* Et pag. 4. *Juſtus non peccat in omni opere bono, opus autem bonum vivum eſt meritorium.*

7. Bellarminus lib. 4. de juſtif. cap. 18. *Opera bona*, inquit, *non ſolum ſunt verè juſta, ſed etiam juſtificant.* Lib. 5. de juſtific. cap. 1. pag. 1252. *contendit opera juſtorum eſſe meritoria vitæ æternæ.* Et alibi, *nominat ea mercaturam regni cœleſtis.* Lib. 5. cap. 16. & ſeqq. *agit de merito congrui, & condigni.* Hac de re tres dicit eſſe quæſtiones: *Una ſit ne meritum juſtorum dicendum ex condigno, an ex congruo. Altera, ſit ne condignum ratione promiſſionis tantùm, an etiam ratione operis. Tertia, num Deus remuneret opera juſtorum ſupra condignum, & impiorum citra condignum.* Enumeratis aliorum opinionibus ſuam ſubjiciens ſtatuit lib. 5. de juſtif. cap. 16. & ſequentibus, opera juſtorum ex charitate facta eſſe meritoria vitæ æternæ ex condigno; Idem ſibi ipſi contradicens negat lib. 4. de Pœnit. cap. 1. pag. 1418. *Quod ſi veteres Patres, inquiens, interdum actionibus humanis tribuere videntur, ut Deum ex inimico amicum reddant, atque adeò pro expiandâ culpâ ſatisfaciant: interpretandi ſunt de ſatisfactione ex congruo, non ex condigno.*

8. Coſterus in Enchir. cap. 7. pag. 278. *Homo juſtificatus, & adoptatus in filium DEI, per gratiam ejus atque juſtitiam, & utiliter operatur, & pariter operando meretur, tum juſtitiæ incrementum, tum vitam ſempiternam.* Et pag. 290. *Homo juſtus non ſolum vitam æternam meretur operibus bonis, ſed ampliorem etiam gratiam DEI, atque juſtitiam in hac vita.*

9. Becanus Tom. 1. Opuſc. de Juſt. Bon. oper. Secundum Calviniſtas cap. 3. p. 309. hanc proponit quæſtionem: *An opera juſtorum ſint meritoria vitæ æternæ?* Affirmativam ipſe tenet. Et in ſententia Cathol. cap. 2. pag. 327. & ſequentibus de merito operum agens prolixè philoſophatur.

sophatur. Theologi, inquit, *distinguunt duplex meritum: Alterum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno vocant, cui ex condigno, seu ex justitia debetur retributio, seu merces. Meritum de congruo, quod quidem ex justitia non meretur recompensationem, sed tamen ex quadam congruentiâ, seu honestate. Hoc posterius propriè non habet rationem meriti. De priori, quod propriè meritum est, deinceps agendum. Sunt autem quinque conditiones necessariæ, ut aliquod sit opus meritorium de condigno, seu ex justitiâ coram* DEO. 1. *ut sit moraliter bonum.* 2. *Ut liberum.* 3. *Ut hominis viatoris.* 4. *Ut procedat ab homine existente in statu gratiæ, & amicitiæ divinæ.* 5. *Ut intercedat divina acceptatio, & promissio de compensatione, seu retributione facienda.* Et pag. 338. *Justus potest de condigno mereri vitam æternam per bona opera.* Et in Epilogo hujus opinionis pag. 343. *Catholici secundum sua principia docent, opera justorum esse* DEO *grata; Legem cum gratiâ servari posse, & debere; vitam æternam non requiri ab adultis, nisi bonis operibus, & observatione Legis.* Ex hisce enarratis manifestum est, Pontificios statuere, *opera justorum esse vitæ æternæ meritoria.*

10. Contrà docent Protestantes, bona opera justificatis esse necessaria, ut iis ostendatur fides, excitetur proximus, celebretur gloria Dei. Docent iidem piis, eorumque operibus promitti præmia sive corporalia, *Deuteron. 7. vers. 12. 13. 14. Levit. 26. vers. 3. 4. 5. 6. Esai. 1. vers. 19. cap. 33. vers. 15. Psalm. 14. vers. 1. 2. 3. Luc. 19. vers. 26.* Sive spiritualia, ut *Matth. 5. vers. 12. cap. 19. v. 21. Luc. 14. vers. 13. 1. Cor. 15. vers. 41. 2. Cor. 5. vers. 10. 2. Thess. 1. vers. 6. 2. 1. Pet. 5. vers. 4. Apocalyp. 2. vers. 10.* Verùm non ex merito vel debito, quasi jure meriti illis debeantur, sed ex gratiâ: Nam Deus secundum suam promissionem bona opera recompensat, & eorum dona ut sua, non ut piorum coronat, siquidem quæ opera pii faciunt non sunt sua, sed DEI dona, *Roman. 11. vers. 35. 1. Corinth. 4. vers. 7. Philip. 2. vers. 13.* Inde & ex verbis Augustini, quæ habet Homilia 14. & 50. hic est versiculus: *Nil* DEVS *in nobis præter sua dona coronat.* Porrò docent ijdem Protestantes operantibus, & in studio currentibus dari vitam, sed distinguendum simul esse monent inter subjectũ, & causam: Aliud est quærere quibus detur vita, & aliud propter quã causam: Datur vita vivâ fide præditis, & operantibus, verùm non propter cursum, sed propter Chri-

stum ex merâ gratiâ, & misericordiâ, *Rom.* 4. *v.* 4. *cap.* 11. *vers.* 6. 2. *Tim.* 1. *v.* 9. *Tit.* 3. *v.* 5. 1. *Joh.* 1. *v.* 8. 9. 10.

11. Quare perperam statuunt Romanenses, vitam æternam de condigno rependi bonis operibus, nosque eam nostris mereri virtutibus. Opinionem illam rectè improbari Articulo sexto Augustanæ Confess. sequentibus evincimus fundamentis. PRIMUM: Quicquid opponitur in negotio justificationis fidei & saluti, illud non est causa salutis. Atqui opera in negotio justificationis opponuntur fidei, & saluti. Ergo. Vel: Quicquid Scriptura excludit in negotio justificationis à causis salutis, illud non promeretur salutem. Atqui opera ut injustorum, ita etiam justorum Scriptura excludit in negotio justificationis à causis salutis. Ergo. Opera quæ justificationem antecedunt, displicent Deo, & coram Deo sunt peccatum, cum non sint ex fide, *Rom.* 14. *v.* 23. *Heb.* 11. *v.* 6. Ergo justificationis negotium ingredi nequeunt. De operibus, quæ cum fide sunt conjuncta dicit Apostolus, *Rom.* 3. *v.* 27. 28. *Vbi est ergò gloriatio? exclusa est: Per quam legem? Factorum? Non: Sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Excludit igitur Apostolus opera illa à justificationis causis. Seu excludit ea non à justificatâ personâ, sed ab ipsâ justificatione. Sive, excludit ea non, ut non adsint, sed è numero causarum reconciliationis. *Non statim enim quæ conjuncta sunt, conjunctim agunt. Fides non est viva absque operibus, sed non justificat cum eis.* De operibus, quæ sequuntur justificationem dicitur, *Rom.* 6. *v.* 22. *Nunc liberati à peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem: Finem verò vitam æternam.* Sunt igitur justificationis effectus, seu fructus. Quare ex operibus legis non justificatur omnis caro coram illo. *Rom.* 3. *v.* 20. Ei qui *non operatur*, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam. Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam *sine operibus*, *Rom.* 4. *v.* 5. 6. Si ex gratia, jam *non ex operibus*: alioquin gratia jam non est gratia, *Rom.* 11. *v.* 6. Non justificatur homo *ex operibus legis*, nisi per fidem Jesu Christi. Propter quod *ex operibus legis non justificatur omnis caro*, *Gal.* 2. *v.* 16. Quicunq; *ex operibus legis* sunt, sub maledicto sunt, *Gal.* 3. *v.* 10. *Non ex* operibus, ne quis glorietur, *Eph.* 2. *v.* 9. *Non ex operibus*, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, *Tit.* 3. *v.* 5. Ut & inveniar in illo non habens meam justitiam, *quæ ex lege est*, sed illam, quæ ex fide est, *Phil.* 3. *v.* 9.

12. Qua-

12. Quare quæ sibi invicem contrariantur, illorum non est unum, idemque effectum, sed sunt effecta contraria. Jam verò *credere & facere, fides & opera* in negotio justificationis sibi invicem contrariantur. Ergo. Si igitur fides meritum Christi apprehendens justificat, opera non justificant. Atqui fides justificat. Ergo opera non justificant, ut & disertè affirmat Apostolus. Vel: Quicquid pertinet ad legem, illud non justificat quia lex propter peccatum damnat. Jam verò opera pertinent ad legem, quæ est doctrina operum. Ergò. Contra: Quicquid pertinet ad Evangelium, illud tantùm hominem pœnitentiam agentem justificat. Atqui non opera, sed fides pertinet ad Evangeliũ. Ergò.

13. Variis effugiis fundamentum hoc primum & veteres & recentiores Pontificii eludere student. *Stapletonus in suo Antidoto Apostolico super Epist. ad Rom. cap. 3. fabulatur ea excludi opera, quæ sunt sine fide, non autem ea, quæ sunt conjuncta cum fide.* Et cap. 4. dicit: *justificationem ex lege ideò ab Apostolo rejici, non quia legis justificatio non justificat; Sed quia absque fide in* CHRISTVM, *& gratiæ adjutorio nemo legem servat.* Bellarminus scribit lib. 1. de justificat. c. 19. pag. 1001. *justitia ex lege, sive in lege sunt illa opera, quæ homines faciunt sine gratia fidei, sola cognitione legis adjuti. Hanc justitiam tanquam inutilem B. Paulus rejicit, & opponit justitiæ fidei, h. e. operibus bonis, quæ fiunt ex gratiâ, & fide.*

14. Resp. Quod in negotio justificationis Apostolus à fide removet, illud cum eâ non conjungit, & hoc ipsum cum fide non justificat. Atqui Apostolus in negotio justificationis à fide removet opera. Ergo. Minoris veritas patet ex multis Apostoli testimoniis: Nam 1. dicit *Rom. 3. v. 24. Gal. 3. v. 11.* Arbitramur fide justificari hominem *absque operibus.* At secundum adversarios dicere debuisset *cum operibus.* 2. dicit *Gal. 2. v. 16.* Non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi. At ex opinione adversariorum dicere debuisset, per fidem & per opera. 3. *Gal. 3. v. 22.* interrogat: *Quid* inquiens, *lex?* Si verò cum lege conjuncta justificaret, respondisset per ejus observationem, & fidem hominem justificari: At non hoc. Ergo nec illud. 4. 1. *Cor. 4. v. 4.* dicit: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. At si legis observatio cum fide conjuncta justificaret, dixisset Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, & in hoc justificatus sum.*

15. Alii Pontificii distinguunt *inter opera legis metu pœnæ extorsa, sed approbatione & consensione destituta, hæc ajunt intelligi ab Apostolo.* Alii

distinguunt inter opera infidelium, sive justificationem antecedentia, & fidelium, sive justificationem sequentia : Illa sola, ajunt, *non pertinere ad justificationem.* Alii per opera legis intelligunt legem non moralem, sed ceremonialem. Bellarminus lib.1.de justif. cap.16. incertus videtur esse, quæ opera sint excluſa, pag. 989. scribit : *Non igitur fides sine operibus legis excludit omnia opera, & omnem legem, sed certum genus operum & legis, id est opera facta solis viribus naturæ, vel ex solâ cognitione legis Mosaicæ, vel si quo alio modo opera legis hoc loco intelligenda sunt.* Et cap.19. pag.1002. refert eorum Pontificiorum opinionem, qui per opera, quæ à justificatione Apostolus excludit, intelligunt obſervationem legalium cæremoniarum, circumciſionis, ſabbati, neomeniarum; Sed hanc opionem improbans ſubjicit : *Sententia constans, & sine dubitatione verissima est, per opera, quæ fidei opponuntur, & à justificatione excluduntur, intelligi opera, quæ fidem præcedunt, quæque solis viribus liberi arbitrii fiunt.*

16. Reſp. Conſtanter docent Proteſtantes omnia omninò opera ſive fidem præcedentia, ſive ſequentia excludi : 1. Quod enim opponitur promiſſioni, & fidei, illud omne à juſtificationis negotio excluditur, & removetur. Atqui tota lex, & omnia ejus opera opponuntur promiſſioni; & fidei, *Rom.3.verſ.*20.21.*cap.*4.*verſ.*14.*Gal.*2.*v.*16. 17.*cap.*3.*verſ.*18. Ergo. 2. Inde Apoſtolus abſolutè opera opponit fidei, ut in diſputatione de Abrahamo, non appellat opera legis, ſed ſimpliciter loquitur de operibus, ſine operibus, non operanti, &c. 3. Illa opera removentur à negotio juſtificationis, quæ poſſunt parere gloriationem, *Rom.*3.*verſ.*27. Atqui hanc indiſtinctè quęvis poſſunt parere opera. Ergo. 4. Inde Abrahami fide juſtificati etiã opera excluduntur, *Rom.* 4. *v.* 2.5. Itaque excluduntur non tantùm opera ceremonialia, ſed etiam *moralia* : Nam de eâ lege agit Apoſtolus, ex quâ eſt agnitio peccati, *Rom.* 3. *v.* 20. Quæ accuſat, & damnat propter peccata, *Gal.*3. *v.*10.12. Quæ hominum animis eſt inſcripta, *Rom.*2.*v.*1. Quæ obſtringit omnes omninò homines, gentes pariter, ac Judæos, *Rom.*1.*verſ.*9. 29. ac proinde quæ propter peccatum damnat univerſum mundum, *Rom.*3.*v.*19 A cujus execratione nos liberavit Chriſtus, *Gal.*3. *verſ.*12.13. Quæ concupiſcentiam dicit eſſe peccatum, *Rom.*7.*v.*7.& per quam infirmatur caro, *Rom.*8.*v* 13. Atqui hæc in primis eſt lex moralis. Ergo. videatur Dn. Chemnitius par.2.LL. Comm. pag.751.

17. Secun-

17. SECUNDUM fundamentum exhibent exempla, & cum primis Abrahami: Nam de Abrahamo renato dicit Apostolus justificatus est sine operibus. Ergo & cæteri renati justificantur sine operibus, atque ipsorum opera non sunt causâ vitæ æternæ meritoria. Antecedens quod nimirum Abrahamus renatus sit, & dicatur sine operibus justificatus, patet ex *Rom.* 4. Nam ponit Abrahamum pro exemplo justificationis, non in illâ primâ conversione, cum ex Ur Chaldæorum vocaretur, *Gen.* 11. *v.* 31. *Jos.* 24. *v.* 3. (Ita enim exclusiva sine operibus posset restringi ad illa opera, quæ fidem, & conversionem, cum in infidelitate, & in idololatriâ constitutus esset, antecesserunt.) Sed cum Abrahamus Deo vocanti obediviſſet, verâ fide præditus, renovatus, multisque bonis operibus ornatus esset, *Heb.* 11. *v.* 8. Cujusmodi multa novæ obedientiæ exercitia Abrahami narrantur à cap. 11. Gen. usque ad cap. 15. De Abrahamo igitur annis plus minus decem jam renato, & multis operibus ornato dicit Apostolus, *Rom.* 4. *v.* 2. *Si ex operibus Abraham justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. vers.* 5. *Non operanti, credenti autem in eum qui justificat impium, fides ejus imputatur ad justitiam. Et vers.* 6. *David dicit, beatitudinem esse illius hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus.*

18. Ratio consequentiæ est manifesta. 1. ex ipso etiam capite *Rom.* 4. Nam Apostolus exemplum quasi universale de modo justificationis propositurus, sumit Abrahamum. 2. Hunc ideò igitur vocat Patrem fidei, quod eâdem ratione prorsus, nimirum fide sint justificandi Judæi & gentes. 3. Declarari id potest exemplis aliis, utpote primò *Davidis*: Hic enim ubi dixisset, *Psal.* 143. *v.* 2. *Exaudi me in justitiâ tuâ*, statim subjicit. *Ne intres in judicio cum servo tuo, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens.* Servum verò describit, *Psalm.* 18. quod sit is, *qui custodit mandata.* Itaque docet se non justificari operibus legis. Secundò Apostolorum, *Gal.* 2. *versicul.* 16. *Nos in Iesum credimus, ut justificaremur ex fide Christi, non ex operibus legis.* Itaq; opera ipsorum bona non fuerunt causa meritoria salutis. Tertiò *Apostoli Pauli* in specie, qui de suis operibus post justificationem factis dicit, *Phil.* 3. *v.* 8. *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi, ut & inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est justitia in fide.*

19. TER-

19. TERTIUM fundamentum suppeditant dicta, quæ docent hominem justificari *gratis, ex gratiâ & ex gratuitâ Dei misericordia*, de quibus dictis egimus in Disputationibus de gratiâ Dei, ad quas remittimus. Qui enim justificantur gratis, ex gratuitâ Dei misericordiâ in merito Christi fundatâ, illi non justificantur ex suis operibus, *Rom.* 11. *v.* 6. Quotquot verò justificantur, illi justificantur gratis, ex gratuitâ Dei misericordiâ in merito Christi fundatâ, *Act.* 15. *v.* 10. *Rom.* 3. *v.* 24. *cap.* 4. *v.* 16. *cap.* 5. *v.* 15. 17. 21. *cap.* 11. *v.* 5, 6. *Gal.* 2. *v.* 2. *cap.* 5. *v.* 4. *Eph.* 1. *v.* 5. 6. 7. *cap.* 2. *v.* 8. *Tit.* 3. *v.* 7. Ergo.

20. QUARTUM fundamentum desumimus *à meriti Christi sufficientiâ*: Quod Christus nobis promeruit, illud nos nostris operibus non promeremur. Atqui Christus vitâ suâ sanctâ, & passione durâ vitam æternam nobis promeruit. Ergo. Aut igitur Christus sufficienter et suâ obedientiâ vitam nobis promeruit, aut insufficienter. At sufficienter. Ergo non insufficienter. Itaque quicunque UNIUS Christi obedientiâ justificantur, illi non justificantur suis meritis, nec debent sua opera, & obedientiam Christi obedientiæ admiscere. Atqui quotquot justificantur, UNIUS Christi obedientiâ justificantur. Ergo. Referenda huc sunt dicta Scripturæ, *Esai.* 63. *v.* 3. Torcular calcavi *solus*, & de gentibus non est vir *mecum*. *Jer.* 23. *v.* 6. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. *Rom.* 5. *v.* 19. Per UNIUS obeditionem justi constituentur multi. Plura vide *Rom.* 10. *v.* 4. *Act.* 15. *v.* 10. *cap.* 19. *v.* 38. 1. *Cor.* 5. *v.* 30. 2. *Cor.* 5. *v.* 21. Quare gloriemur tantùm in Domino, *Jer.* 9. *v.* 23. 1. *Cor.* 1. *v.* 31. *Eph.* 2. *v.* 9. *Gal.* 6. *v.* 14. Nullum enim aliud nomen datum est sub cœlo, in quo possumus salvari, *Act.* 4. *v.* 12.

21. Regerunt Pontificii, *Opera justificare, quia sanguine Christi sunt tincta*: Becanus scribit Tom. 1. Opus. pag. 318. *Merita nostra nascuntur ex meritis Christi, & omnem vim suam inde accipiunt. Vnde quicquid laudis, & dignitatis habent, totum redundat in laudem, & dignitatem meritorum Christi.*

22. Resp. 1. Gloriam suam Christus non dat alteri, *Esai.* 42. *v.* 8. Itaque quantum attribuitur meriti operibus nostris, tantum detrahitur merito Christi. 2. Origenes Homil. 8. in Ezech. *Quomodo lumen lucernæ ad Solis radios obscuratur, & velut alia quædam caca materia contenebrescit: Sic licet fulgeat justorum omnium lumen ante homines, non tamen fulget ante Christum. Luceat quippè lumen vestrum, non simpliciter dictum est, sed luceat*

ante

ante homines: ante Christum non potest fulgere lumen justorum. 3. Opera nostra sanguine Christi sunt tincta, non ut justificent, sed ut placeant. Itaque justificamur non propter opera, sed propter sanguinem Christi opera mundantem, cujus efficaciam verâ fide apprehendimus.

23. Instat Stapletonus in Antidoto super Act. c. 2. v. 37. scribēs: *Nobis necessariò aliquid faciendum est, non ut Dei gratiam mereamur, sed ut eam consequamur, hoc est, non respectu acquisitionis; sed respectu apprehensionis.*

24. Resp. 1. Contradicit Stapletonus reliquis Pontificiis renatorum opera vitæ æternæ meritoria esse nugantibus. 2. Fides est instrumentum gratiam Dei in merito Christi fundatam apprehendens. Ergo non opera, quibus fides in negotio justificationis opponitur, *Rom. 3. v. 28. Eph. 2. v. 8.*

25. SEXTUM ex *Luc. 17. v. 10. Vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* Si igitur ille, qui fecit omnia sibi mandata nihil meretur suis operibus, sed dicere debet se esse servum inutilem, certè multò minus ille, qui non fecit omnia sibi mandata, meretur aliquid suis operibus. Atqui verum prius, *Luc. 17. v. 10.* Ergo.

26. SEPTIMUM *ab imperfectione, & impuritate bonorum operum:* Nullum imperfectum, & impurum meretur vitam æternam. Atqui opera renatorum sunt imperfecta, & impura, *Rom. 7. v. 21. 25. Esai. 64. v. 6.* Ergo.

27. OBIECTIO: *Si vita æterna est merces, bona opera, quibus illa redditur, sine dubitatione sunt merita. Atqui vita æterna est merces, Jer. 31. v. 16 Matth. 5. v. 7. cap. 10. v. 42. cap. 19. v. 29. cap. 20. v. 8. 9. 1. Cor. 3. v. 8. 14. c. 9. v. 17. 2. Epist. Joh. v. 8. Apoc. 11. v. 18. cap. 22. v. 12. Ergo bona opera quibus illa sine dubio redditur, sunt merita,* Eckius in Enchir. Tit. 5. prop. 1. Bellarminus lib. 5. de justif. cap. 3. p. 1255.

28. Resp. primò, bona opera renatorum sunt. 1. impura. 2. imperfecta. 3. debita. 4. Dei dona. 5. vitæ æternæ non proportionalia. Ergo non sunt vitæ æternæ meritoria. Nam inter meritum & mercedem debet esse justa proportio. Non est verò ea inter renatorū opera, & vitam æternam, *Gen. 32. v. 10. Domine minor sum cunctis miserationibus tuis. Rom. 8. v. 18. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ergo.

29. Secundò vita æterna eſt donum Dei, *Rom.6.verſ.23.*Ergo non eſt merces debita. Tertiò, aliud eſt quærere de ipsâ cœleſti gloriâ, & aliud de diſtinctis cœleſtis gloriæ gradibus. Gloria cœleſtis obtinget ſimiliter omnibus credentibus propter CHRISTUM fide apprehenſum; Gradus verò diſtribuentur non propter, ſed SECUNDUM opera. Hinc dicitur, *Matth. 5. verſ.* 12. Merces veſtra copioſa erit IN cœlo.

30. Quartò, vocabulum *mercedis* uſurpatur in Scripturâ potiſſimùm dupliciter. 1. Significat propriè *mercedem debitam*, ſive iſtam labori debitam retributionem, ubi inter laborem & mercedem juſta eſt proportio, *Rom. 4. v. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum:* Hoc ſenſu (qui locum habet in contractibus humanis & quo opponitur gratuito,) vita æterna non eſt merces, *Rom. 4. v. 3.* Non ex lege eſt hæreditas, ſed ideò ex fide ut (ſecundum gratiam) firma ſit promiſſio. Et *verſ. 5.* Non operanti ſed credenti fides imputatur ad juſtitiam.

31. 2. Significat latè *mercedem indebitam*, ſeu compenſationem gratuitam, dependentem non ex dignitate operis, ſed ex libero dono, & benignitate promittētis Dei, hoc ſenſu opponitur fruſtraneo, uſurpaturq; paſſim in Scripturâ, ut 1. Promiſſio ſeminis quæ gratuitò fuit data Abrahamo, *Gen. 12. v. 3. 6. 18. v. 18.* ponitur *Gen. 22. v. 18.* loco compenſationis. Et *cap. 15. verſic. 1.* dicit Jehova: *Ero merces tua magna nimis.* 2. *Pſalm. 127. v. 3. Hæreditas DEI liberi, & merces fructus ventris.* Sunt autem illi donum Dei. Ergo non dantur ex merito. 3. *Eſai. 40. verſ. 10. cap. 62. v. 11. Ecce Deus veſter: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: Ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo,* h.e. gratuita beneficia, quæ dabit ſuis, ſic explicatur merces illa *verſ. 11. Sicut paſtor, gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo portabit.* 4. *Jerem. 31. verſ. 16. 17. Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis: quia eſt merces operi tuo, ait Dominus, & revertentur de terrâ inimici. Et eſt ſpes noviſſimis tuis, ait DOMINUS. Et revertentur filii tui ad terminos ſuos.* Vocabulum mercedis hîc uſurpari pro gratuito arguit primò *liberatio ex captivitate babylonicâ*, de quâ agitur, & quæ fuit gratuita. Deinde vocabulum *Spei:* Quod enim ſperamus, illud eſt gratuitum, & hoc jure non poſtulamus. Denique vocabulum *noviſſimi*, quod quia ſequitur finito opere, interdum dicitur merces, *ut Prov. 23. verſ. 18. Cum enim*

ſit

sit merces, utique expectatio tua non succidetur, quia est tibi novissimum, h.e. finis, seu fructus, & expectatio tua. 5. Itaque interdum in Scripturâ permutatur appellatio *mercedis*, *& gratiæ*, ut *Matth. 5. vers. 46.* dicitur: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam* MERCEDEM *habebitis*; At *Luc. 6. versic. 32. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est* GRATIA. *6. Roman. 4. versic. 4. Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Itaque duplex datur merces debita, & indebita, seu gratuita. 7. Ambrosius scribit lib. 1. Epist. 1. *Alia est merces liberalitatis, & gratiæ, aliud virtutis stipendium, laboris remuneratio.* Illa merces est Evangelica excludens meritum operum; Posterior legalis operum meritum includens, videatur Dn. Chemnitius part. 3. LL. Comm. pag. 196. Et Dn. D. Meisnerus pag. 387. Philos. Sob.

32. Quintò, vita æterna licet gratuitò detur dicitur tamen in posteriori significatione merces. 1. *Ob acquisitionem*, quia magno labore, & cœlum ipsum, & cœlestis gloria nobis est parta, Labore verò non nostro, sed CHRISTI. 2. *Ob Promissionem*: Quia Deus in verbo suo pollicetur, se fidem bonis operibus declarantibus, & bene operantibus vitam æternam daturum. *Omne autem promissum cadit in debitum.* Relatio igitur est non inter meritum operum, & mercedem, sed inter promissionem, & mercedem. Apostolus igitur, quia *Gen. 15. vers. 1.* Jehova dicit: *Ego sum merces tua copiosa*, hoc ita explicat, quia fides Abrahæ imputata est ad justitiam, ergo merces illa, quam Deus ei promittit, non secundum debitum, sed secundum gratiam intelligenda est, & ne relatio intelligatur inter mercedem, & meritum operum, ideò dicit, *imputationem factam esse sine operibus.* 3. *Ob antecessionem*, quia nisi certanti nulla corona datur, 2. *Tim. 2. vers. 5.* 4. *Ob consecutionem*, quia etiam bonum illud, quod datur ex gratiâ appellari solet merces, ut hæreditas dici potest merces obedientiæ parentibus à liberis præstitæ. 5. *Ob recompensationem*: *Vita æterna est merces*, inquit Dominus Chemnitius par. 3. LL. Comm. p. 176. *quia compensat beneficia etiamsi datur propter aliud, scilicet propter Christum. Vt patrimonium est merces filii, etiamsi contingit propter aliam causam.*

33. Posteriorem hanc rationem nonnihil subtilem censet esse Herbrandus in compen. p. 459. cum primis si intelligatur de causâ meritoriâ, & non de benignâ Dei gratiâ: *Quidam vocabulum merces*, inquit,

pro compensatione accipiunt: & nominari vitam æternam mercedem, consecutione sentiunt. Quia etsi propter aliud detur, tamen simul compenset nostros labores, afflictiones & bona opera. Sed hac subtilitate opus non est, & multa periculosè dicuntur interdum. Et quidem verum *est Deum compensare illa in vitâ æternâ: Sed ipsa vita æterna gratis nobis contingit per Christum, & non propter bona nostra opera. Donum Dei est, non meritum operum humanorum, ut hypocritæ imaginantur.* Suam verò proponens sententiam dicit pag. 457. *Secundum legem dici potest vita æterna merces, quia promittitur operibus, sed non quibusvis operibus, verùm iis, quæ sunt perfecta legis impletio. Hac autem ratione nemo consequitur vitam æternam, ut operibus debitam: Quia nemo legi satisfacit, & qui peccat in uno, reus est omnium,* Jac. 2.

34. Ad reliquas ratiunculas Pontificiorum refutandas exhibet quasdam regulas, & distinctiones Dn. Chemnitius part. 3. LL. Comm. pag. 180. & seqq. ut sunt. 1. Connexa sunt fides & opera, salvâ tamen cujusque proprietate, & salvo ordine. 2. Alia est justitia politica, Philosophica, Pharisaica, & alia Evangelica: Ratio est captivanda, ne ex imaginatione *justitiæ Politicæ, Philosophicæ & Pharisaicæ* formentur argumenta contra justitiam Evangelicam. 3. Distinguendum est inter justitiam coram hominibus, & coram Deo. 4. Testimonia quædam Scripturæ describunt qualitatem seu ingenium hominis justificati; Sed non ostendunt causam justificationis, nec medium applicationis, neque formam, in quâ consistit justificatio nostra coram Deo. 5. Aliud est veræ fidei fructus, externum signum, testimonium, & nota, & aliud vitæ æternæ causa. 6. Alibi Scriptura à fructibus, seu notis describit justificationem, ut homines securos ab epicureâ fidei persuasione abducat; Alibi, & quidem in sede propriâ ostendit causam, propter quam contingat, quo medio accipiatur, & in quo consistat. 7. Quædam Scripturæ dicta loquuntur non de remissione culpæ & pœnæ æternæ; Sed de remissione pœnæ temporalis, quæ per integram pœnitentiam aliquando avertitur. Gropperus dicit: *Aliud est remissio culpæ, aliud mitigatio pœnæ.* 8. Disjunctè sunt considerandæ sententiæ, quæ loquuntur de præmiis hujus vitæ, sive ea sint corporalia, sive spiritualia, & quæ loquuntur de præmiis *in futurâ vitâ*: Postquam enim gratis propter Christum donata est vita æterna, tunc in illâ datur etiam remuneratio bonorum operum, idque circumspectè proponit Scripturâ, ut videre est *Matth. 5. v. 12.* Non enim dicit: *Cælum erit vestra merces: Sed in cœlo erit:*

Quan-

Quando videlicet cœlum per Christum, & propter ipsum consecuti sumus, tunc etiam ibi bona opera habebunt suam mercedem. 9. Duplex est justificatio, alia personæ, & alia operum: Observandum igitur est discrimen, ubi Scriptura loquatur de justitiâ fidei & ubi loquatur de justitiâ novæ obedientiæ, vel bonæ conscientiæ. 10. Justificatio Apostolo Pauloidem est, quod à peccatis absolutio; Apostolo verò Jacobo justi declaratio, commendatio, & probatio. 11. Sancti sæpe loquuntur non de justitiâ suæ personæ, sed de justitiâ suæ causæ, ut *Psalm. 7. v. 9. Judica me Domine secundum justitiam meam.*

35. Quæstio secunda: *An opera justorum non merendi solum, sed etiam satisfaciendi vim habeant?*

36. Resp. Non sine insigni blasphemiâ nonnulli ex Pontificiis id affirmare non verentur. Scribit enim Gregorius de Valentia Tom. 3. Disput. 7. quæst. 20. p. 1848. *Animadvertere oportet omnia opera pia, quæcunque exercent, aut exercuerunt unquam fideles, qui sunt membra Ecclesiæ, præter vim merendi, habuisse etiam vim satisfaciendi pro pœnâ.* Ruardus Tapperus Academiæ Lovanienſis Cancellarius Tom. 1. Oper. Art. 6. de satisfactione pag. 153. *Plena est*, inquit, *Christi satisfactio, redemptio, & propitiatio pro universis non solùm quoad culpam, quam tamen præcipuè, & principaliter respiciunt, verum etiam quoad pœnam temporalem, culpâ dimissa remanentem: Sed per sufficientiam, non autem secundum efficientiam, & fructus participationem.* Et pag. 154. *Satisfactio per sufficientiam tantum non meretur nomen satisfactionis: Nec redemptio, & reconciliatio per sufficientiam merentur hæc nomina.* Vitus Miletus in discus. lib. Heshusii de 600. erroribus pag. 155. *Si satisfactio Christi non est efficax in nobis sine vobis, aliisque mediis, quomodo absolutè nomen meretur satisfactionis. Meretur ergò nomen satisfactionis, sed per sufficientiam, non per efficientiam.*

37. Assertiones verò hæ Pontificiæ in meritum & satisfactionē Christi sunt blasphemæ. Nam. 1. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis *Esa. 9. v. 6.* Nobis natus est Salvator, qui est Christus Domin⁹, *Luc. 2. v. 11.* 2. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eū, & livore ejus sanati sumus, *Esai. 53. v. 5.* De manu inferni redimam eos, de morte liberabo eos, *Ose. 13. v. 14.* Eum, qui nō noverat peccatum, pro nobis peccatū fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 2. *Cor. 5. v. 21.* Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, *Gal. 3. v. 13.*

38. 3. Christus igitur propositus nobis est à Deo propitiatio, *Rom. 3. v. 25.* Missus pro peccatis nostris propitiatio, *1. Joh. 4. v. 10.* Propitiatio est pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etjam pro totius mundi, *1. Joh. 2. v. 2.*

39. 4. Itaque Christus est mediator noster unicus, *1. Tim. 2. v 5. Hebr. 8. v. 6. cap. 9. vers. 15. cap. 12. vers. 24.* 5. Ipse igitur pro nobis satisfecit, & justificamur gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, *Rom. 3. vers. 24. 25. 6.* Sine sanguinis effusione non fit remissio, *Heb. 9. v. 22.*

40. 7. Verè dicit Tertullianus de Baptismo : *Pro uno peccato non potes satisfacere, quid faceres pro innumeris.* Et Ambrosius in 22. cap. Lucæ: *Petri lachrymas legi, satisfactionem ejus non legi.*

41. Quare satisfactio soli competit Christo, qui sese solus pro peccatis eorumque pœnis obtulit.

42. Quæstio tertia: *An bona opera salutem conservent?*

43. Resp. Concil. Tridentinum Sess. 6. Can. 24. *Si quis dixerit,* ait, *justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; Sed opera ipsa fructus solum: modo, & signa esse justificationis, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.* Decanus Tom. 1. Opusc. De merit. Bon. oper. ex sent. Cathol. pag. 337. *Homo justus,* inquit, *potest variis actibus de condigno mereri auxilia gratiæ actualis, quibus perseverare posit in gratia si velit, usque in finem.* Osorius in festo Pentecostes, pag. 205. 207. *Opera justorum conservant Dei gratiam in animo.*

44. Piè verò sententia Protestantium de hac quæstione proponitur in libro Concordiæ Art. 4. p. 590. *Credimus, dolemus, & confitemur, fidem, & salutem in nobis conservari: aut retineri non per opera, sed tantùm per Spiritum Dei, & per fidem (quâ scilicet salus custoditur) bona autem opera testimonia esse, quòd Spiritus Sanctus præsens sit, atque in nobis habitet.*

45. Piam hanc sententiam confirmamus. 1. *à causâ meritoriâ salutis*, quæ est Christus, fidei author, dux & consumator, *Heb. 12. v. 1. 2. Per patientiam curramus propositum nobis certamen : Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum.* Itaque non opera nostra, sed Christum fidei, & salutis ut est author, ita etiam conservator.

46. 2. *A causâ salutis instrumentali* : Sola fides est medium proprium justitiam, & salutem non tantùm initiò apprehendens, & posteà suum

eâ suum officium operibus resignans. Ergo sola fides, & non opera instrumentaliter salutem custodi : Opponitur enim in negotio justificationis fides operibus.

47. Antecedens confirmamus sequentibus Scripturæ dictis: 1. *Pet.* 1. *v.* 5. In virtute Dei *custodimini* per fidem in salutem. *Rom.* 5. *vers.* 1. 2. Justificati fide pacem habemus per Christum Servatorem, per quem etiam habemus accessum per fidem ad gratiam istam, in qua STAMUS, & gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei. Itaque Apostolus initium, medium, & finem salutis suæ soli adscribit fidei. *Rom.* 4. *vers.* 14. & 16. Ideò ex fide, ut firma sit promissio. *Rom.* 11. *v.* 20. Propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas. *Col.* 1. *v.* 22. 23. Exhibebit vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso : Si tamen PERMANETIS in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Evangelii. Bernhardus serm. 4. in festo Annunciat. *Initium solius gratia*, inquit, *consummatio & ipsa solius gratiæ est, nec est mihi in hac parte, vel cum eâ, sive in eâ gloriari, quasi coadjutor videar, aut cooperator.*

48. Objectio prima: *Qui diligit fratrem suum in luce manet*, 1. *Joh.* 2 *v.* 10. *Si diligimus nos invicem, Deus in nobis manet*, 1. Joh. 4. *v.* 12. *Ergo dilectio conservat salutem.*

49. Resp. 1. Aliud est descriptio causæ permansionis in lumine, aliud personæ. 2. Aliud est permanentium in lumine nota, & aliud causa : Ostendit Johannes istis Scripturæ dictis à nota, & effectu, quinam sint illi, qui permaneant in lumine, & quibus notis agnosci possint, nequaquam verò dilectionem constituit causam divini hujus beneficii, & in eo perseverantiæ.

50. Objectio secunda : Apostolus Petrus dicit: *Certiorem facite vocationem vestram per bona opera. Ergo bona opera salutem perficiunt, & conservant.*

51. Resp. 1. Docet idem Apostolus *cap.* 1. *v.* 5. in virtute Dei nos per fidem CONSERVARI. Ergo mens hæc ejus non est, quòd bona opera salutem conservent. 2. Docet verò bona opera esse signum permansionis in gratia : contra mala esse causam cur quis vocatione excidat: Inde dicit: *Facite bona opera, ut in vestrâ vocatione perseveretis, nè iterum excidatis, & amittatis Spiritum S. & dona, quæ vobis non propter opera, sed ex mera gratia per Christum contigerunt.*

52. Quæstio quarta: *Quid de opere supererogationis sit sentiendum?*

51. Resp.

52. Resp. Commendant ea vehementer adversarii, quasi vere perfectos faciant. Salmeron Tom. 7. pag. 97. scribit: *Opera quædam necessaria sunt ad salutem: quædam verò consilii, & perfectionis sunt, ad quæ præstandanemo obligatur, erogat ergò, qui sibi talenta tradita distribuit: supererogat, qui amplius, quam accepit, impendit, qui præceptis Christi adjungit Ecclesiæ mandata, & illa pro tempore, & loco, & personarum ratione constituit, quò melius serventur divina, & Evangelica consilia: qui Scripturis adhibet Catholicas, & doctas expositiones, & qui sine sumptu ponit Evangelium cum Paulo*, 1. Cor. 9.

53. Quicquid verò fabulantur de operibus his Pontificiis illud omne contrariatur apertissimæ Scripturæ. Nam. 1. Nullus hominum potest legem perfectè implere, ut ostendimus in Disputationibus de Lege. Ergo multò minus potest plus quàm lex requirit præstare. 2. Cum omnia fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, dicere debemus nos servos inutiles esse, eò quod fecerimus, quod facere debuimus, *Luc.* 17. *v.* 10. Ergo nō possumus, nec debemus de opere quodam supererogationis gloriari. 3. Qui confiteri debet, peccata sua, eorumque remissionem petere, ille non præstat plus quam lex requirit. Atqui omnis sanctus confiteri debet peccata sua: Inde orant omnes: Remitte nobis debita nostra. Et Psalm. 32. Pro hac (remissione peccatorum) orabit ad te *omnis sanctus* in tempore oportuno. Ergo. 4. Qui renovandi sunt indies, illi plus non præstant, quam lex requirit. Atqui omnes renati renovandi sunt indies, quia caro manet in renatis, quæ carnalia appetit, *Rom.* 7. Ego carnalis sum. Scio, quod nō habitet in me, h. e. in carne meâ bonum. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis, & captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Ergo ipse mente servio legi Dei: Carne autem legi peccati.

54. Urgent verò Pontificii illud Samaritani, *Luc.* 10. *v.* 35. *Curam illius habe, & quodcunq; superogaveris, (vel præterea insumpseris) ego cum rediero, reddam tibi.*

55. Resp. 1. Ex allegoriis non sunt confirmandi articuli fidei, nisi Scriptura ostendat applicationem. 2. Scopus parabolæ est fidem & sedulitatem in curando exigere, & ministris remunerationem promittere.

Finis Disputationis LXIII.

DISPUTATIO LXIV.

QUÆ EST

DE BONIS OPERIBUS IN particulari prior.

Resp. Henrico Fabricio Wyngern. Marcâ-Westphalo.

THESIS I.

EGIMUS de bonis operibus in Universali: Supereſt igitur, ut Bellarminum potiſſimum ſequentes nonnulla ſubjiciamus de bonis operibus in particulari, quorum ille errores cumulando tria enumerat, ut ſunt: Oratio, Jejunium & Eleemoſyna.

2. De his facile judicium fieri poteſt ex præcedentibus. Si enim bonis operibus ſive in univerſali, ſive in particulari, ſalutem promeremur æternam, malè Apoſtolus in ſalutis negotio opponeret gratiam, & opera: *Si ex gratia*, inquit, *non jam ex operibus, Rom.* 11. Et ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, *Rom.* 4.

3. Bona igitur opera renatorum non placant Deum, licet placeant Deo, eò quod proficiſcantur ex fide.

4. Apoſtolus, *Tit.* 2. *v.* 12. requirens, ut *ſobriè, juſtè & piè* vivamus, tres quaſi claſſes bonorum operum conſtituit, ut ſunt *ſobrietas* nos ipſos reſpiciens, & corporis diſciplinam requirens: *Juſtitia* in proximum diſponens, & omnia humanitatis officia complectens: *Pietas* cultus primæ Decalogi tabulæ reſpiciens.

5. Sic Servator, contra Phariſæos de bonis operibus diſſerens, tria eorum genera oſtendit, ut ſunt, Oratio, Jejunium, Eleemoſyna.

6. *Orationis* nomine intelligitur omnis devotio Deo debita, quæ ex Dei timore, & dilectione debet proficisci: Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt, dicit Apostolus, *Rom.10.v.14.*

7. *Jejunii* appellatione intelligitur corporis disciplina: Corpus enim non est onerandum, nec cor gravandum. Hugo dicit: *Ita nutrienda est caro, ut serviat, ita domanda est, ut non superbiat.*

8. Eleemosynæ nomine συνεκδοχικῶς intelliguntur dilectionis officia proximo debita.

9. De his tres conscripsit libros Bellarminus, in quibus ferè nihil occurrit, ad quod non ex præcedentibus responderi possit. Ne autem necessarium quid præteriisse videamur, ideò & errores Bellarmini notabimus, & examinabimus.

10. Quæstio prima: *An fructus orationis sit satisfactio, & meritum?* Seu: *An oratio ex condigno valeat ad impetrandum beneficia, & ad satisfaciendum cum pro suis, tum pro aliorum delictis?*

11. Resp. Bellarminus Pontificiorum de propositâ quæstione opinionem exponens scribit lib. 1. de bonis operibus in particul. cap. 3. p. 1331. *Tres sunt primarii fructus orationis, SATISFACTIO, MERITVM, IMPETRATIO. Ex quibus duos priores adversarii funditùs tollunt. Tertium mutilant, si non tollunt.* Ibidem. *Primus fructus est SATISFACTIO pro peccato*, de quo diximus in lib. de pœnitentiâ c. 6. *Et sanè, si quis concedat opera bona laboriosa satisfactoria esse pro peccatis, nunquam negabit, quin sit oratio inter illa opera numeranda. Secundus fructus est MERITVM. Oratio enim sive impetret, quod postulat, sive non impetret, semper est meritoria majoris gratiæ, & gloriæ, quando ab homine justo, & sicut oportet funditur, &c.*

12. Docent verò Protestantes PRIMO, *orationi omninò esse vacandum.* Cujus *causa prima* est Dei mandatum, *Psalm.50.v.16.* Invoca me in die tribulationis: Et eruam te, & honorificabis me. *Deuteron.6. Matth.* 4. DOMINUM DEUM tuum adorabis, & ipsi soli servies *Luc.18. versic.* 1. Oportet semper orare, & non deficere. *Causa secunda est* Dei promissio: Deus enim invocantes vult eruere, *Psalm.50. v.16.* Propè est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet: & preeationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos, *Psalm.145.v.19.20.* Clamaverunt justi, & Dominus exaudit eos: Et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit, *Psalm.34. vers.17.* Augustinus dicit de verbis Domini secundum Lucam Ser.36.

Ut ore-

Ut oremus, credamus: ut & ipsa non deficiat fides, quâ oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Et serm. 226. *Oratio justi*, ait, *clavis est cœli: ascendit precatio, & descendit Dei miseratio: Licet alta sit terra, altum cœlum: Audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habet conscientiam. Causa tertia* esse debet summa necessitas: Sumus enim nos omnes peccatores, & mendici Dei, ut loquitur Augustinus, destituimur bonis corporalibus, & spiritualibus, quibus carere non possumus, nudi in hunc mundum nascimur, *Job* 1. Quare Dei opem imploremus: Qui enim invocaverit nomen DOMINI, salvus erit *Joel.* 2. *Act.* 10. *Roman.* 10. *causa quarta* est exemplum CHRISTI, & omnium sanctorum. De precibus Christi, quas ardenter ad Patrem fudit, legimus, *Joh.* 17. *Matt.* 11. *Luc.* 22. *Causa quinta* fidei exercitium: Tentatio dat intellectum.

13. Quare damnant Prodicianos, qui blasphemant, *precationes minus esse necessarias, cum Deus sit omniscius, ac proinde omnes nostros defectus jam ante sciat, & videat.* Consurgit hoc loco quædam hæresis, inquit Hieronymus, Philosophorum perversum quoque dogma dicentium: Si Deus novit, quæ oremus, & antequam petamus, scit quibus indigeamus frustrà scienti loquimur.

14. Respondemus ipsis ipsius Hieronymi super cap. 6. Matth. verbis: *Nos non narratores sumus, sed rogatores: Aliud enim est narrare ignoranti, & aliud scientem petere, in illo judicium est, hic obsequium, ibi fideliter indicamus, hîc inseparabiliter obsecramus.* Augustinus dicit Tom. 7. de bono persev. *Poterat nobis etiam non orantibus dare, sed oratione nostra nos voluit admoneri à quo accipiamus hæc beneficia.*

15. SECUNDÒ si quis oret piè, & religiosè, nihil refert ubi oret. Nam 1. Salvator dicit *Joh.* 4. *v.* 23. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. Et Apostolus, 1. *Tim.* 2. *v.* 8. volo viros, inquit, orare in omni loco. 2. Ubivis enim locorũ Deus nobis adest, *Psal.* 145. In periculo aquæ, ignis, *Esa.* 43. In periculo aquæ aderat Jonæ *cap.* 3. In periculo ignis tribus illis juvenibus, *Dan.* 3.

16. Veteres quando orabant, faciem vertebant ad orientem: Unde altaria versus orientem sunt erecta. Hujus verò cæremoniæ rationes aliquot exhibet Damascenus libr. 4. de orthod. fide cap. 13. cujusmodi sunt 1. Ut admoneamur, DEUM esse lucem intelligibilem, habitare in luce inaccessibili, 1. *Tim.* 6 CHRISTUM esse lo-

lem justitiæ, *Mal.* 4. orientem ex alto, *Luc.* 1. 2. Ut recordemur, Deum plantasse Paradysum in Edem ad orientem, ubi hominem, quem plasmavit, posuit. 3. Ut admoneamur tristissimi lapsus primorum nostrorum parentum ob peccatum ex Paradiso ejectorum, & antiquam requirentes patriam, & ad ipsam suspirantes, Deum adoremus. 4. Ut sciamus Mosaicum tabernaculum ad orientem habuisse velum, & propitiatorium *Exod.* 16. *cap.* 26. *Lev.* 16. Et tribum Judam, ut honorabilissimam, ad orientem castra posuisse, *Num.* 2. Et in famigerato Salomonis templo, portam Domini ad orientem collocatam fuisse, 2. *Reg.* 11. 5. Ut admoneamur primò Christi crucifixi, qui ad occidentem respiciebat, ut sic adoremus ad ipsum suspirantes. Secūdò ejus ascensionis: Assumptus enim ad orientem ferebatur, & sic ipsum Apostoli adoraverunt. Et sic veniet, quemadmodum fulgur egredietur ab oriente, & pervenit usque ad occidentem, sic erit adventus filius hominis. Ipsum igitur expectantes ad orientem adoramus. Augustinus lib. 2. serm. de monte Domini Hieronymus Tom. 5. in cap. 6. Amos his quinque rationibus alias duas adjiciunt, de quibus omnibus respondemus, quod piæ sint cogitationes. Si quis verò ex superstitione quadam precationi ad orientem versus recitatæ majorem adscribere voluerit efficaciam, quā quæ alio in loco funditur; ipsi respondemus non esse nos alligatos ad circumstantias locorum: veros adoratores adorare in veritate & Spiritu: Omnia loca à Deo esse sanctificata. Leo Magnus dicit: *Si templum Domini sumus, & Spiritus Dei habitat in nobis, plus est quod quisq; fidelis habet in animâ sua, quàm quod miratur in cœlo.*

17. Tertiò, Augustinus dicit: *Liberum quidem est aliis, atque aliis verbis, eadem tamen, quæ hæc oratio continet, in orando dicere, sed non est liberum alia diversa, seu contraria dicere.* Quare graviter sunt lapsi hæretici, quos Bogomiles, nominant, qui omnes precationes, exceptâ oratione Dominicâ, abjiciendas esse delirarunt: Nam & ipsi Apostoli aliâ precatione sunt usi, & à Domino exauditi, *Act.* 4. *v.* 24. *& seqq.*

18. Inquis, *cur Cyprianus dicit, culpam esse aliter orare.* Resp. Culpa est non quoad verba, & modum, sed quoad sententiam, & res significatas.

19. Quartò, Errant Monachi & Jesuitæ statuentes preces habere vim meritoriam, & satisfactoriam pro peccatis, seu esse satisfactorias ex opere operato pro omni peccato. Quamvis enim preces propter

propter Dei mandatũ, honorẽ, promissionẽ, & nostram necessitatem nobis debeant esse cõmendatissimæ: Quamvis eadẽ sint ordinaria, media, quibus beneficia & corporalia, & spiritualia à Deo obtinemus? Ac proinde quãvis Deo ita sint gratę, ut cũ nobis, tum aliis insignia beneficia impetrent: Nequaquam tñ eis debemus adscribere vim ex opere operato pro peccatis satisfactoriã. 1. Pugnat opinio illa cum gratuitâ Dei misericordiâ: Si n. ex gratia, jam non ex operibus. Et si ex operibus jam non est gratia, *Rom.* 11. Itaq; beneficia & corporalia, & spiritualia non sunt precum nostrarũ, aut operũ merita, sed benignitatis divinæ gratuita dona. 2. Adversatur satisfactioni Christi: Nam ipse solus suo sanguine perfectissimum pro peccatis λύτρον persolvit, propter quam satisfactionem nos precibus nostris à Deo peccatorum remissionem obtinemus. Ergo opus illud operatum in Christi meritum est cõtumelioſum. Qua de re pluribus egimus in disputationibus de bonis operibus, & de satisfactione.

20. QUINTÒ. Attendendum est, quomodo orare debeamus ut preces nostræ Deo sint acceptæ: Non enim debent esse hypocriticæ, & Pharisaicæ, sed 1. Proficisci ex corde contrito, & conspersо sanguine Christi: Cor enim contritum & humilitatum non abjicit Dominus, *Psalm.* 51. 2. Orare debemus in Spiritu, & veritate, *Joh.* 4. *v.* 23. In fide Christum cum suis beneficiis apprehendente, Matth. 21. Rom. 10. Precantes enim non debent hæsitare: Qui dubitat, Deum mendacem facit, 1. *Joh.* 5. Et nihil accipit, *Jac.* 1. Fides verò nos reddit certos. Et quicquid absque fide, peccatum est, *Rom.* 14. Sine fide impossibile est placere Deo, *Heb.* 11. Itaque non simpliciter subscribimus Bellarmino *lib.* 1. de bonis operibus in part. cap. 9. dicenti: *Illud proprium est hujus loci, ut intelligamus, non requiri in oratione fidem.* 3. Precantes oportet, ut sint sobrii, 1. *Pet.* 4. *v.* 7. *Estote temperantes, & vigilantes ad orandum.* Nam ebrii ad meditationem rerum divinarum sunt inepti. 4. Oportet preces nostras fundere in nomine Christi, & ad solum dirigere Deum, *Joh.* 16. *v.* 23. 24. 26. 5. Oportet nos distinctionem facere inter bona corporalia, & spiritualia: Illa petere debemus absque ullâ conditione, *Esa.* 43. *v.* 25. *c.* 44. *v.* 3. 22. *cap.* 53. *v.* 5. 11. *Ezech* 33. *v.* 11. *Mich.* 7. *v.* 18. *Joh.* 3. *v.* 15. *Act.* 10. *vers.* 43. Hæc petere debemus cum conditione, si videlicet Deo ita visum fuerit, si ipsius Ecclesiæ sit futurum salutare, nobis utile, 2. *Reg.* 15. *v.* 26. *Matt.* 8. *v.* 2. *Act.* 21. *v.* 14. 6. Consistit oratio non in verborum multitudine,

Matth. 6. v. 7. c. 23. v. 14. Sed in attento, & fideli corde ad Deum subvolante. 7. Non debemus Deo præscribere moras, & horas. Gregorius dicit: *Si non statim exaudit ad horam, non contemnit quarentem, sed exercet potentem.* Itaque continuò debemus precando jnstare exemplo Cananęę mulieris, *Matt.* 15. Indesinẽter precari, 1. *Thess.* 5. Quovis tempore, *Eph.* 6. Die ac nocte, 1. *Thess.* 3. 1. *Tim.* 5. Non fatigari, *Luc.* 18. Sed Dominum expectare quovis tempore, die, ac nocte, *Psal.* 150.

21. Quæstio secunda: *An in quintâ petitione his verbis (remitte nobis debita nostra) petamus omnimodam peccatorum remissionem.*

22. Resp. In dubiũ id vocatur à Bellarmino: Nã scribit lib. 1. de bonis operib. in part. c. 6. p. 1349. *Nomine* DEBITORVM *non intelligũtur hoc loco nisi peccata, non autem debita servandi leges, vota, promissiones, & alia id genus.*

23. Protestantes verò intelligunt nomine DEBITORVM idomne, quod nos obligat, & non præstamus. Ne vero appellatione *debiti* quis intelligat censum & pecuniam, ideò Lucas nominat peccatum. Tertullianus dicit: *Debitum in Scripturis delicti signum est.* Ab Evangelistâ autem generaliter nominatur *debitum*, ut admoneamur. 1. quod quotidiè legẽ, & omnia ejus præcepta transgrediamur, 2. quod quotidiè, & singulis horis peccatorum remissionem petere debeamus. Quare ad ęę obligamur, & quod non præstamus, istius remissionem in quintâ petitione petimus. Itaque in eâ petitione petimus omnium debitorum, & peccatorum nostrorum tam originalis, quàm actualis, tam omissionis, quàm commissionis, omnimodam remissionem, cujus quidem non est causa meritoria, sed testimonium sincera ea remissio, quâ ex animo offensas remittimus debitoribus nostris, seu proximo.

24. Quæstio tertia: *An clausula illa in oratione Dominica (*QVIA TVVM EST REGNVM, *&c.) sit irreptitia?*

25. Resp. Absolutè, & simpliciter illud asserit Bellarminus lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 6. pag. 1353. *Addunt*, inquiens, *Græci codices Matth. 6. post septem petitiones hæc verba: Quia tuum est regnum & potentia, & gloria in secula, Amen. Et explicant clausulam istam Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius in commentario ejusdem loci. Sed certum est, ea verba non esse de textu Evangelico, sed inserta fuisse à Græcis ex consuetudine, quam habent ea verba recitandi post orationem Dominicam.* Omittitur eadem clausula in editione vulgatâ.

26. Respondemus verò Bellarmino clausulam illam nec esse superfluam, nec irreptitiam. Nam 1. In præfatione Filius æternus æterni

patris ducit nos ad ærarium, & quidem ad divitias misericordiæ. In primâ petitione ex ærario ad bene ornatum templum arcis. In secundâ ad pallatium. In tertiâ ad consistorium, docetq; quid ab æterno à venerãda Trinitate sit conclusum. In quartâ ducit eos ad culinam, & cellam, significatque quod sit Dominus, qui dat omnibus escam. In quintâ ducit eos in Gazophylacium. In sextâ ad machinamentum. In septimâ hostibus devictis assumit eos in Paradisum. Et hic est mirabilis Dei currus, cui in conclusione subjungitur, cur Deus suos dicto modo ducat, & quem in finem, nimirum; *quia ipsius est regnum, potentia & gloria in secula, Amen*. Hoc est, Tu es rex noster, regnas in Ecclesia tua, cujus, nos membra sumus. Itaque ad te clamamus, petimusque ut tu, quia potes, nobis succurras, nosque recipias in gloriam tuam. Itaque clausula illa nos monet Dei potentiâ, & bonitate suffultas esse preces nostras, & Dei laudibus preces nostras esse claudendas. Particula verò *Amen* nostrum desiderium, & fidei certitudinem exprimit. Pulchrè igitur hæc clausula totam orationem concludit, dicit Dn. Chemnitius pag. 444. Harm. Primò enim Deum promissionis suæ, & quasi officii sui admonet, exponens causam, quare illa à Deo petamus, & ab ipso nobis dari speremus. Oratio his verbis *tuum est regnum* commonefacit Deum mandati, promissionis, & officii sui in suo regno, ac simul ostendit causam, cur hæc petat, nec apud alium, sed apud Deum solum quærat. Nomine enim *regni*, non regnum universale super omnes creaturas, sed qꝑ vocatur regnum cœlorum, regnum Dei, & Christi in Ecclesiâ intelligitur. Hæc verba, *tua est potentia*, monent, Deum, ea, quæ petimus habere in manu ac potestate suâ, hoc verbo, *Et gloria* oratio Deum admonet, gloriosum ipsi hoc esse, & cedere ad gloriam & laudem misericordiæ, potentiæ, & beneficentiæ, si nos exaudiat. Secundò hac clausula fides petentium excitatur, & confirmatur de exauditionis certitudine. Tertiò monet nos, quomodo beneficia impetrata sint usurpanda, & ad quẽ finẽ referẽda, nimirum ad Dei gloriam, ut dicitur *Ps.* 145. *v.* 10. Gloriam regni tui dicent, & potentiâ tuam loquẽtur, ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & magnificentiam gloriæ regni tui.

27. 2. Græca exemplaria apud Matthæum cap. 6. vers. 13. clausulam eam habent. 3. Syrus interpres eã reddidit. 4. Apostolus Paulus. 2. *Tim.* 4. *v.* 18. Ultimam petitionem de liberatione ab omni malo reddens clausulam illam addit dicens: *Liberabit me* D. O M I N V S

ab om-

ab omni opere malo: Et salvum faciet in regnum suum cœleste. Cui gloria in secula seculorum. Amen.

28. 5. Legitur eadem clausula ferè jisdem verbis 1. *Paral.* 29. *v.*11. Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: Cuncta enim, quæ in cœlo sunt, & in terrâ, tua sunt, tuũ Domine regnum, & tu es super omnes Principes. Similia leguntur, 2. *Paral.*20. *v.*6. 1, *Tim.*6. *v.*15. 16. *Apoc.*5. *v.*13. *cap.*7. *v.*12. 1. *Pet.* 4 *v.*11. *cap.*5. *v.*11. *Psalm.*145. *v.*11. 13. *Apoc.*12. *v.*10.

29. 6. Denique Chrysostomus & Theophylactus clausulam illam interpretantur. Non immeritò igitur eam retinendam esse colligimus.

30. Quæstio quarta: *An horæ Canonicæ per se sint cultus Dei, quibus speciale sit tribuendum meritum?*

31. Resp. De murmurant Pontificii orationem Dominicam ad certum sphærularum numerum: Deinde istis demurmurationibus certas horas assignant: Unde de horis Canonicis Bellarminus lib. 1. cap. 10. & seqq. Prolixè disputat, & quinque huic Disputationi capita assignat. *Primum* est de nomine, & definitione, quod videlicet, *divinum officium* dicatur, eò quòd in iis precibus contineatur id, quod facere debemus erga Deum, siquidem orare & laudare Deum proprium est officium Christianorum, & præsertim eorum, qui Clerici, vel Monachi dicuntur. Eædem preces, inquit, dicuntur *horæ Canonicæ*, quia certis horis recitari debent juxta Canones, & regulas sanctorum Patrum. *Alterũ* est de partibus officii hujus, deq; Canonico tempore singulari partiũ, quarum alias facit Majores, alias Minores, Majores ait, sunt, *Nocturni, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium.* Minores sunt *Psalmi, Hymni, Lectiones, Cantica, Antiphonæ, Responsoria, Litania, Versus, Capitula, Collectæ. Tertium* est de ipsius officii antiquâ, & rationabili institutione. *Quartum* de modo ritè officium persolvendi. *Quintum* de personis, quæ ad hoc officium persolvendum obligantur.

32. Protestantes verò demurmurationem illam ad certam sphærularum numerum docent 1. esse superstitiosam. 2. magicam, quia ei contra scripturam peculiarem spiritualem inesse efficaciam fabulantur, propter quam sæpius eam repetunt. 3. Deo, ipsiusque verbo adversam, quia hac βαττολογίᾳ suâ Deo quasi extorquere beneficia conantur, atque impiè confidunt Deum sibi hac demurmuratione debitorem constituere.

33. Quod

33. Quod attinet horas Canonicas, de illis nostram sententiam sic breviter exponimus: PRIMÒ, oportet semper, & desinenter orare 1. quia quovis tempore undique infinita nos circumdant mala. Itaque singulis momentis indigemus ope divina, & defensione: Nam necessitates nostræ id suadent. 2. Quia Christus & Apostoli ad frequentes preces nos hortantur.

34. SECUNDÒ, Cum autem imbecillitas, & segnities nostra in rebus divinis sit tanta, ut ad preces simus excitandi, ideò non inconveniens, sed utile est, ut quisque Christianus sibi peculiares constituat horas, quibus Dei misericordiam celebret, ejusque opem, & protectionem imploret, ita tamen ne opinetur cæteris horis à precibus omninò abstinendum esse.

35. Nam 1. Ut preces habeantur expressè in V. Testamento est mandatum, *Psalm.* 30. *v.* 5. *Psal.* 33. *v.* 2. 3. *Psal.* 47. *v.* 7. *Psal.* 66. *v.* 3. *Psal.* 68. *v.* 5. 26. *Psal.* 81. *v.* 1. *Psal.* 87. *v.* 7. *Jer.* 20. *v.* 13. &c. Et si quis liberè sibi certas quasdam præscribat horas, illud à Spiritu S. non improbatur, ut nec publicæ conciones, quæ certis habentur horis.

36. 2. Leguntur ejus rei exempla in V. Testamento plurima, ut *Judic.* 5. *v.* 1. *cap.* 10. *&* 12. 1. *Paral.* 25. 2. *Par.* 5. *v.* 12. *Nehem.* 12. *v.* 31. *Psal.* 26. *v.* 7. *Psal.* 27. *v.* 4. *Psal.* 30. *v.* 5. *Psal.* 57. *v.* 8. *Psal.* 59. *v.* 17. *Psal.* 108. *v.* 1. *Psalm.* 118. *v.* 164. *Dan.* 6. *v.* 10.

37. 3. Mandantur etiam passim in N. Testamento preces, ut *Coloss.* 3. *v.* 16. *Eph.* 5. *v.* 19. *Jac.* 5. *v.* 13. &c. 4. Exauditionem Deus non tantum Ecclesiæ toti, sed etiam ubi duo, vel tres consenserint promisit, *Matth.* 18. *v.* 19. 1. *Tim.* 2. *v.* 1. 1. *Cor.* 14. *v.* 26.

28. 4. Exemplo nobis est in N. Testamento ipse Christus, *Matth.* 26. *v.* 41. *Marc.* 14. *v.* 38. *Luc.* 22. *v.* 45. Ipsi Apostoli, ut Paulus, 1. *Cor.* 14. *v.* 15. Petrus, & Johannes, *Act.* 3. *v.* 1. Universi Apostoli, *Act.* 2. *v.* 46. Atque preces tempore Christi, & Apostolorum habebantur in templo, *Luc.* 18. *v.* 9. *Act* 3. *v.* 1. *c.* 4. *v.* 24.

39. 5. Pii Patres certas horas, quas Canonicas vocamus, ordinarunt, quibus Psalmi Davidici in Ecclesiâ Dei cantarentur, Deus celebraretur, pro beneficiis collatis gratiæ ipsi agerentur, & ad plus dandum invitaretur. Censent etiam nonnulli conventum Hierosolymis fuisse, qui constiterit viris Ecclesiasticis, & politicis.

40. 6. Cæterùm cum clarissima lux partim Apostolorum temporibus, partim post ea variis in locis suboriretur, & subinde vel planè in quibusdam locis extingueretur, vel Ethnicis, & Judaicis opinionibus commisceretur, pii Reges Francici certa collegia Clericorum constituerunt, ut in iis puritas doctrinæ, & cultus conservaretur, de rebus divinis, & arduis consultaretur, qui aliis Ecclesiis propagandis inservire possent, educarentur: Ex his quidam, qui digni erant, Ecclesiarum inspectores constituebantur. Eum in finem Carolus Magnus circa annum Christi. 776. Episcopatus Osnabruggensem, Halberstadensem, Munsterienſem, Verdensem, Bremensem, Mindensem, Hildeshemensem, &c. constituit. Hunc alii Principes in illis erigendis, & ordinandis sunt insecuti. Et Ecclesiam nominarunt *cathedralem*, quia esse debebat quasi cathedra doctrinæ, vel ut Chrysostomus dicit, sedes doctrinæ.

41. 7. *Augustinus scribit Epist.* 119. De hymnis, & Psalmis canendis habemus ipsius Domini, & Apostolorum documenta, & exempla, & præcepta. *Cyprianus in serm. 6. de oratione Dominicâ.* Nobis fratres dilectissimi, inquit, præter horas antiquitùs observatas, orandi nunc & spacia, & sacramenta creverunt. Nam & manè orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Recedente item Sole, ac die cessante necessariò rursus orandum est. *Augustinus jam ante allegatus de lib. 1. de opere Monachorum.* Quid agant, ait, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero. Orationibus, inquiunt, & Psalmis, & lectionibus, & verbo Dei. Sancta plane vita, & in Christi suavitate laudabilis: Sed si ab his avocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsæ escæ quotidie præparandæ, ut possint apponi, & assumi. Si autem ad ista vacare servos Dei certis intervallis temporum ipsius infirmitatis necessitas cogit, cur non & Apostolicis præceptis observandis aliquas partes temporum deputamus? Citiùs enim exauditur una obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris.

42. Quare commendamus ipsam rei substantiam, *ipsas pias* preces, quando de horis Canonicis quæritur & pias cantiones Ecclesiasticas, certum, ac decentem ordinem cum in publicis, tum in privatis precibus servandum, quippe qui ipsi certis diebus, & horis ad cultum

tum illum exercendum convenimus, certasque agendi formulas usurpamus. Non enim confusionis, & incompositi status Deus author est, sed pacis, 1. Cor. 14. *vers.* 33. omnia decenter, & secundum ordinem fiant in vobis, *vers.* 40. Gaudeo videns ordinem vestrum, *Col.* 2. *v.* 5.

43. Improbamus verò 1. *Superstitiosam alligationem cultus divini ad certum subjectum personæ*, nimirum ad certum hominum otiosorum genus: Repugnat illa dignitati omnium Christianorum, 1. *Tim.* 2. 1. *Pet.* 2.

44. 2. *Superstitiosam pontificiam alligationem ad certa tempora, horas, & loca*: Multorum enim est opinio quasi certis quibusdam diebus, & dierum horis per se peculiaris insit sanctitas, propter quam gratia Dei tum major inter homines distribuatur, quàm aliis temporibus; & opera, quæ illis fiunt diebus esse sanctiora, quàm quæ fiunt diebus reliquis. At per se dies omnes sunt æquales, nec alius alio sanctior. Omnes dies voluntate Dei illuxerunt. Itaque nulla in illis deterior, nulla utique melior erit. Valeat igitur superstitio illa papistica: Nemo nos judicet in parte diei festi, & sabbati, *Col.* 2. Benedixit quidem Deus, & sanctificavit diem sabbati, verum non ratione sui in abstracto, sed in concreto, & ratione operis, quod jussit in eo fieri: quia dies & mensura operum, Bonaventura in 2. Sent. dist. 15. Verè scribit in cap. 4. ad Gal. causam institutionis, & observationis festorum explicant HIERONYMUS: *Dicat aliquis, si dies observare non licet, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam sabbati observantes, & Parasceven, & diem Dominicam, & jejunium quadragesimæ, & Paschæ festivitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum, diversa in honore martyrum tempora constituta. Ad quod, qui simpliciter respondebit, dicet: Non eosdem judaicæ observationis dies esse, quos nostros. Nos enim non azymorum Paschæ celebramus, sed resurrectionis, & crucis. Nec septem juxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus Sancti veneramur adventum. Et ne inordinata populi congregatio fidem innueret in Christum, propterea dies aliquot constituti sunt, ut in unum pariter veniremus. Non quo*

celebrior sit illa dies, quâ convenimus, sed quo quacunq; die conveniendum sit, ex conspectu mutuo major latitia oriatur.

45. 3. *Superstitiosam alligationem ejusdem cultus ad certas preces, cantiones, & lectiones ab hominibus otiosis superstitiosè compilatas*, cum quâ est conjuncta opinio præcisæ necessitatis, & cultus, atque meriti contra Christianorum libertatem, atque apertissimos Scripturæ textus.

46. 4. *Superstitiosam necessitatem*: Nam addunt Pontificii opinionem necessitatis sub obedientiâ debitâ, & sub pœnâ excommunicationis, ita ut mortalissimè dicant peccare eos, qui illam constitutionem non observat. At horæ *illæ* Canonicæ nusquam sunt mandatæ: Per se sunt res media: Omnia fieri debent ad ædificationem Ecclesiæ: Libertas Christiana non est evertenda.

47. 5. *Superstitiosam operis coram Deo meritorii persuasionem*: Fabulãtur enim Pontificii, in quorum animis hæret opinio operis operati, deleri feriis, & observatione horarum Canonicarum peccata, etiamsi nulla agatur pœnitentia. At quicquid est extra fidem, peccatum est, *Rom.* 14. *v.* 23. Sine eâ nemo potest placere Deo, *Heb.* 11. *v.* 6. Apostolus Paulus connectit conversionem, & fidem, *Act.* 20. *v.* 21. Johannes dicitur prædicasse pœnitentiam, *Matth.* 3. *v.* 2. Hoc sic exponitur, *Act.* 19. *vers.* 4. Prædicavit fidem in Christum, nempe in remissionem peccatorum.

48. 6. Quare scribit Chrysostomus Homil. 40. in Matthæum: *Quid sabbato illi opus est, qui per totam vitam suam agit solennitatem, cœlesti vivens disciplina, peccata fugiens, virtutes colens? Solenniter igitur vivamus continuè: Nam tunc solùm veram solennitatem peragimus, cum spiritualis vita continuè cultum augemus.* Et in 1. Cor. 11. *Vigilemus cum Domino, cumpungamur cum discipulis, oremus, semper id quidem, sed in diebus solennibus potissimum. Namq; solennitates, & festa ideò instituta sunt, non ut turpitudini serviamus, nec ut delicta cumulemus, sed ut illa prorsus abjiciãmus.*

49. 7. Augustinus de otiosis & impiis illis quæstuariis scribit lib. 1. de opere Monach. cap. 28. *Diabolus tam multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque disperšit circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra martyrum, venditant: alii fimbrias, & phylacteria sua magnificant, alii parentes, vel consanguineos suos in illa, vel illa regione se audisse vivere, & ad eos pergere mentiuntur: Et omnes petunt, & omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulata*

latæ pretium sanctitatis: Cum interea ubicunq; in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoque modo innotuerint, sub generali nomine Monachorum, nostrũ propositum blasphematur.

50. Quæstio quinta: *An tituli, qui in Antiphona, Salve Regina Cœli, mater misericordiæ, vita dulcedo, &c. Mariæ tribuuntur, sint legitimi?*

51. Resp. Defendere Antiphonam illam conatur Bellarminus lib. 1. de Bonis operibus in Partic. cap 15. PRIMÒ inquit, dicitur, *Regina* quia omnes beati reges sunt, *Matt. 5. c. 25.* SECVNDÒ dicitur *mater misericordiæ*, 1. quia Christi, per quem misericordiam à Deo consecuti sumus, mater est. 2. quia nobis quotidiè misericordiam à Deo precatur, & impetrat. 3. phrasi hebræâ, quasi mater valdè misericors. TERTIÒ dicitur *vita*, quia Christum peperit, & per illum facta est mater omnium viventium vitâ spirituali. QVARTÒ dicitur *dulcedo*, quia innumerabilibus beneficiis, semper consolata est, & quotidiè cõsolatur afflictos. QVINTÒ dicitur *Spes nostra*, quoniam post Dominum, in ipsius potissimum intercessione confidimus. SEXTÒ rectè additur: *Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende:* Nam certè non minus est salvare homines, quàm ostendere illis Salvatorem.

52. Quoquo verò se Bellarminus vertat, non potest ab idololatriâ antiphonam illam excusare: Cultus enim religiosus soli debetur Deo, qui solus vult adorari, qui solus est cordium scrutator, est solus omniscius, ut defectus nostros sciat, est solus omnipotens, ut opem nobis in necessitatibus ferre possit: Quâ de re egimus in Disputationibus de Sanctorum invocatione, ad quas remittimus.

53. Quæstio sexta: *An horæ Canonicæ rectè linguâ peregrinâ peragantur.*

54. Resp. Bellarminus affirmativam tueri conatur lib. 1. de bonis operibus in particul. cap 16.

55. Opponimus ipsi expressum Apostoli interdictum *1. cor. 14. v. 6. & sequentibus*: Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientiâ, aut in prophetiâ, aut in doctrinâ. &c. *vers.* 14. 15 Si orem lingua, Spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est; orabo Spiritu, orabo & mente; Psallam Spiritu, psallam & mente. Sed & de hac quæstione alibi egimus.

56. Quæstio septima: *An flagellatio sui ipsius corporis sit per se cultus Dei, cujus sit fructus corona vitæ æternæ?*

57. Resp. Quanti sui ipsius corporis flagellationem faciant Pontificii, docet ipsorum praxis. Jesuitæ scriptum quoddam hac de re emiserunt, in quo novum, & abominabile hoc spectaculum celebratur singularis, in scriptura fundatus, à multis sanctis religiosè observatus, Deo optimè placens cultus meritorius & satisfactorius. Bellarminus quæstionem eam attingit lib. 4. de pœnit. cap. 6. pag. 1434.

58. Flagellationem verò illam his refutamus fundamentis. 1. Corpus suum flagellare propter peccatorum remissionem, est satisfactioni Christi detrahere. Ergo flagellatio in oculis Christianorum meritò est, & esse debet abominabilis. Nam Christus solus propter peccata nostra percussus, & flagellatus est, *Esai.* 50. *v.* 6. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. *Cap.* 53. *v.* 5. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super, & livore ejus sanati sumus.

59. 2. Flagellatio illa originem suam habet ab Ethnicis. Ergo in religionis negotio abominabilis esse debet Christianis, quippe qui scire debent, Christum pro se esse flagellatum, passum & crucifixum. De Antecedente dicit Polydorus Vergilius de Inventor. rerum lib. 7. cap. 6. pag. 593. *In supplicationibus publicis* (posteri Apostolorum) *ordine procedunt, ut plurimum saxis, linoque ora contecti, sese flagello converberabant, nudum ac lacerum tergum ferentes, velut verè pœnitentes decet. Unde Ninivitas dictos volunt, quod eodem modo Deum placare studeant, atque Ninivitas olim monitis Jonæ Prophetæ pœnituisse constat. Cæterùm res ipsa fidem facit* A ROMANIS LVPERCIS INSTITVTVM ESSE ACCEPTVM, *quod illi Lupercalia ludrica celebrantes nudi per urbem incedebant, ac larvati flagellis obvios cædebant.* Tertullianus ac Martyres, *Hodie*, inquit, *apud Lacedæmonas solennitas maxima est Diamastigosis, id est, flagellatio, in quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus, & propinquis, & ut perseverent adhortantibus.* Et in Apologetico cap. 46. *Certè Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honorem tolerantiæ domui conferunt, quantum sanguinis fuderint.* Plutarchus in Laconicis Apophthegm. *Lacedæmone*

air,

ait, *pueri per integrum diem flagellis cæsi, sæpe numero ad mortem usque Dianæ Orthiæ aram lati, alacresque tolerant, atque inter se de victoriâ certant, in eo posita, qui diutius, magisque perferat verbera, victoremque summâ consequatur gloriâ. Certamen id Flagellatio dicitur, & quotannis habetur.*

60. 3. Factum illud nonnulli imitati sunt Perusæ in Thuscia anno Christi 1260. Et consequenter in Hungariâ, & Germaniâ, anno Domini 1349. qui sese umbilicotenus scuticâ nodosâ, sive flagello flagellarunt donec sanguis ex corpore effluxit: Unde *sanguinariam pœnitentiam* nominarunt; Sed à Carolo IV. illi sunt proscripti: Et cum sese in Galliam conferrent, & publicè flagellarẽt à Clemente VI. in carcerem sunt conjecti, & sub pœna Banni prohibitum est, ne quis se publicè flagellaret. Atque Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis ante 200. annos Tractatum contra sectam se flagellantium conscripsit, & edidit.

61. 4. Non absimile est flagellatio illa ritui sacerdotum Baal qui incidebant se cultris, & lanceolis donec perfunderentur sanguine, existimantes se sic reconciliari idolo Baal, 3. *Reg.* 18. *v.* 28.

62. 5. Spiritus S. cultum illum propriâ intentione susceptum damnavit in Scripturâ, *Esai.* 58. v. 5. Nunquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid quasi circulum contorquere caput suum? *Col.* 2. *v.* 23. In superstitione non partunt corpori. Quare flagellatio illa nobis esse debet abominabilis.

63. OBIECTIO. *At Bellarminus, habemus,* inquit, *exemplum Apostoli,* 1. *Cor.* 9. *v.* 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. Ergo semetipsum flagellavit.*

64. Resp. Vocabulo *castigandi* impropriè usurpatur in loco allegato ab Apostolo: Significat enim *suo jure, & lubitu non uti in rigore petendi stipendia, affectibus carnis non indulgere, sed eos reprimere.* Nam 1. Quæstio Apostoli est: *An firmi bonâ conscientiâ possint vesci Idolothytis in conspectu & præsentiâ infirmorum.* 2. Apostolus respondet negativè. 3. Cum autem responderent firmi, *nihil esse idolum* ideò citra læsionem conscientiæ Idolothytis aliquem vesci posse; *Regerit Apostolus,* scientiam illam jactatam vanam esse, eò quod scandalizet infirmũ fratrem

trem, & ſuum exemplum ſubjungit, quo oſtendit, ſe in multis ſibi temperaſſe, ut alios lucretur. *Ego*, inquit, *ita curro, non quaſi incertum, ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* 4. Caſtigat igitur corpus ſuum in iis, de quibus anteà fuerat ſermo, nimirum, *nunquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi, nunquid non habemus poteſtatem mulierculam ſororem circumducendi, an ego ſolus, & Barnabas non habebimus poteſtatem non operandi, ſi alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Sed non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti, factus ſum infirmus, ut infirmos lucri faterem, ſic igitur currite ut comprehendatis.* Ego ſic curro, ſic caſtigo corpus meum. 5. Quare ſi πὺ *caſtigare* hoc loco propriam habet ſignificationem. Ergò etiam πὺ currere, & pugnare, quod abſurdum.

Finis Diſputationis LXIV.

DISPUTATIO LXV. & ultima.

QUÆ EST

DE JEJUNIO ET ELEEMOSYNIS.

Resp. M. Magno Magni Alandro Sueco.

THESIS I.

RESTAT, ut conferamus de jejunio, & Eleemosynis, & quæ de his sunt controversa, mutuis collationibus examinemus. Satis verò jejunè de his agit Bellatminus qui defendere conatur doctrinam, quam jam pridem Spiritus S. nuncupavit διδασκαλίαν Dæmoniorum, atque inter characteres hæreticorum, & Apostatarum etiam hunc statuit, quod jussuri sint abstinere à cibis quos Deus creavit ad suscipiendum cum gratiarum actione, 1. Tim. 4. v. 3. Ostendemus id ordine.

2. Quæstio prima: *An fructus, seu effectus Ecclesiastici jejunii sit pro peccatis tum nostris, tum alienis satisfacere, Deum iratum placare, & præmium cœleste promereri?*

3. Resp. Eckius in Enchir tit. 14. Prop. 3. pag. 83. *De jejunio*, inquit, *liquet rem esse sanctam propter corporis maceration em, Spiritus pertinacis expulsionem, divinæ gratiæ implorationem & Christi jejunantis imitationem.* Felicianus Capitonus Narniensis scribit explicat. Cathol. par. 2. Expl. 16. pag. 172. *Proponit Christus jejunio mercedem futuræ gloriæ, cum Matth. 6. subjungit: Et Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi. Quid enim Pater cœlestis jejunantibus reddet, nisi cœlestem vitam. Qui igitur jejunia abhorrent, despiciunt, parvi pendunt, haud sunt ex eorum numero discipulorū, quibus dicit Chri-*

stus: Cum ablatus fuerit ab eis sponsus, jejunabunt. Petrus à Soto in assertione Catholicâ de jejunio, Jejunium esse, ait, *opus, quo satisfiat pro peccatis, quæ expientur illa, Dei ira mitigetur, & Deo nos reddamur gratiores.* Johannes David in Veridico Christiano, *Tria sunt*, inquit, *quibus communiter placari se finit divina bonitas: Oratio, jejunium, Eleemosyna.* Toletus scribit pag. 568. *Jejunii finis est satisfactio pro pœnis peccatorum: Quia enim cognoscit Ecclesia pœnas Purgatorii, nimis esse graves, & posse peccatorem in isto mundo levi pœna satisfacere pro peccato, quod gravissima non satisfaceret pœna in Purgatorio, instituit hoc jejunium, quod est pœnale, in pœnarum peccatorum satisfactionem: maximè cum satisfactio hujusmodi in hoc excedat satisfactionem Purgatorii, non solùm quia levior multò est, sed quia cum in gratiâ fit, est meritoria gratiæ, augmenti, & gloriæ.* Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in partic. cap. 11. Fructus, & utilitates jejunii enumerans. *Adversarii*, inquit, *nostri magno in errore versantur, secuti Patriarcham suum Jovinianum: Docent quidem jejunium utile esse ad carnis petulantiam coercendam, ad orationis auxilium, ad signum humilitatis, & pœnitentiæ; tamen obstinatè contendunt jejunium nihil valere ad placandum DEVM, nihil ad satisfaciendum pro peccatis, nihil ad impetrandum auxilium, nihil ad cœleste præmium promerendum, &c.* Salmeron Tom. 4. pag. 110. & seq. utilitates jejunii easdem enarrans dicit. 1. quod jejunium naturâ suâ carnem vincat, eamque domet atque Spiritui subjiciat. 2. Quod per jejunium vincatur mundus, nempe oculorum concupiscentia cum divitiis pariter, & honoribus. 3. Quod præstet, ut Dæmones vincamus, sicut & CHRISTUS de Satanâ triumphavit, nobisque jejunii armis de hoste triumphandi exemplum præbuit. 4. Quod victoriam pariat Angelorum, quibus cognatum est ipsum jejunium, & abstinentia, quemadmodum & , quæ illis comparatur virginitas. 5. Quod jejunio sanitas bonaque valetudo comparetur, & parta servetur, atque adeò omne morborum genus, quod corpus infestat, propulsetur. 6. Quod pes jejunium DEUM ipsum multis modis expugnemus, *primò* indignationem ejus in peccata nostra conceptam placando, atque mitigando, remissionemque culpæ obtinendo. *Secundò* impetrando ab eo virtutes, quibus rectè vita nostra instituitur, atque exornatur: Siquidem jejunio acquiritur temperantia,

quam

quam in divinis sequitur fortitudo, atque prudentia, cæterarumque virtutum chorus, & comitatus: præterea à Deo extorquet donum intelligentiæ, mentisque elevationem, impetrat Spiritus affectusque nostri inflammationem, & ardorem ad divina, consolationem promeretur divinam, & tandem vitæ æternæ præmium. Videatur etjam Costerus de jejunio, & de delectu ciborum cap. 18. p. 549. & seq.

4. PROTESTANTES verò utilitates quasdam veri jejunii agnoscentes, & superstitiosum, seu Papisticum jejunium damnantes distinguunt inter ipsum DEI cultum, & inter illud, quod cultui inservit: *Jejunium per se, & propter se non est* DEI *cultus*: Regnum enim DEI non est cibus, & potus, sed justitia & pax, & gaudium, in Spiritu Sancto. Qui enim in hoc servit, placet DEO, & probatus est hominibus, *Roman. 14. vers. 17. 18.* Et esca nos non commendat Deo: Neque enim si manducaverimus plus habebimus, *scilicet apud Deum*, neque si non manducaverimus, quicquam nobis deerit, *1. Cor. 8. v. 8.*

5. Inservit verò jejunium cultui, Deoque placet, si ad hunc referatur finem, ut caro coërceatur, & in servitutem redigatur, ne spiritui obluctetur, & ut corpus habeamus magis idoneum ad res spirituales, mensque sit aptior ad effectus spirituales, atque ut Spiritus eò ardentiùs se totum dedere, & vacare possit pœnitentiæ, precibus, atque reliquis pietatis exercitiis: Hucrespiciens Hieronymus, *Jejunium*, inquit, *non est virtus, sed gradus ad virtutem.*

6. Hujusmodi fines, ob quos Deo jejunium probatur, ostenduntur in scriptura testimoniis, & exemplis. *Primus finis est, ut caro sobrietate, seu temperantiâ coerceatur, atque ut Spiritui subjiciatur*: Adhibenda quidem est corporis debita cura, & commoda tractatio, sed ea simul est adhibenda moderatio, ne corpus nimiâ repletione, vel nimis delicatâ tractatione impinguatum mentem obruat, *Deut. 32.* Cor gravet, *Luc. 21.* Semen in voluptatibus suffocet, *Luc. 8.* Sed ut in officio retineatur, Apostolus dicit *Rom. 13. v. 14.* Carnis curam ne feceritis in desideriis.

7. *Secundus finis est in exercitiis seria pœnitentiæ: In illis enim monet Deum ardenter esse invocandum & adorandum.* Jejunandum est igitur in illis, ut mens sine impedimentis excitatius, & liberius possit vacare meditationi de abominatione peccatorum. Exempla hujus rei leguntur Joël 2. 3. Reg. 21.

8. *Tertius finis est in luctu, & calamitatibus, vel præsentibus, vel imminentibus*: In illis jejunia enim sunt admonitio de peccato, quod malorum est causa, conciones legis de irâ Dei propter peccata: Exempla leguntur Joël. 1. Jon. 3. 2. Reg. 12. Mich. 7. 1. Reg. 7.

9. *Quartus finis est in precibus solennioribus, & ardentioribus*: Unde Scriptura plerunque conjungit jejunium, & orationem, & quidem, annotante Dn. Chemnitio par. 4. Exam. p. 158. propter duas causas. *Primò*, quia impœnitentiũ oratio Deo nõ placet. *Esa.* 1. *v.* 15. Jejunium v. partim est incitamentum ad seriam peccatorum, & iræ divinæ considerationem, partim est declaratio, & externum testimonium interioris contritionis. *Secundò*, quia oratio non debet labiis appropinquare Deo. Ad excitandam igitur, retinendam, & augendam intentionem in oratione, & ad cavenda obstacula in precibus publicis, solennibus, & ardentioribus adhibuerunt sancti jejunia.

10. Ex illis jejunii finibus qualecunque judicium fieri potest de ejus generibus. Bellarminus lib. 2. cap. 1. *Accipitur vox jejunium*, inquit, *quatuor modis, ex quibus oriuntur quatuor quasi genera jejunii, spirituale, morale, naturale & Ecclesiasticum.*

11. Ecclesiasticum illud jejunium Pontificiorum improbaturi aliam divisionem ostendimus. Commendat enim Scriptura nobis duplex jejunium: Alterum est morale, quod est Christiana sobrietas; alterum ceremoniale, quod sancti liberè instituerunt vel in solennibus precibus, vel in aliis casibus, vel ut copiosius de jejunio agamus, dicimus hoc esse pium vel impium. *Jejunium pium est*, quod sacris literis est consentaneum, ejusque nititur exemplis. Estque spirituale, vel corporale. *Jejunium spirituale est abstinere à peccatis, & illicitis cupiditatibus, Esai.* 58. *v.* 6. Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Augustinus super Johannem: Tract. 17. Jejunium, inquit, *magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum jejunium, ut abne-*

gantes

gantes impietatem, & seculares cupiditates, sobriè & justè, & piè vivamus in hoc seculo.

12. *Corporale jejunium, quod nonnulli respectu finis religiosum nominant, est voluntaria abstinentia à cibo, & potu, pietatis causa. Estque hoc propriū, vel commune.* Proprium est, quod certis quibusdam personis in Scriptura adscribitur. Et hoc est *miraculosum*, ut Mosis, *Exod.* 24. *v.* 18. *Deut.* 9. *v.* 9. Eliæ, 1. *Reg.* 19. *v.* 8. Christi, *Matt.* 4. *v.* 1. *Mar.* 1. *v.* 12. *Luc.* 4. *v.* 1. *Officiosum*, ut Pauli, *Act.* 9. *vers.* 9.

13. *Commune jejunium multis convenit.* Et hoc est temporarium, vel quotidianum. *Temporarium jejunium est, quando homines vel à prandio, vel à cœnâ per certum tempus abstinent*, ut lasciviens caro, quasi fræno dometur, 1. *Cor.* 9. *v.* 25. ob commissa delicta verè doleamus, coram Deo nos abjiciamus, & humiliemus, 2. *Sam.* 12. *v.* 21. Ad preces serio cordis affectu ardentiores simus, *Luc.* 2. *v.* 37. *Act.* 13. *v.* 14. 1. *Cor.* 7. *v.* 7. Atque ut externâ declaratione cum nosmetipsos, tum alios ad resipiscentiam acuamus, *Joël.* 2. *v.* 15. 1. *Sam.* 7. *v.* 5. 6.

14. Temporarium hoc jejunium est vel *publicum*, *Esai.* 58. *v.* 5. *Jud.* 20. *v.* 26. *Joel.* 2. *v.* 12. *Jon.* 3. *v.* 5. 2. *Paral.* 2. *v.* 3. vel *privatum*, *Exod.* 34. *v.* 28. 2. *Sam.* 3. *v.* 35. *Neh* 1. *v.* 4. *Judit.* 8. *v.* 6. *Dan.* 9. *v* 3. *Act.* 14 *v.* 23.

15. *Quotidianum* est, quando homines semper sobriè, & temperanter vivunt, *Luc.* 21. *v.* 34. Attendite vobis, ne graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate 1. *Pet.* 5 *v.* 8. Sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret.

16. *Impium jejunium est, quod expresso Dei verbo adversatur.* Estque 1. *hypocriticum*, *Esai.* 58. *v.* 4. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, *Matt.* 6. *v.* 16. Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ. Exemplum hujus vide, 1. *Reg.* 21. *v.* 12. 27. 2. *Pharisaicum*, *Luc.* 18. *vers.* 12. Jejunio bis in Sabbatho.

17. 3. *Papisticum*: Somniant enim Pontificii jejunium suum, quod certis temporib. indicunt, & consistit in delectu ciborū, habere rationē meriti, & esse satisfactorium pro actualibus peccatis, & pœnis.

18. Opponimus jejunio illi Papistico sequentia. 1. Omnis cultus divinus nititur expresso Dei mandato, unde divinus dicitur. Atqui jejunium illud Papisticum, seu superstitio illa Papistica non nititur expresso Dei mandato. Ergò. Imò summus ille Doctor Christus, *Matt.* 23.

vers. 10. cujus mandatis obtemperare tenemur, *Matth.* 17. *vers.* 5. *cap.* 18. *vers.* 20. interrogatus à discipulis Johannis, cur ipsi & Pharisæi frequenter jejunent; Discipuli autem ipsius non jejunent; Discipulis suis non certa jejunandi constituit tempora, multò minus ex jejunio Pharisaico meritorium facit cultum, sed illud confert cum utribus veteribus, qui se habent ad doctrinam Christi, ut vestimentum vetus ad panniculum novum, & utres veteres ad vinum novum, *Matth.* 9. *v.* 14. 15. 16.

18. *Dicit quidem Christus discipulos suos aliquando jejunaturos, cum ablatus fuerit ab eis sponsus, idque opponit Felicianus Capitonus*; Verùm intelligit CHRISTUS, non superstitiosum quoddam jejunium nec præscribit certa tempora, vel certum modum cum opinione cultus divini. Sed intelligit jejunium, cujus origo est vehemens tristitia: Inde conjungit luctum cum jejunio.

19. 2. Præter unam hostiam, Christum agnum Dei, nihil quicquam pro peccatis satisfacere potest, nec ullum dari potest æquivalens λύτρον, meritumque præter ipsius sanguinem, ut alibi pluribus ostendimus. Ergo blasphemia est tribuere jejunio satisfactionis, vel meriti virtutem. Athanasius serm. 2. contra Arianos scribit: *Salvatoris hostia semel oblata, absolvit omnia, fidaque in omne tempus perdurat.* Et Chysostomus Homil. 13. in Epist. ad Heb. *Non est aliud sacrificium*, inquit, *unum nos purgavit: post illud ignis ac gehenna.*

20. 3. Cuicunque jejunio superstitioso affingitur finis, opinio cultus, meriti, justitiæ, & satisfactionis, illud prorsus rejicit, & abominatur Deus. Affingitur verò illa jejunio Pontificio, ut ipsorum pontificiorum ostendimus verbis. Ergo. De Majore notamus quædam Scripturæ testimonia, ut *Esai.* 58. *v.* 3. 4. 5. Quare jejunavimus, & non aspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud vocavi jejunium, & diem acceptabilem Domino? *Jer.* 14. *vers.* 10. 12. Hæc dicit DOMINUS populo huic qui dilexit movere pedes suos, & non

quievit,

quievit, & Domino non placuit: Nunc recordabitur iniquitatum eorum, & visitabit peccata eorum. Cum jejunaverit, non exaudiam preces eorum. *Zach. 7. vers. 3.* Populus interrogat: Nunquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut jam feci multis annis. Respondet autem Dominus *vers. 5. & 9.* Cum jejunaretis, & plangeretis in quinto, & septimo per hos septuaginta annos: Nunquid jejunium jejunastis mihi. Judicium verum judicate: Et misericordiam, & miserationes facite unusquisque cum fratre suo.

21. 4. Quicquid annumerat Apostolus cultibus electitiis, illud coram Deo est abominabile, quippe qui frustrà colitur mandatis hominum, & qui dicit: Non facietis singuli quod vobis rectum videtur. Atqui ἀφειδίαν, hoc est, inediam, & abstinentiam ciborum, quâ Deum sibi demereri quis studet, annumerat Apostolus cultibus electitiis, *Col. 2. v. 23.* Et 1. *Tim. 4. v. 2.* nuncupat διδασκαλίαν Dæmoniorum. Ergo.

22. 5. Pharisæus igitur allegans sua jejunia, *Luc. 18.* velut meritoria, descendit non justificatus. Et *Matth. 6.* Hypocrita suis jejuniis nihil dicuntur mereri. Syracides dicit *cap. 34. vers 31.* Homo, qui jejunat propter peccata sua, & iterum vadens & hæc faciens, orationem illius quis exaudiet. Itaque jejunium per se non est cultus Dei, nedum moralis.

23. Quare improbamus jejunium superstitiosum Papisticum, quod fingitur cultus Dei moralis, & quidem meritorius; commendamus jejunium Pædagogicum, & quidem à fine bono: Inservit enim cultui divino: Idem per omnia docuit B. Lutherus: uti videre est ex Expl. cap. 6. Matth. Nam dicit: Præcipuè, & ante omnia sobrietati esse studendum; Posteà adjungenda esse etiam exercitia, jejunii propriè dicti, ut aliquando corpus castigetur subtractione cibi, & omnium delitiarum corporis non impiâ aliquâ opinione meriti, sed hoc fine, ut carnis petulantia, & inertia reprimatur & caro Spiritui subjiciatur, utque ad ferendas afflictiones, ubi opus fuerit, assuefiat.

24. Quæstio secunda: *Num ad rationem jejunii in N. T. abstinentia à certis cibis, ac potissimum à carnibus pertineat?*

25. Resp.

26. Resp Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in part. cap. 3. scribit: *Ciborum delectum, qui in Ecclesia Catholicâ certis diebus ab omnibus, & omnibus diebus à quibusdam religiosè servatur, passim reprehendunt, Lutherus in libro de Libertate Christianâ, Philippus in Augustanâ confessione, &c.* Et cap. 5. dicit: *Probandum nunc superest, ad rationem jejunii abstinentiam à certis cibis, atque à carnibus potissimùm pertinere. Adversarii siquidem solùm in genere abstinentiam à nimio, & lauto cibo, non autem in particulari ab aliquo genere cibi ad rationem jejunii pertinere contendunt.* Eckius in Enchir. Tit. 14. *Ecclesia,* inquit, *licitè prohibet certos cibos certo tempore.* Costerus in Enchir. de Jejun. & delectu cibor. prop. 4. p. 550. *Ecclesia à Christo authoritate acceptâ,* ait, *rectè imposuit Christianis jejunia, & à certis cibis abstinentiam, cujus præceptum quisquis violat, ac contemnit, gravi peccato sese obstringit. Ecclesiam habere jus in sibi subjectos in his, quæ ad animarum salutem pertinere judicaverit, si quis in dubium vocare velit, is omnem obedientiam de medio sustulerit* Hieronymus à Polit. io Siculus in exposit. Ordin. Fiat. Minorum pag. 319. n. 53. *In omni Ecclesiastico jejunio,* inquit, *esus carnium interdictus est. Esus autem ovorum, & lacticiniorum, & eorum omnium, quæ à carnibus sementinam originem trahunt, tantùm in quadragesimâ, non in aliis interdicitur jejuniis.* Et pag. 320. *Servanda est hora refectionis, quæ est, ut cibus circa horam nonam, h. e. tertiâ horâ post meridiem sumatur.* pag. 323. *Ad integritatem jejunii pertinet secundum omnes, non nisi semel in die jejunii comedere.* Peltanus de tribus bon. oper. generibus pag. 134. *Christiano, vel Ecclesiastico ritu,* inquit, *h. e. secundum normam ab Ecclesiâ præscriptam, vel ab eâdem approbatam, jejunaturus, prater ciborum delectum, qui propriæ rationis jejunio adeò intrinsecus est, ut ab eo divelli vix queat, duo observare debet: Horum alterum est, ne sapiùs, quàm semel interdiu cibum sumat: Alterum est, ne ante nonam, vel vesperam, vel crassâ quadam calculatione, ante meridiem istud faciat: quod si quid ex tribus his prætermiserit, ut abstinuisse dici queat, legitimè jejunasse dici non potest.*

27. Canisius igitur in Institut. Christianæ charit. hanc tradit definitionem: *Jejunium est certis diebus juxta morem, & præscriptum Ecclesiæ carnibus abstinere, & saltem unicâ cibi refectione in die contentum vivere frugalius.* Costerus dicit in Ench. pag. 549. *Jejunium Ecclesiasticum est, cum quis ad Dei gloriam, ut corpus affligat, carnibus abstinens, nec ante meridiem, aut circa meridiem: nec amplius, quàm semel corpus in die cibo reficit.*

28. Sen-

27. Sententia verò Protestantium est, *posse quidem ab aliquo discrimen ciborum, ut & temporis, observari ad sanitatem suam vel conservandam, vel recuperandam, vel ob consimilem causam*, Eccl. 10. v. 17. Syr. 37. v. 30. 31. Act. 15. v. 20. Rom. 14. v. 21. 1. Cor. 8 v. 13. 1. Cor. 10. vers. 8. 13. *Improbant verò factum pontificiorum ciborum certorum usum certis diebus prohibentium, & delectum ciborum præscribentium cum opinione necessitatis, cultus, & meriti,* atque à veteribus Tatianis, Encratitis, & Manichæis hac in causâ haud multum differentium.

28. Opponimus igitur opinioni Pontificiorum propositiones duas. PRIMA PROPOSITIO: *In N. Testamento discrimina illa ciborum Levitica sunt sublata. Imò sacer codex differentiam ciborum sub opinione necessitatis, cultus, & meriti observandam esse negat.* Quæcunque igitur opinio differentiam illam introducere conatur, adversatur sacro codici. Atqui eam introducere conatur dogma Pontificium de jejunio. E.

29. Nam 1. Servator dicit, *Luc.* 10. v. 8. Manducate, quæ apponentur vobis. 2. Et *Matt.* 15. v. 11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Cum verò Pharisæi, audito sermone illo offenderentur: Respondit Christus: Omittite eos, duces sunt cæci cæcorum.

30. Excipit Bellarminus lib. 2. de bonis oper. in par. cap. 8. *Negari non potest*, inquiens, *quin id, quod intrat per os, aliquo modo coinquinet hominem: alioquin crapula, & ebrietas, quæ os intrant, hominem non coinquinarent.*

31. Resp. ludit Sophista: Nam *primò* Christus agit de cibo & potu; Jesuita de ebrietate, & crapula. *Secundò*, legitimus, & justus cibi potus, esus, ac usus non coinquinat hominem; sed abusus, superflua & superstitiosa sumptio: Nam edere, & bibere per se libera, & media res est: Si quid ipsi accedit corruptelæ, illud ab ipso oritur homine. Censeri igitur debet non extrinsecum, sed intrinsecum.

32. 3. Facta est vox ad Petrum, *Act.* 10. v. 15. Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. 4. Cum tempore Apostolorum moveretur quæstio de ceremoniis Mosaicis, & sic etiam de discrimine ciborum, *Levit.* 11. num & Christiani his sint obligati, concluserunt Apostoli unanimiter in Synodo suâ legitimè in spiritu Sancto congregatâ *Act.* 15. v. 20. 28. 29. *Visum est Spiritui S. & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: Ut abstineatis vos ab immo-*

latis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Non quasi immolata illa per se sint immunda, sed ut publicè testarentur, sibi cum idololatriâ nihil esse commune, 1. *Cor.* 10. Deinde necessitas illa non est simplex, sed referri debet ad temporis conditionem, ut nimirum Gentium cum Judæis esset magis apta, & minus dissentanea vivendi ratio: Nam Judæi recens ad Christianismum adducti vehementer offendebantur, si quem Christianum videbant mandere sanguinem, & simile quod in lege prohibitum. Apostolus igitur dicit, *Rom.* 14. *v.* 15. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Et 1. *Cor.* 8. *v.* 13. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternũ, ne fratrem meum scandalizem. Causa verò mandati hujus Apostolici cessante, cessat & ipsum mandatum.

33. 5. *Rom.* 14. *v.* 17. Regnum Dei non est esca, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu S. 6. 1. *Cor.* 8. *v.* 8. Esca nos non commendat Deo: Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus.

34. 7. Hieronymus ad Eustochium Tom. 1. pag. 137. scribit: *certè honorari nequicquam potest eo cultu Deus, quem verbo non instituit.* Origenes Homil. 10. in Levit. pag. 159. *Vis, ostendam tibi,* ait, *quale te oporteat ieiunare ieiunium ieiuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concalescas, ieiuna à malis actibus, abstine à malis sermonibus, contine te à pessimis cogitationibus, noli contingere panes furtivos perversæ doctrinæ, non concupiscas fallaces Philosophiæ cibos, qui te à veritate seducant: tale ieiunium Deo placet.* Augustinus Serm. 172. de temp. *Jejunia Christianorum,* inquit, *Spiritualiter potiùs quàm carnaliter observanda sunt.*

35. Propositio Secunda: *Libertas Christiana in Ecclesia studiosè est servanda:* Hac enim doctrinâ conservatâ, conservatur præcipuum religionis Christianæ caput, quod est de gratuitâ peccatorum remissione. Et hac doctrinæ luce amissâ obscuratur doctrina de fidei justitia, transferturque beneficium hoc Christi summum in observationem rituum, *Iohan.* 8. *v.* 36. *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* *Gal.* 5. *v.* 1. *Quâ libertate Christus nos liberavit, state, & nolite iterum iugo servitutis contineri.* Quo igitur impugnatur Christiana libertas, illud fugere Christianos oportet. Atqui ciborum delectu Pontificio ea impugnatur, quia Ecclesiæ tanquam necessarius imponitur. Ergò

36. 1. Apost.

36. 1. Apostolus igitur dicit, 1. *Cor.* 10. *v.* 25. Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 2. *Col.* 2. *vers.* 16. Nemo vos judicet in cibo aut potu. *vers.* 20. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid ut viventes in mundo placitis astringimini. 3. *Tit* 1. *vers.* 15. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum. 4. *Rom.* 14. *v.* 3. Qui manducat, non manducantem non spernat: Et qui non manducat, manducantem non judicet. 5. 1. *Tim.* 4. *v.* 1. 3. In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad suscipiendum cum gratiarum actione.

37. Conqueritur Bellarminus de impudenti Protestantium calumnia, eamque multis refellere conatur lib. 2. cap 4. *Multi*, inquit, *ex adversariis Catholicæ* (Romanæ) *Ecclesiæ illud objiciunt, quod cibos prohibeat, quasi naturâ sua immundi sint, &c.*

38. Resp. 1. Prætermittere igitur debebant Pontificii consecrationes suas: In his enim expressis verbis petunt, ut Diaboli vis, ac potestas à creaturis expellatur, & per consecrationes hoc accipiant, ut sint sanitas mentis, & corporis. Ergo statuunt, creaturas per se, & prohibitis temporibus, quando non consecrantur, à diaboli potestate infectas, inquinare corpus, & animam, nisi diabolus inde execrationibus Pontificiis exorcisetur. 2. Abjicere debebant fundamenta, quibus hactenus superstitiosum illum delectum ciborum defendere studuerunt, quorum unum sumptum est à maledictione terræ, & per consequens animalium in terra viventium; Maledicta verò non est aqua: Ergo nec pisces in eâ. Alterum à cibo Christi: Legitur enim non comedisse carnes, sed pisces, panes vel mel. Tertium ab effecto: Carnis enim ea est immundities, ut excitet in homine pravas carnis concupiscentias.

39. Quod ex *Levit.* 11. *Deut.* 4. de delectu ciborum objicitur, illud nihil plane juvat Pontificios. Nam 1. Habebatur tùm expressum Dei mandatum. 2. Abrogatum illud est in Nov. Testamento. *Col.* 2. *v.* 16. dicit Apostolus: Nemo vos judicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum. 3. Differentia illa ciborum observanda erat non certis diebus, sed semper; At pontificii delectum ciborum statis observant temporibus. 4. Annón in eodem capite

Levit. 11. *v.* 11. Quicquid pinnulas, & squamas non habet, eorum, quæ in aquis moventur, & vivunt, abominabile vobis, exsecrandumque erit *carnes* eorum non comedetis; Ut & 1. *Cor.* 15. *v.* 39. Nō omnis *caro* eadem caro: Sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrium, alia *piscium*. 5. Levitica illa ciborum distinctio non versabatur circa id, num carnibus, vel piscibus vesci liceret; sed discernebat inter animalia munda, & immunda. Ergò insulsè torquetur ad Pontificium ciborum delectum. Dicuntur verò quædam animalia immunda. 1. respectu valetudinis, quia sunt insalubria: Syracides dicit cap. 37. versicul. 31. Non omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet. Inde infert idem, quod quilibet suam explorare debeat naturā, neque ventri, gulæque ingerere quæ sibi noxia esse novit. Apostolus dicit, 1. *Cor.* 6. *v.* 12. *cap.* 10. *v.* 23. Omnia mihi licent, sed non omnia conducunt. Cum verò consuetudo sit altera natura, factum est inde, ut, quod uni populo nauseam movet, alteri arrideat. 2. respectu immunditiei Leviticæ, quia videlicet Mosaica lege à mensa, & ab arâ removebantur, *Levit.* 11. Quæ igitur talia à Mosaica lege declarantur, pro immundis habentur. Tertullianus de his dicit: Immunda dicta sunt usui, non creationi, quorum interdictus usus sub quibusdam figuris cognoscitur. Lex enim cibos carnis cum discretione disposuit. Quædam enim ad usum quasi munda contribuit & concessit animalia: quædam interdixit quasi non munda, & ipsos edentes inquinatura. Et mundorum quidem hanc formam dedit, ut quæ ruminatione ruminent, & ungulas findant, munda sint; in munda verò quæ neutrum, Tertullianus de cibis Judaicis.

40. Quæstio tertia: *An jejunium quadragesimale ab ipsis Apostolis sit institutum, & perpetuò universæ Ecclesiæ observandum?*

41. Resp. Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in part. cap. 14. Vera sententia est, inquit, Quadragesimale jejunium ab Apostolis Domini institutum, atque Ecclesiæ universæ traditum fuisse. Felicianus Capitonus in Explicat. Cathol. pag. 429. scribit: Sanctum Quadragesimale jejunium à sanctis Scripturis non habemus; ab Apostolis tamen institutum testatur Hieronymus. Costerus in Enchiridio pag. 553. *Jejunium Quadragesimæ est indictum ab Apostolis.* Salmeron Tom. 4. pag. 104. Jejunium quadragesimale sub mortifero delicto indictum,

atque

atque præceptum universis, qui integris viribus constat. Valentinianus Tom. 3. Disput. 9. de jejunio quæst. 2. punct. 5. Certum est, inquit, omnes eos, quibus causa aliqua rationabilis ad jejunium prætermittendum non suppetit, teneri ex præcepto Ecclesiæ ad jejunium, & quidem sub peccato mortali, quantum est ex genere ejus præcepti. Idem deinde tres indicat casus, quibus aliquis jejunare non teneatur, nimirum 1. *propter impotentiam* : ubi quis sine magno, & notabili detrimento, vel suo, vel alterius nequit præceptum hoc præstare Ecclesiasticum, ut si quis nondum sit viginti unius annorum, si infirmus, si debilis, si senex, si pauper admodum. 2. *Propter necessitatem*, cum quis alicui operi sibi aut suis necessariò, vel etiam valde utili, non possit simul vacare jejunando, ut qui labore sibi proprio victum quærunt, qui concionantur, & docent, vel alioqui negligerent peculiarem aliquam opportunitatem parandi sibi insigne aliquod commodum, vel lucrum honestum. 3. *Ob pietatem*, cum quis omittat jejunium propter aliquod bonum opus melius, & Deo gratius, quam sit jejunium.

42. Polydorus Vergilius lib. 6. de Invent. rer. cap. 3. de origine & appellatione simul disputat. *Longo jam usu venit*, inquit, *ut quadragesima absolutè ponatur pro eo XL. dierum spatio, qui sunt jejunio sacri, sed quàm latinè nescio, nisi dicatur, quia ordine est dies quadragesima sacri jejunii, & finis ejusdem : ac inde sic nominetur, quod sit ultima dies ex quadraginta, sicut secundus est ultimus ex duobus. Atqui fuere nonnulli, qui istiusmodi partem temporis tanquam totius anni decimam sacro jejunio darent. Nam cum annus constet ex CCCLXV diebus, ac horis sex, decima pars est triginta sex dies, & nescio quot horæ : Et quia deinde quatuor dies, sicut infrà dicemus, additi sunt, ex eo, etsi satis inepte, nomen composuerunt, ut quadragesima nuncupata sit, quasi quatuor & decima, &c.*

43. Divisiones jejunii alii proponunt varias : Dividunt illud in plenum, & semiplenum : In perfectum, & imperfectum : In jejunium devotionis, & institutionis : In necessitatis, & supererogationis : In particulare, & commune : Communia faciunt quatuor : Quadragesima, quatuor tempora, vigilia Nativitatis, vigilia Pentecostes, vigilia assumptionis beatissimæ virginis, omnium sanctorum, & Apostolorum ; Præter vigiliam S. Johannis Apostoli, & Sanctorum

Philippi, & Jacobi, quæ est inter Pascha, & Pentecostes, vigilia S. Johannis Baptistæ, & S. Laurentii: Ultra hæc sunt aliquot particularia in locis aliquibus particularibus, videatur *Franciscus Toletus lib. 6. Instruct. Sacerd. cap. 3. p. 572. Salmeron Tom. 4. Peltanus in lib. de tribus bonor. oper. generibus.*

44. Quæ verò de jejunio hoc Quadragesimali sit sententia Protestantium *, & quid de eo statuant liquet ex præcedentibus: Est illud multis modis vitiosum, superstitiosum, & impium. Ergo omninò illud improbant, & damnant. Nam. 1. Nullũ de jejunio hoc extat in Scriptura præceptum ; sed nititur tantùm authoritate humanâ Ergo non debet jejunium hoc simpliciter Ecclesiæ tanquam divinum obtrudi. Sacerdotes, frigescente devotione, quadragesimam indixêre, scribit *Cassianus, Collat. 21. cap.* 30. Et quidem cum libertate hac, quãdiu aliquis aut vellet, aut jejunare posset, ut August. testatur lib. 30. cõtra Manich. cap. 5. Item Eusebius lib. 5. Histor. Eccles. c. 23. Inde à variis Ecclesiis variè libertas hæc fuit observata, tùm quoad temporum intervalla, tùm quoad ciborum genera juxta Socratem lib. 5. Histor. Eccles. cap. 21. Sæpius etiam à nonnullis uno anno, ut Micrologus observavit in lib. de observ. Eccles. cap. 25. Hieronymus Epist. 54. ad Marcellam, tres quadragesimas à Montanistis celebratas fuisse scribit. Quidam à Thelesphoro jejunium illud institutum esse sentiunt : De ipso enim dicitur Dist. 4. c. 4. Juris Canon. *Statuimus, ut septem hebdomas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sortem Domini vocati à carne jejunent, quia sicut discreta debet esse vita clericorum à laicorum conversatione, ita & in jejunio debet esse discretio.* Ambrosius scribit in lib. sermon. 1. *Quadragesima sex septimanas habet, cui addidit Telesphorus Pontifex septimam hebdomadam & vocatum est hoc tempus quinquagesima.*

45. 2. Quod in libertate est positum, tanquam necessarium non debet Ecclesiæ obtrudi. Atqui jejunium, ejusque modus in libertate est positus. Ergo tanquam necessarium non debet Ecclesiæ obtrudi. Non igitur proprietatem veri jejunii habet jejunium Papisticum, Augustinus ad Casulanum Epist. 86. *Ego in Evangelicis & Apostolicis literis, totoque instrumento , quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium, quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, & Apostolorum non invenio definitum.* Socrates histor. Eccl. lib. 5. cap. 21. *Quia nemo eâ de re præceptum literarum*

rum

rum monumentis proditum potuit ostendere, perspicuum est, Apostolos liberam potestatem in eadem cujusque menti, & arbitrio permiserunt, ut quisq; nec metu nec necessitate inductus, quod bonum sit ageret.

46. 3. Modus jejunandi Pontificius plurimum deficit. Ergo rectè improbatur à Protestantibus. Nam veteres, quando jejunabant, toto die nihil comedebant; Sub noctem si quid comedebant, parum, & vile erat; In Papistico verò jejunio nihil simile, omnia conararia: Nam Bernhardus verè dicit, *pro carnibus, à quibus abstinetur, grandia pisciũ corpora duplicantur. Mundi applausus, & vulgi fama spectatur maximè: non Scripturarum armis, exemplo Christi; sed simulatione pugnatur, & fraudibus.*

47. 4. Apostolus, *Regnum Dei non in cibo, & potu consistere, neq; escam nos Deo commendare* affirmat, *Rom.14.v.17.1.Cor.8.v.8. Certè honorari nequicquam potest eo cultu Deus, quem verbo non instituit*, scribit Hieronymus ad Eustochium. At Pontificii jejunium hoc suum pro singulari Dei cultu venditant.

48. *At objiciunt illi exemplum Christi, qui jejunavit 40. diebus, & noctibus, Matth.4. Vt & Moses, Deut.5. & Elias, 3.Reg.16.* videatur Eckius in Ench.p.83.

49. Resp.1. Jejunia illa fuerunt miraculosa, illis propria, quia non sæpius, sed semel tantùm ita jejunarunt. Ergo non sunt imitabilia, & communia. 2. Observanda igitur suis discipulis non proposuerũt. Chrysostomus Homil.47.in Matt. *Non dicit Christus ieiunium suum esse imitandum, quamvis quadraginta illos dies posset proponere.* 3. Si sunt imitanda nihil per tot dies est comedendum. 4. Testantur historiæ liberũ olim fuisse, quando, & quamdiu quis vellet ieiunare: Unde est Canon: *Discrepantia ieiunii non parit discrepantiam fidei.* 5. Voluit verò Christus ieiunare, 1. *Vt se verum hominem demonstraret.* 2. *Ut suâ esurie voluntariâ nostram necessariam redimeret.* 3. *Ut esuriendo occasionem tentandi diabolo præberet.* 4. *Ut suum ieiunium per legem, & Prophetas fuisse præfiguratũ demonstraret.* 5. *Ut nobis de carne, de Diabolo & de mundo triumpharet.*

50. Quæstio quarta: *An Eleemosinæ sint opera meritoria, & satisfactoria?*

51. Resp. Bellarminus Disputat lib.2.cap.4. pag.1502. *Eleemosynas mereri vitam æternam: Esse satisfactiones pro peccatis: Augere fiduciam apud Deum, & gaudium spirituale: Esse dispositiones ad gratiam justificationis.*

52. Do-

52. Docent verò Protestãtes, Eleemosynas habere promissiones bonorum temporalium, & spiritualium, *Luc.6.v.36.38. Heb.6.v.10. Esa. 58.v.9. Luc.14.v.14. Prov.3.v.10. Ps.45.v.2.3.4. Ps.112.v.5.7. Syr.29.v.15.18.* Non autẽ nituntur illæ dignitate ipsius operis; Sed gratiâ Dei per Christum acquisita, *Rom. 3. v. 24. c. 11. v. 6. Eph.2.v.8. Luc.17.v.10. 1.Pet.3.v.18.* Itaque propter Christum ejusmodi opus misericordiæ recompensatur, *Rom. 14. v. 23. Heb. 11. v. 4.6. Matth.10.v.41.42. Mar.10.v.30.* Non autem merentur Eleemosynæ vitam æternam; Nam solus Christus suis operibus, vitâ sanctâ, & morte durâ satisfecit pro peccatis nostris, & promeruit vitam æternam. Ergo nemo eam meretur eleemosynis, idque copiosiùs ostendimus alibi, videatur etiam pag.610.

53. Inquis, *Christum mandasse, ut omnia vendamus, & eleemosynas demus, Luc.12.v.33.*

54. Resp.1. Dei non est voluntas ut sic benefaciamus aliis, ut nobis sit afflictio, *2.Cor.8.v.14. Prov.5.v.6. Luc.3.v.11.* 2. Præceptum igitur illud Christi intelligendum est non absolutè, sed comparatè, hoc sensu, quod quilibet Christianus debet potius omnia sua bona impendere, quàm ut permittat, ut pauper frater fame miserè intereat, *2.Cor.9. v.9. Psal.112. v. 9.*

55. Quare ad eleemosynas excitemur non solum remunerationis intuitu, quod est mercenariorum; sed 1. ex Dei amore, qui mandavit, ut opem feramus indigenti; & panem frangamus esurienti. 2. Ex amore proximi, qui indiget.

56. Datur quidem vita æterna secundum opera misericordiæ, tanquam fidei testimonium, sed non propter illa: Redempti enim sumus non caducis rebus auro, vel argento, sed pretioso sanguine agni immaculati Christi: Demus autem operam, ut Eleemosynas velut omnia nostra opera referamus ad Dei gloriam, qui ut est finis omnium actionum humanarum, ita etiam harum Disputationum, in quibus errores Pontificiorũ ordine enumeravimus, modestè ex Scripturâ refutavimus, mutuisq; collationib. per hoc sesquianni spatium examinavimus.

Quæ irrepsere vitia typographica benevolus lector pro suo candore corriget.

Finimus precatione hac Prudentii.

Tibi Christe sit cum Patre,
Hagioq; pneumate
Hymnus, melos, laus, perennis,
Honor, virtus, victoria
Gratiarum actio,
Regnum æternaliter
Sæculorum seculis.

FINIS

INDEX

INDEX DISPUTATIONUM ET QUÆSTIONUM.

Prior Numerus denotat paginam, posterior thesin.

Delineatio totius Papismi continet brevem veræ sententiæ confirmationem.

In Prodromo fundamenta Pontificiæ religionis, sive abominationis breviter refutantur.

DISPUTATIO I.

De Papatus origine, & aliis nonnullis Quæstionibus breviter resolutis.

QUÆST. 1. *Quomodo, quando, & quo in loco Papa à veritate defecit? p. 13. th. 38.*

2. *In continua successione post Apostolum Petrum plurimi vixerunt Papæ: Ex quorum numero multi fuerunt martyres, quæritur, quis ex his primus à veritate defecerit, & eam oppugnaverit? p. 14. 41.*

3. *Si populus à vera Ecclesia & puro verbo defecit: ubi igitur vera Ecclesia verũ Evangelium permansit? quinã ejus fuerunt assertores, & confessores? Quinam doctores verbum tunc temporis prædicarunt? Vbi? in quo regno, terrâ, civitate? p. 16. 42.*

4. *Nullus hæreticus tam clanculariè Ecclesiam est ingressus, ut author ejus ignoretur, & nemo ejus hæresin observarit, &c. Si igitur Papa est hæreticus, quis hæreseos hujus author, quis eam ante Lutherum notavit, quis Papæ ante Lutherum se opposuit? p. 19. 49.*

DISPUTATIO II.

De origine Jesuitarum, atq; de libris Canonicis & Apocryphis.

QUÆST. 1. *An Evangelici seu Protestantes suos liberos Iesuitarum institutioni illæsa conscientia committere possint? p. 29. 25.*

2. *An omnes libri Biblici sint Canonici & ejusdem authoritatis ? pag. 32. th.39.*
3. *An liber Esther sit canonicus ? p.35. 50.*
4. *An liber Baruch sit canonicus? p.36. 54.*
5. *An fragmenta Danielis sint in canon? p.37.58.*
6. *An liber Tobiæ sit canonicus ? p.38. 63.*
7. *Num liber Iudith sit canonicus? p.39.69.*
8. *An liber Sapientiæ sit canonicus? p.41.73.*
9. *An liber Ecclesiasticus sit canonicus? p.42.81.*
10. *Num libri Machabæorum sint canonici? p.43.83.*
11. *Quid de libris Apocryphis, quos vocant , N. Instrumenti censendum? p.44.84.*

DISPUTATIO III.

De authoritate Librorũ canonicorum, editione authẽtica, & in vernaculam linguam translationibus.

QUÆST. 1. *Num Scripturæ authoritas respectu nostri dependeat ab Ecclesia? p.48.8.*
2. *Vtrum Apostoli scripserunt tantùm incidenter: An v. ex proposito & Dei mandato? pag.52.18.*
3. *Num verbum Dei prædicatum differat à verbo Dei scripto essentialiter? p.54.th.26.*
4. *Num Ecclesia verbo Dei sit prior & antiquior? p.54.28.*
5. *An testificatio Ecclesiæ authoritatem libris canonicis, respectu nostri conciliet? p.56.32.*
6. *An editio authentica V. T. sit editio hebræa , & N. T. editio græca? p.57.35.*
7. *Num editio latina sit authentica? p.59.41.*
8. *An Scriptura in vernaculam linguam rectè & utiliter transferatur? p.60.42.*

DISPUTATIO IV.

De Scripturæ perspicuitate, interpretatione, & judice controversiarum.

QUÆST. 1. *An Scriptura S. ingenitam habeat lucem , adeò ut sit perspicuè & manifesta ? seu : An Scriptura canonica dogmata ad fidem & ad salutem necessaria adeò perspicuò proponat, ut ab iis, qui per fidem sunt illuminati , & primitias Sp. S. acceperunt, etiam sine Ecclesia testimonio possit intelligi? p.63.3.*
2. *Qua in re consistat vera interpretandi scripturas ratio ? p.69.22.*
3. *Num interpretatio scripturæ certis hominibus & successionibus sit astricta? p.73.44.*
4. *An judex cõtroversiarũ supremus sit Spiri-*

Spiritus S. in Scripturâ & per Scripturam nobiscum loquens? p ag. 77. th. 50.

5. *Num Pontifex Romanus sit judex controversiarum, sive solus definiat aliquid, sive cum concilio generali? p. 83. 70.*

DISPUTATIO V.

De Scripturæ S. perfectione & traditionibus.

QUÆST. 1. *Vtrum Script. S. sit mutila, manca, & imperfecta non continens omnia, quæ ad salutem, modumq; piè vivendi pertinēt; an vero ita sit perfecta, ut omnia contineat, quæ ad salutem, modumq; piè vivendi sunt necessaria? p. 87. 3.*

2. *An postquā verbū Dei literis est cōsignatum, & Ecclesiæ commendatū, sit aliud aliquod verbū Dei nō scriptum ab Apostolis traditum, & pari authoritate cum verbo scripto recipiendum? p. 102. 54.*

DISPUTATIO VI.

De Persona Christi.

QUÆST. 1. *Num formale unionis hypostaticæ sit humanitatis in verbo sustentatio? p. 114. 16.*

2. *An Christus per & propter unionem personalem secundum humanitatem sit Deus? p. 115. 19.*

3. *An Majestas divina, seu an divina idiomata realiter carni Christi sint communicata? p 118. 30.*

4. *An præsentia divina carni Christi realiter sit communicata? p. 126. 58.*

5. *An Christus sit mediator noster non tantùm secundum humanam, sed etiam secundum divinam naturā? p. 129. th. 70.*

6. *An Christus sibi etiam aliquid meruerit? p. 131. 78.*

7. *Num Christus sola animâ descenderit ad inferos, & quidem eum in finē ut Patres & reliquos pios liberaret ex Limbo? p. 132. 82.*

8. *An sessio ad dextram Dei denotet usurpationē Majestatis, potentiæ divinæ, & divini regiminis? p. 123. 87.*

DISPUTATIO VII.

De Pontifice Romano prior.

QUÆST. 1. *An caput Ecclesiæ universalis solus sit Christus? p. 143. 9.*

2. *Num rectè duplex constituatur Ecclesiæ caput invisibile, & visibile, principale & ministeriale, duplex itidem Ecclesiæ fundamentum primarium & secundarium, & quid de vicario Christi, quem fingunt adversarii, sit sentiendum? p. 145. 15.*

3. *Num inter Doctores Ecclesiæ Christus voluerit esse non tantum ordinē, seu primatum ordinis, sed insuper potestatem absolutæ jurisdictionis? seu num Christus unum aliquem hominem Ecclesiæ suæ esse voluerit principem & Monarcham, cui uterque committēdus sit gladius? p. 150. 24.*

4. *Nū Apostolo Petro alicubi sit collatus*

primatus potestatis etiã in reliquos Apostolos, & jurisdictionis? p.154. th.37.
5. Num certò probari possit, Apostolum Petrum fuisse Episcopum Ecclesiæ Rom. & quidem per annos viginti quinque? p.166 61.
6. Num Pontifex Romanus sit successor Petri? p.167.64.

DISPUTATIO VIII:
De Pontifice Romano, posterior.

QUÆST. 1. An Pontifex Romanus possit errare? p.171.1.2. & seqq.
2. An Antichristus ille magnus venerit? p.177.21.
3. Num Antichristus sit unicus tantum futurus homo? p.182.38.
4. Num Antichristus ministerium iniquitatis sit operaturus per tres tantum annos & dimidium? p.184. 45.
5. Quis sit Antichristus ille magnus & quidem occidentalis? p.188.64.
6. An vera sit historia de Iohanne Octavo Papa, seu de Iohanna Romani Pontificis sedem occupante, atque pariente? p.191.74.

DISPUTATIO IX.
De Conciliis, prior.

QUÆST. 1. Vtrum jus generalia cõcilia convocandi sit penes ministeriũ Ecclesiasticum, & inprimis penes Papam; An v. penes Magistratum, & inprimis penes Imperatorem? p.200. th. 28.
2. Vtrum solis Prælatis: an v. etiam Laicis doctis & exercitatis in conciliis competat sententiam dicere? p.209.53.
3. Cujus sit generali concilio præsidere? p.211.65.

DISPUTATIO X.
De Conciliis, posterior.

QUÆST. 1. An concilia quadã simpliciter sint necessaria? p.215.2.
2. An concilia cum particularia, tum universalia, sive à Papa congregata & confirmata fuerint, sive non possint errare? p.219.15.
3. Vtrum ex Scriptura de conciliis: An v. è conciliis de Scripturâ statui debeat? p.228.40.
4. Utrum Papa supra: An v. infra sit concilium? p.229.44.

DISPUTATIO XI.
De Ecclesia, prior.

QUÆST. 1. An colligatio membrorum Ecclesiæ sub regimine Pontificis Romani sit de Ecclesiæ Essentia? p.238.24.
2. An nulli nõ baptizati, catechumeni hæretici, Schismatici, & excommunicati ad Ecclesiam pertineant? p.239.31.

3. An

3. *An Ecclesia certo quodam modo sit, & dicatur invisibilis?* p.244.th.48.
4. *An Ecclesia possit errare?* p.250.69.

DISPUTATIO XII.

De Ecclesię Authoritate respectiva & Ecclesiæ notis.

QUÆST. 1. *Num Ecclesia sit Scriptura notior?* p.237.2.
2. *An pura & sincera verbi divini prædicatio, atque legitimus & sincerus sacramentorum usus sint veræ Ecclesiæ notæ?* p.259.11.
3. *An veræ Ecclesiæ nota sit nomen Catholicum?* p.261.24.
4. *Num antiquitas, sit propria Ecclesiæ nota?* p.264.34.
5. *Num duratio diuturna sit nota propria veræ Ecclesiæ?* p.265.41.
6. *Num amplitudo & multitudo credentium sit vera & propria Ecclesiæ nota?* p.266.46.
7. *Num successio localis & personalis sit propria Ecclesiæ nota?* p.267.50.
8. *Num conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua Patrum sit veræ Ecclesiæ nota?* p.268.64.
9. *Num unio membrorum inter se, & cum capite sit propria Ecclesiæ nota?* p.269.59.
10. *Nũ externa sanctæ doctrinæ professio sit vera Ecclesiæ nota?* p.269.61.
11. *An efficacia doctrinæ sit Ecclesiæ nota?* p.270.65.
12. *An sanctitas vitæ authorum sit veræ Ecclesiæ nota?* p.270.67.
13. *Num gloria miraculorum sit infallibilis Ecclesiæ nota* p.270.th.69.
14. *An lumen Propheticum sit veræ Ecclesiæ nota* p.272.77.
15. *An adversariorum confessio sit veræ Ecclesiæ nota* p.273.80.
16. *An infelix Ecclesiam oppugnantium exitus sit infallibilis Ecclesiæ nota?* p.273.82.
17. *Num temporalis felicitas sit vera Ecclesiæ nota?* p.274.84.

DISPUTATIO XIII.

De vera Christi in his terris Ecclesia.

QUÆST. 1. *Num vera Christi in his terris militans Ecclesia sit Romano-Catholica seu põtificia?* p.277.2.
2. *Num Ecclesia pontificia sit Apostolica & gaudeat origine Apostolica?* p.283.24.
3. *An Ecclesia Lutherana, quam sic vocant, sit vera Christi in his terris militans Ecclesia?* p.284.28.

DISPUTATIO XIV.

De presbyterio prima.

QUÆST. 1. *Num soli Ecclesiæ Ministri peculiari nomine in sacris literis expresso rectè & propriè* CLERICI *appellentur?* p.294.17.
2. *Vtrum jus eligendi & vocandi Ecclesiæ ministros ad solos Episcopos & potißimum ad pontificem Romanũ pertineat; An v. ad universam Ecclesiam?* p.296.20.

3. *An ordinaria missio seu vocatio Ecclesiæ ministris sit necessaria? & an non unanimiter id doceant protestantes? p.301.th.47.*

4. *Num Lutherus à se ipso venerit; An verò vocatio ejus sit legitima? p.303.52.*

DISPUTATIO XV.

De presbyterio secunda.

QUÆST. 1. *Quid de ordinibus pontificiorum sit statuendum, num sint approbandi? p.311.15.*

2. *An essentiale sit discrimen inter Episcopatum & presbyterium? seu, an Episcopatus in scriptura sacra sit major presbyterio tum ordinis potestate, tum etiam jurisdictione? p.313 20.*

3. *Num Sacerdotes seu ministri Ecclesiæ necessariò debeant esse cœlibes? p.315.31.*

DISPUTATIO XVI.

De Monachis.

QUÆST. 1. *Vnde Monachatus sit dictus? p.325.14.*

2. *Qua sit vera Monachatus origo? p.328.27.*

3. *Num essentia Monastices eadem sit nostrorum, & antiquorum Monachorum? p.333.54.*

4. *Num Monachorum hodiernorum ordines sint cultus per se Deo placentes, & num hoc vitæ genus mereatur remissionem peccatorum? p.355.59.*

5. *Quid sit censendum de habitu & tonsura Monachorum? p.336.65.*

DISPUTATIO XVII.

De Consiliis & votis.

QUÆST. 1. *Quomodo differant præceptum & concilium, & num consilium Evangelicum præcepti sit difficilius, atque num sit meritorium? p.340.6.*

2. *An omne quod sit ex voto, etiamsi alioqui à Deo non sit præceptum, verè & propriè sit cultus Dei? p.344. 18.*

3. *An votum illegitimum præstitum & juramento confirmatum sit obligatorium? p.337.29.*

4. *Num votum voluntariæ paupertatis Deo placeat, & vim merendi & satisfaciendi habeat? p.337.31.*

5. *Num votum regularis obedientiæ sit legitimum? p.351.43.*

6. *Num votum perpetuæ continentiæ sit legitimum? p.351.45.*

DISPUTATIO XVIII.

De Magistratu ejusque circa religionem officio.

QUÆST. 1. *Num utraque potestas spiritualis & temporalis; & uterque gladius spiritualis & civilis competat personis Ecclesiasticis? p.357. 15.*

2. *Vtrũ Imperator, Reges & Principes sint, & debeant de jure subjecti esse*

Roma-

Romano pontifici? An v. pontifex in negotiis civilibus Imperatori? p.361. th.39.

3. *An ad Magistratum politicum pertineat etiam judicium de religione? p.362.57.*

4. *Quomodo pius Magistratus de religione judicare debeat? p.366.96.*

DISPUTATIO XIX.

De Pœnis Hæreticorum.

QUÆST. 1. *Num in Ecclesia vera nulli sint hæretici? p.367.2.*

2. *Quinam propriè sint hæretici? p.368.5.*

3. *Quomodo tractandi sint hæretici ab Ecclesiasticis? p.369.16.*

4. *An excommunicationis usus hodiè in Ecclesiis nostris sit retinendus? p.371.23.*

5. *Num hæreticus simplex, hoc est, non simul seditiosus, hæreses spargens & defendere studens sit auferendus, & capitis pœnâ afficiendus? p.372.26.*

DISPUTATIO XX.

De hæreticorum libris, fide illis datâ servandâ, & de pace religionis.

QUÆST. 1. *An libri hæreticorum sint simpliciter abolendi? pag.383.2.*

2. *Num Pontificii hæreticis fidem datam esse servandam, doceant, & num eam servent? p.386.18.*

3. *An hæreticis fides data sit servanda? p.389.32.*

DISPUTATIO XXI.

De ea Ecclesiæ parte, quæ secundum pontificios fingitur sub terra.

QUÆST. 1. *Quid sit sentiendum de quatuor locis subterraneis pontificiorum? p.400.8.*

2. *Num infernus sit in profundissimis terræ partibus? p.402.17.*

3. *Qualis sit pœna damnatorum? p.404.29.*

4. *Quid sit statuendum de limbo patrum V. Testamenti? p.407.35.*

5. *An verus Samuel à Pythonissa sit excitatus? p.410.49.*

6. *Quid sentiendum de limbo infantum sine baptismo decedentium? p.411.56.*

DISPUTATIO XXII.

De Purgatorio posterior.

QUÆST. 1. *Verum dogma de purgatorio pontificium sit Christianũ; An v. figmentum sive poëticum, sive Ethnicum à gentilibus scriptoribus ad calefaciendas missificorum eleemosynas mutuò acceptum? p.415.2.*

2. *Num suffragia Ecclesiæ prosint defunctis? p.428.49.*

DISPU-

DISPUTATIO XXIII.

De Veneratione Sanctorum, prior.

QUÆST. 1. *Quid de canonizatione Sanctorum defunctorum sit statuẽdum?* p. 434. th. 21.
2. *Num angeli boni sint religiosè adorandi?* p. 435. 26.
3. *Num sancti homines religioso cultu sint honorandi & adorandi?* p. 434. 34.
4. *Num Sancti sciant & exaudiant preces nostras?* p. 440. 58.
5. *Quid sit statuendum de distinctione pontificia inter λατρείαν, δυλείαν, & ὑπερδυλείαν?* p. 441. 61.

DISPUTATIO XXIV.

De Invocatione Sanctorum, posterior, & de ipsorum reliquiis.

QUÆST. 1. *Vtrum à pontificiis sancti invocentur tantum ut intercessores: An verò etiam, ut auxiliatores?* p. 425. 1.
2. *Num crebra salutatio & invocatio B. Mariæ virginis sit Christiana, & Deo placeat?* p. 447. 9.
3. *Num vota sint nuncupanda Sanctis ipsorumque imaginibus?* p. 450. 18.
4. *Num reliquias sanctorum cultu divino venerari debeamus, minori tamen quam ipsum Deum?* p. 451. 27.
5. *Quid sit sentiendum de largitionibus reliquiarum, seu de bonis, quæ in papatu offeruntur sanctorum reliquiis?* p. 457. th. 46.
6. *An peregrinationes, quæ in papatu hodie religionis causa instituuntur sint superstitiosæ & idololatricæ?* p. 458. 49.

DISPUTATIO XXV.

De Cultu imaginum & rerum consecratarum.

QUÆST. 1. *Num imagines religiosi cultus ergò sint erigendæ & habendæ?* p. 464. 11.
2. *Quid sit sentiendum de consignatione crucis?* p. 473. 46.
3. *An & quomodo creaturæ consecrari possint?* p. 474. 49.

DISPUTATIO XXVI.

De Sacramentis in genere.

QUÆST. 1. *Vtrum Sacramentum sit signum, an verò actio?* p. 478. 22.
2. *Quænam sint partes Sacramenti?* p. 479. 27.
3. *Num à Sacerdotibus & Episcopis Sacramentum confici possit?* p. 480. 30.
4. *Num veritas, perfectio, integritas Sacramenti sit æstimanda & suspendenda à Ministri intentione?* p. 481. 36.
5. *Num Sacramenta conferant gratiam*

riam ex operè operato, seu ex via actionis Sacramentalis ? pag.490. th.50.

6. *An Sacramenta remissionem gratia divina credentibus exhibitam obsignent & confirment ? p.494. 63.*

DISPUTATIO XXVII.

De Baptismo, prior.

QUÆST. 1. *An septem sint N. Testamenti Sacramenta exquisitè & propriè ita dicta? p.500.24.*

2. *Quid sit sentiendum de distinctione inter Baptismum fluminis, flaminis & sanguinis? p.503 38.*

3. *An Christus ipse administraverit Baptismum, seu manibus suis baptizarit? p.504.42.*

4. *An Baptismus Iohannis fuerit idem specie Sacramentum cum Baptismo Christi, & eandem habuerit efficaciam? p.505.46.*

5. *An iterum fuerint baptizandi à discipulis Christi, qui à Johanne erant baptizati? p.508.59.*

6. *Vtrum infantes veram & actualem habeant fidem; An verò tantùm habitualem, & num credant fide alienâ? p.510.71.*

DISPUTATIO XXVIII.

De Baptismo posterior, & confirmatione.

QUÆST. 1. *An Baptismus tollat ipsa id omne quod habet rationem peccati? p.493.th.2.*

2. *An Baptismus imprimat animæ indelebilem characterem, ob quem non sit iterandus? p.513. 28.*

3. *Cur igitur Baptismus non sit iterandus? p.500.35.*

4. *Num efficacia Baptismi se non extendat ad futurum, sed solum ad præteritum? p.517.42.*

5. *Num confirmatio pontificia sit Sacramentum propriè ita dictum & an rectè ex Ecclesiis nostris sit ejecta? p.522.60.*

DISPUTATIO XXIX.

De Sacra Cœna.

QUÆST. 1. *An per consecrationem substãtia Panis & Vini deperdatur, ac in substantiam corporis & sanguinis Christi mutetur ?* Seu; *an vi divinorum verborum sic transmutetur natura panis & vini, ut convertatur in corpus & sanguinem Christi, nudis tantummodò eorum accidentibus permanentibus? p.528. 15.*

2. *Nũ nuda accidentia panis, ut albedo, sapor, &c. in sacra cœna maneant, atque per se subsistant, & nulli substantiæ inhæreant? p.539.56.*

3. *Num panem Eucharisticum oporteat esse azymum? p.539.59.*

4. *Num vinum Eucharisticũm sit aquâ necessario miscendum ? p.540. 63.*

DISPUTATIO XXX.

De Consecratione & Mutilatione Sacræ Cœnæ.

QUÆST. 1. *An panis consecratus & vinum consecratum extra usum à Christo institutum sint Sacramentum?* p.552.17.

2. *Quid sit censendum de Festo corporis Christi, ut nominari solet?* p.555.27.

3. *Quid sit censendum de concomitantia Pontificia? Seu: an sub specie panis non tantum corpus, sed & sanguis, & sub specie vini non tantùm sanguis, sed & corpus Christi sacramẽtaliter manducetur, & bibatur?* p.556.34.

4. *Num Laicis altera S. cœnæ pars videlicet calix benedictus, sit subtrahendus?* p.558.43.

DISPUT. XXXI.

De Missa, prior.

QUÆST. 1. *An S. Cœna sit sacrificium verè ac propriè ita dictum?* p.566.11.

2. *An S. Cœna sit sacrificium propitiatorium, quo in missa iratus Deus placatur?* p.575.34.

3. *Num S. Cœna pro defunctis & quidem in purgatorio constitutis rectè offeratur?* p.576.47.

4. *An missa in honorem sanctorum piè defunctorum sint celebranda?* p.577.th.53.

5. *Quid sit statuendum de Missis privatis?* p.579.60.

DISPUTATIO XXXII.

De Missa, posterior.

QUÆST. 1. *An Missa sit sacrificium propriè ita dictum, & quidem verè propitiatorium?* p.571.1.

2. *Num Missa sit sacrificium incruentum?* p.584.49.

3. *Num missæ necessariò sint latinè dicendæ?* p.585.54.

DISPUT. XXXIII.

De Pœnitentia.

QUÆST. 1. *Num pœnitentia sit Sacramẽtum propriissimè ita dictum?* p.591.30.

2. *Quid sit sentiendum de tribus pœnitentiæ partibus Romanẽsium?* pag.597.51.

3. *An veræ pœnitentiæ partes sint contritio & fides?* 598.57.

4. *An contritio sit pœnitentiæ pars?* p.599.61.

5. *An fides sit pœnitentiæ pars?* p.600.68.

6. *Vtrum contritio ad Evangelium; an verò ad legem pertineat & ex eâ oriatur?* p.601.74.

7. *An lex incredulitatem arguat?* pag.662.87.

DISPU-

DISPUT. XXXIV.
De Cõtritione cordis, Confessione oris, Satisfactione operis.

QUÆST. 1. *Quomodo differant contritio Pontificiorum, & ea quam ex Scriptura docent protestantes? pag. 603. th. 3.*

2. *An contritio à se & per se à peccatis liberet & sit causa remissionis peccatorum? p. 605. 13.*

3. *An confessio & enumeratio singulorum peccatorum cum omnibus circumstantiis sit eis, qui post Baptismum in peccata prolabuntur, simpliciter necessaria & meritoria? p. 613. 47.*

4. *An dimissa culpa maneat debitum luendæ pœnæ? p. 617. 69.*

DISPUT. XXXV.
De Indulgentiis & Jubilæo.

QUÆST. 1. *An dogma pontificiorum de Indulgentiis sit impium & fabulosum? p. 622. 20.*

2. *Quid sit sentiendum de thesauro pontificio, qui Indulgentiarum papalium est fundamẽtũ? Seu; Num extet in Ecclesia thesaurus satisfactionum & bonorum operum sanctorũ, qui applicari possit iis, qui rei sunt pœnæ luendæ? p. 626. 33.*

3. *Num justè sibi arroget Pontifex Romanus authoritatem peccata & illorum pœnas, sive præsentes sive futuræ sint remittendi? p. 632. 52.*

4. *Num defunctis Indulgentiæ per modum suffragii possint conferri? pag. 633. 57.*

5. *Quid statuendum de Jubilæo pontificio? p. 634. 63.*

DISPUT. XXXVI.
De Extrema Unctione & Ordine.

QUÆST. 1. *Num extrema Unctio sit Sacramentum propriè ita dictum conferens gratiam & remissionem peccatorum? p. 656. 21.*

2. *An Unctio pontificia ab Evangelicis rectè intermittatur? p. 660. 35.*

3. *Quid de Aqua Lustrali seu Benedicta sit statuendum? p. 661. 41.*

4. *An Ordo, seu Ordinatio pontificia sit Sacramẽtum propriè ita dictum? p. 664. 51.*

5. *An consecratio Ministrorum imprimat characterẽ indelebilẽ? p. 666. 59.*

6. *Quid de tonsura clericali sit statuẽdum? p. 687. 61.*

7. *Cur nequeãt Ministri Evangelicorũ vocationem & ordinationem suam petere à Pontificiis & eorum suffraganeis? p. 687. 65.*

DISPUT. XXXVII.
Quæ est de Matrimonio, prima.

QUÆST. 1. *An Matrimonium sit Sacramentum verè & propriè ita dictum? p. 655. 31.*

2. *Num quæstiones matrimoniales tãtùm ad Ecclesiasticum judicium pertineant, & non simul à politico Magistratu sint tractanda? pag. 657. th.47.*

3. *An consensus parentum ad conjugium ineundum requiratur non tãtùm de honestate, sed etiam de necessitate? p.661.64.*

DISPUTATIO XXXVIII.

De Impedimentis Sponsaliorum & conjugii contrahendi.

QUÆST. 1. *Vtrum ratio supputandi gradus juris canonici; an verò civilis sit expeditior? p.670.20.*

2. *Vtrum omnia illa præcepta seu potius interdicta, quæ habentur in Levitico de gradibus cognationis, sint naturalia, an moralia; An verè quædam sint tantùm forensia? pag. 672.27.*

3. *Quinam gradus consanguinitatis sint prohibiti? p.676.45.*

4. *An in gradibus prohibitis possit dispensari? p.677.51.*

5. *An cognatio spiritualis matrimonium impediat? p.677.55.*

6. *An secunda tertiave nuptia sint benedicendæ? p.680.66.*

7. *Num digamia successiva pugnet cum ordinibus sacris & lege verè Apostolica sit clericis interdicta? p.981.72.*

DISPUTATIO XXXIX.

De Causis Matrimonium initum dissolventibus.

QUÆST. 1. *An cultus disparitas, seu infidelitas impediat matrimonium contrahendum, & dissolvat contractum? p.686 th.18.*

2. *An voto simplici matrimonium impediatur & solemni dirimatur? p.690.41.*

3. *An nulla calamitas matrimonium solvat? p.691.48.*

4. *Num fornicatione & malitiosa desertione dissolvatur matrimonium tantùm quoad thorum, & cohabitationem, & non quoad vinculum? p.692.57.*

5. *An sola fornicatio sit justa divortii causa? p.696.76.*

DISPUTATIO XXXX.

Quæ est de imagine Dei & justitia originali primi hominis, prima.

QUÆST. 1. *Quot sint hominis status? p.703.20.*

2. *An imago Dei in Adamo fuerit diversa à similitudine? p.407.28.*

3. *Num imago Dei in primo homine fuerit ipsa primi hominis substantia? p.710.49.*

4. *Num justitia originalis rectè nominetur gratia primi hominis? p.714.69.*

DISPU-

DISPUTATIO XXXXI.
Quæ est de imagine Dei, altera.

QUÆST. 1. *Num primi hominis natura cum virium rebellione fuerit creata?* p.717.th.15.
2. *An primus homo habuerit excellentem Dei rerumque naturalium cognitionem concreatam?* p.721.33.
3. *An voluntas hominis primi fuerit conformis Dei sanctitati & justitiæ?* p.725.54.
4. *Vtrum justitia originalis fuerit donum naturale, seu concreata hominis proprietas; An verè donum quoddam supernaturale, & extrinsecùs additum?* p.727.76.

DISPUTATIO XXXXII.
De imagine Dei ad quam homo primus fuit conditus, tertia.

QUÆST. 1. *Num justitia originalis homini integro fuerit supernaturalis?* p.732.4.
2. *Num primus homo mori potuisset, etiamsi non peccasset?* p.637.25.
3. *Vtrum immortalitas Adami fuerit naturalis proprietas; An verò donũ supernaturale extrinsecum?* p.740.36.
4. *An homini primo in bestias & alios homines fuerit concessum dominiũ?* p.744.58.

DIIPUTATIO XXXXIII.
De peccato in genere.

QUÆST. 1. *Vtrum peccatum sit tãtum imaginis divinæ, seu justitiæ originalis privatio; An verò etiam contrarii successio & qualitas positiva?* p.750.th.20.
2. *An omne peccatum sit voluntariũ?* p.753.
3. *An Adamus propriè non sit seductus, sed tantum Eva?* p.755.42.
4. *Vtrum primum peccatum & fons reliquorum peccatorum fuerit incredulitas seu infidelitas; An verò superbia?* p.758.56.

DISPUTATIO XXXXIV.
De peccato originali in specie, prima.

QUÆST. 1. *An peccatum originis sit peccatum verè & propriè ita dictum cui pœnitentiæ medicina sit adhibenda?* p.768.26.
2. *An peccatum primum sit omnium gravissimum & gravius peccatis actualibus ex illo ortis?* p.770.33.
3. *An B. Maria Virgo cum peccato originali fuerit concepta, ipsique obnoxia?* p.773.46.

DISPUTATIO XXXXV.
De peccato originali ejusq; pœnâ, altera.

QUÆST. 1. *An embryo, qui nondum dicitur animatus habeat veram & propriã peccati rationem?* p.781.13.

2. *Annon ab Evâ, sed à solo Adamo peccatum originale trahatur? pag. 782. 19.*
3. *An peccata proximorum parentũ propagentur in liberos? p. 783. 25.*
4. *Vtrum necessariò sit credendum animas à parentibus non ingenerari, sed à Deo immediatè creari & corporibus infundi? p. 785. 35.*
5. *Quid sit sentiendum de effectis peccati originalis, quæ philosophica quasi dissertatione enarrat Bellarminus? p. 794. 76.*
6. *An Christianorum infantes sine Baptismo decedentes, damnentur, & quid sit sentiendum de puerorum limbo? p. 794. 78.*

DISPUTATIO XLVI.

De Peccati Originalis venia & sublatione.

QUÆST. 1. *An concupiscentia in renatis post baptismum & pœnitentiã reliqua, ex sua natura verè & propriè sit peccatum, licet credentibus non imputetur? p. 798. 15.*
2. *An concupiscentia in renatis reliqua sit venialis? p. 808. 59.*

DISPUTATIO XLVII.

De Peccato Actuali, ejusque distinctione in immortale, & veniale.

QUÆST. 1. *Vtrum discrimen peccatis in mortale & veniale ex distinctione hominum peccantium; An v. ex ipsius peccati natura sit petẽdum? p. 815. th. 26.*
2. *An peccata venialia in statu corrupto vitari possint? p. 823. 55.*
3. *Quanam sit regula & norma dijudicandorũ & discernendorum peccatorum? p. 824. 59.*
4. *Quomodo peccata venialia eluantur? p. 825. 64.*
5. *An fides in peccantibus maneat salva? p. 825. 68.*
6. *An non renatorum virtutes, ut justitiam Aristidis &c. Imò ẽt renatorum opera absq; gratia Dei considerata, B. Lutherus rectè annumeraverit peccatis? p. 826. 71.*

DISPUTATIO XLVIII.

De Libero Arbitrio, prior.

QUÆST. 1. *Annón sine insigni temeritate liberũ arbitrium servum dici queat, quomodocunq; etiam modus ille explicetur? p. 832. 32.*
2. *An homo in sui conversione habeat sese mere passivè? p. 835. 46.*
5. *An opera infidelium, & quæcunque ante conversionem fiunt, sint verè peccata? p. 838. 58.*

DISPUTATIO XLIX.

De Libero Arbitrio, posterior seu de arbitrii servitute circa spiritualia.

QUÆST. 1. *An homo nondum renatus, quando seriò excitatur, impellitur*

tur & moveatur gratia divina praeveniente habeat in se vires aliquas Spiritui S. assentiendi, cooperandi in motibus & actionibus spiritualibus? p.848.25.

2. Qui fiat, quod cum omnes homines ante conversionem sint aequales, alter prae altero ex verbi auditoribus convertatur? p.858.64.

3. An homo sit cooperarius Dei? p.858.66.

DISPUTATIO L.

De Gratia Dei, prior.

QUÆST. 1. An Pontificii sint Pelagiani: & quæ sit appellationis Gratiæ vera notatio? p.859.3.

2. Quid igitur appellatione gratiæ intelligatur? p.863.20.

3. Particula gratis quomodo usurpetur & cur Apostolus Rom.3. vocabulum gratis addat vocabulo gratiæ? p.865.28.

4. Utrum gratia justificans & salvãs notet in Epistolis Paulinis qualitatẽ inhærentem & per modum habitus permanentem; An v. propriè gratuitum Dei favorem, clementem & misericordem voluntatẽ? p.867.34.

5. An gratia justificans distinguatur à caritate, qua nos Deum diligimus? p.874.66.

DISPUTATIO LI.

Quæ est de Gratiâ Dei posterior.

QUÆST. 1. Quid sit sentiendum de partitione Pontificia gratiæ in aeternam & temporariam? p.875.3.

2. An partitio gratiæ in gratiam gratis datam & gratiam gratum facientem sensu papistico sumpta sit erronea? p.877.9.

3. Num consentiat cum Scriptura Pontificiorum divisio gratiæ gratũ facientis in gratiam permanentem & auxilii specialis? p.879.19.

4. Quid sit sentiendum de partitione auxilii specialis in auxilium excitans, & auxilium adjuvans? p.881.27.

5. Quid sit sentiendum de partitione gratiæ in gratiam sufficientem & efficacem? p.882.31.

6. Quid sit sentiendum de partitione gratiæ in operantem & cooperantem? p.890.66.

DISPUTATIO LII.

De æterna Prædestinatione credentium ad vitam, prior.

QUÆST. 1. An Bellarminus in loco de prædestinatione faciat implaris cum Calvinianis? p.894.20.

2. An seriò scribat Bellarminus, ex parte nostri prædestinationis nullam assignari posse prædestinationis causam? p.897.30.

3. Num

3. *Num occulta sit causa, cur Deus hunc potius quam illum ad vitam æternam prædestinet?* p.897.30.
4. *An nuda Dei intentio dandi gloriam sit electio?* p.900.44.
5. *Num consilium de mediis salutis sit posterius proposito electionis?* pag. 901.51.
6. *Num media salutis pro solis electis sint excogitata?* p.903.60.
7. *An simus electi respectu prævisæ fidei?* p.905.

DISPUTATIO LIII.
Quæ est de electione posterior.

QUÆST. 1. *Num simus electi propter prævisa bona opera?* p.907.3.
2. *Vtrum aliquis de propria electione possit esse certus; An verò perpetuò sit dubitandum?* p.914.34.
3. *Num in Christo electi sint Angeli?* p.920.64.
4. *An igitur Angeli dicantur propriè libro vitæ inscripti?* p.921.72.

DISPUTATIO LIV.
De reprobatione infidelium.

QUÆST. 1. *An causa reprobationis partim ad solam Dei voluntatẽ, partim ad peccata prævisa sit referenda?* p.929.30.
2. *An sola incredulitas sit causa reprobationis & damnationis?* p.937.59.
3. *An detur liber mortis respondens libro vitæ?* p.938.61.

DISPUTATIO LV.
De justificatione hominis peccatoris coram Deo, prima.

QUÆST. 1. *Vtrum vocabulum justificationis in ipso justificationis actu sumatur ἐκπικῶς notetq; qualitatem inhærentem; An verò παῤῥησιαστικῶς habeatq; significationem forensem?* p.945.th.32.
2. *An differant justificatio & salvatio?* p.652.58.
3. *An διαίρεσις pontificia in primam & secundã admitti possit?* p.953.61.

DISPUTATIO LVI.
De meritoria justificationis hominis nostræ causa.

QUÆST. 1. *Num Christi meritum habeat se ad justificationem nostrã non principaliter sed tantum instrumentaliter?* p.957.15.
2. *An satisfactionis valor consistat in infinitæ meriti Christi efficacia?* p.959.21.
3. *An Christus sit mediator noster secundum utramque naturam?* pag. 960.24.
4. *An Christus in passione senserit irã Dei, & sustinuerit cruciatus infernales?* p.961.29.
5. *Num Christus sibi aliquid promeruerit?* p.962.32.
6. *An Christus perfectè satisfecerit & pro culpa & pro pœna?* p.963.37.

7. *An*

7. An Christus nobis proponatur ut legislator? p. 968. th. 47.
8. An B. Maria fuerit adjutrix Christi in opere Redemptionis? p. 968. 50
9. An Pontificii meritum Christi imperfectionis arguant, dum cum eo Sanctorum merita & nostra conjungunt? p. 969. 53.

DISPUT. LVII.

De instrumentali justificationis nostræ causa, quæ est fides.

QUÆST. 1. An principium fidei sit partim Sp. S. partim voluntas liberè agens? p. 974. 22.
2. Quibus mediis Deus ordinariè in nobis fidem accendat? p. 964. 26.
3. Num fides melius per ignorantiam, quam per notitiam definiatur? pag. 977. 32.
4. Vtrum fides justificans sit tantùm assensus in hominis intellectu; An v. etiam fiducia misericordiæ divinæ? p. 980. 48.
5. An fides sola justificet? p. 983. 62.

DISPUT. LVIII.

De fide justificante, altera.

QUÆST. 1. Vtrum fides sit tantùm in intellectu; An verò in intellectu & voluntate simul? p. 987. 4.
2. Quodnam fidei justificantis sit objectum? p. 992. 15.
3. An fides rectè distinguatur in informem & formatam, & num charitate formetur? p. 908. 30.
4. An non miser peccator certitudine fidei possit esse certus, sibi remissa esse peccata, ac se esse apud Deum in gratia? p. 1001. 40.

DISPUT. LIX.

De formali justificationis nostræ causa.

QUÆST. 1. Num Lutherani inter se dissentiant, dum quidam ipsorum formalem justificationis causam docent fidem, alii gratiam Dei, alii alii obedientiam Christi nobis imputatam? p. 1005. 11.
2. Num Christi justitia per fidem nobis imputata sit imaginaria, putativa & B. Lutheri figmentum? pag. 1007. 17.
3. An igitur justificemur, à peccatorum pœnis absolvamur, & in gratiam ad vitam æternam acceptemur propter meritum Christi fide apprehensum? seu; an formalis justificationis causa sit gratuita peccatorum remissio & justitiæ obedientia, & satisfactione Christi parta per fidem imputatio? p. 1010. 25.
4. Num inhærens nobis justitia sit formalis justificationis nostræ causa? p. 1012. 35.

DISPUTATIO LX.

De lege Dei prior.

QUÆST. 1. *An Christus pro nobis legem impleverit & nos à maledictione legis liberaverit?* p.1025.25.

2. *Num homo per legis obedientiam coram Deo justificetur? Seu; num justitia coram Deo subsistens sit ex lege?* p.1029.37.

3. *An igitur nullus legis in Ecclesia sit usus?* p.1032.48.

4. *An leges Ecclesiasticæ obligent conscientiam?* p.1033.53.

DISPUTATIO LXI.

Quæ est de lege Dei, altera.

QUÆST. 1. *Num homines non renati solis liberi arbitrii viribus legi morali satisfacere possint?* p.1035.2.

2. *An renati possint implere legem. Vel: An verè renati suis bonis operibus perfectam obedientiam, quam lex à nobis requirit, in hac vita præstare valeant?* 1040.21.

DISPUTATIO LXII.

De bonis operibus in universali, prior.

QUÆST. 1. *An infidelium opera legi naturæ conformia Deo sint ingrata? Seu: An actiones non-renatorum rectè peccatis annumerentur?* pag. 1054.23.

2. *An opera justorum absolutè seu perfectè sint bona?* p.1058.th.38.

3. *Vtrum Lutherus prohibuerit bona opera; An verè ea necessaria esse docuerit?* p.1060.45.

4. *An bona opera sint necessaria ad salutem?* p.1062.54.

5. *Num igitur bona opera sint perniciosa ad salutem?* p.1065.64.

DISPUTATIO LXIII.

De bonis operibus in universali, altera.

QUÆST. 1. *Num bona opera justificent? Seu. Num opera justorum sint meritoria vitæ æternæ?* p.1067.4.

2. *An opera justorum non merendi solum, sed etiam satisfaciendi vim habeant?* p.1079.35.

3. *An bona opera salutem conservent?* p.1080.42.

4. *Quid de opere supererogationis sit sentiendum?* p.1081.52.

DISPUTATIO LXIV.

De bonis operibus in particulari, prior.

QUÆST. 1. *An fructus orationis sit satisfactio & meritum? Seu: An oratio ex condigno valeat ad impetrandum beneficia, & satisfaciendum cùm pro suis, tum pro aliorum delictis?* p.1084.10.

2. *An in quinta petitione his verbis (remitte nobis debita nostra) petamus*

mus omnimodam peccatorum remissionem? p.1088.th.21.

3. *An clausula illa in oratione Dominica (quia tuum est regnum) sit irreptitia?* p.1088.24.

4. *An horæ canonicæ per se sint cultus Dei, quibus speciale sit tribuendum meritum?* p.1090.30.

5. *An tituli, qui in Antiphona, salve Regina cœli, mater misericordiæ, vita dulcedo Mariæ tribuuntur, sint legitimi?* p.1095.50.

6. *An hora Canonica rectè lingua peregrina peragantur?* p.1093.53.

7. *An flagellatio suiipsius corporis sit per se cultus Dei, cui sit fructus corona vitæ æternæ?* pag. 1096. 56.

DISPUT. LXV.
Quæ est de Jejunio & Eleemosynis.

QUÆST. 1. *An fructus, seu effectus Ecclesiastici jejunii sit pro peccatis tum nostris, tum alienis satisfacere, Deum iratum placare & præmium cœleste promereri?* p.1099. th 2.

2. *Num ad rationem jejunii in N.T. abstinentia à certis cibis, ac potissimum à carnibus pertineat?* p.1105. 24.

3. *An jejunium quadragesimale, ab ipsis Apostolis sit institutum, & perpetuò universæ Ecclesiæ observandũ?* p.1010.41.

4. *An Eleemosynæ sint opera meritoria, & satisfactoria.* 1014.50.

FINIS.

Gisenii
Papismus.

Rara
558





arbkarte #13
B.I.G.
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
0 cm